
Stella


BIBLIOTECA NAZIONALE
8
32 — E
2
T. EMANUELE
ROMA

INTRODVCTIO

Ad Lecturę Theologicę, & Prędicationis Euangelicæ Officium

PRO RELIGIONIS SERAPHICAE STVDENTIBVS.

Tractatus Elementarius Tripartitus,
Polemicus, Biblicus, Hierorheticus;

VIDELICET,

Summula Dogmaticæ de Ecclesia Catholica;
Eiusque hostium Catalogus.

Notitia Librorum Canonicorum Sacræ Scripturæ.

Praxes Sacræ Concionis, editæ

A FF. DIDACO STELLA, & FRANCISCO PANIGAROLA.



Hæc recusa, cætera comportata

PER FR. OCTAVIVM IADERTINVM DALMATAM S. T. L. G. AD S. MARIAM DE ARA-COELI.

Iussu, & Auspicijs Reuerendissimi Patris

FR. ANTONII AB INTRODVCO

Ord. Min. Reg. Obs. Lectoris Iubilati, ac in tota Cismontana Familia tàm Obseruantium, quàm Reformatorum COMMISSARII GENERALIS.



ROMAE, Typis, & Sumptibus Iosephi Vannaccij, M.DC. LXXXXIII.

DE SVPERIORVM LICENTIA.

SERAPHICI PATRIS
SANCTI FRANCISCI
Reuerendiſſimo Succeſſori
GENERALI MINISTRO
Cæteriſque optimè de Chriſtiana, & Minoritica Republica meritis, præſertim Patribus in Generali Capitulo apud Victoriam Congregatis

FR. ANTONIVS AB INTRODVCO
Eiuſdem Ordinis in Ciſmontana Familia Obſ. & Ref. Commiſſarius Generalis

Totum, quod optant in eo, qui erit omnia in omnibus.



INTER multas, quæ ab exordio impoſiti mihi muneris animũ pulſauere ſollicitudines (Reuerendiſs. atq; adm. Reu. Patres) illa non ſecundum habuit locum, quæ per aliquod beneficij ſpecimen benefactrici meæ Religioni obſecundare iubebat. Id meæ curæ, meæ vigilantiæ, ac ſtudio ſtimulus peracutus; nec mihimet peperciſſem, inſtar Patriarchę Iacob in paſcendis gregibus mihi concreditis, æſtu vri, & gelu; ſomnumque fugare. Tamquam enim Deo, immò & hominibus rationem redditurus, amplam ſuſcepi vineam excolendam; quæ iam diù extendit ad mare hyperboreum ramos, & vſque ad flumen Tyberim propagines. Fuit quorumdam mos populorum, defuncti Principis cadauer exponere publicæ populi cenſuræ, de geſtis aut commendaturi, aut redarguturi; quo ritu ſignificaretur, non ſibi, ſed ſubditis Rectorem viuere. Deo clementiſſimè nos ad hanc diem ſeruante, ego ipſe in hoc deponendi oneris articulo poſitus mihi ero cenſor: & quid vna in re, eaque permagna publicæ vtilitati procurarim, ediſſeram. Quid inquam, in ſtudiorum cura conſultum ſit. Illud Patris noſtri monitum [non curent neſcientes litteras litteras diſcere] grauiſſimum eſt pro litteris argumentum. Inferre ſiquidem oportet; ergo ſcientes curent,

cuiuſce-

cuiuscemodi e[illegible] tenentur, quotquot à laicali conuersorum discreti ministerio Diuinis ministrant mysterijs. Stolidum vtique iumentum sistit ad montis crepidinem; neque cum Abrahamo ascendit ad locum altaris. Hinc Religioni semper fuit cordi, promouere studium disciplinæ, disciplinasque studiorum; & eo maximè, quod ex Regula profitemur, nedum exemplo, sed & verbo proximos ædificare. Hæc mente perpendens Congregatio Generalis Romæ acta, cui complacuit, me sibi deligere suæ Familiæ moderatorem; vt æquiori tramite studia procederent, atque non semel noxij vitarentur anfractus; constituendum putauit pro schola Theologica, vt singulis annis vnus Sententiarum liber expleretur; per primum quidem Lectorem in textu Subtilis Doctoris, per duos alios in scriptis, bipartita inter se materia; necnon & iste seruaretur ordo, vt idem vbique tali anno liber legeretur, eædemque materiæ traderentur; quapropter & quadriennalem Indicem per Prouincias transmisi. Obfuturam non credimus tantam celeritatem, intensioni compensante extensione, ac subsequentium temporum exercitio; quo veluti digeratur, & nutriat Dei liber Ioanni datus, vt deuoraret. Hæc quidem, nec paucis, nec leuibus intenta motiuis. Verumtamen & eousque non satis prospectum fatebimini. Quoniam etenim Theologica Doctrina est in Ecclesiæ Catholicæ tutamen, vt castrorum acies ordinata, ideoque & de Ecclesia, eiusque Archistratego Christi Vicario, Sacrosanctisque Scripturis, dogmaticos haberi tractatus, iam pridem sancitum fuerat; operæ pretium est, ita temporis habere rationem, vt hæc plurima enucleari possint; dum opus est, vnum agere, & aliud non omittere. Duo insuper accedunt; quod apprimè necessaria Theologis est peritia Hæresiarcharum; nec non & methodus aliqua construendis sacris Concionibus, cum nequeat adeo frequens haberi copia professorum eloquentiæ. Occurrit obinde cogitatui, tam patenti accurrere necessitati, ac fore satis existimaui, cuncta hæc vno enchiridio comprehendere in tres partes distributo, quarum prima habeat de Ecclesia, eiusque hostibus, altera de Scriptura, tertia de modo agendæ Concionis, vt videlicet quisque Lectorum peracto suæ lectionis penso, aliquantulum de præsenti libello discipulis propinet; primus Lector de tertio tractatu, nisi alius præ illo prædicationem exerceat, secundus de secundo, tertius de primo. Ita quidem cum temporis parcitate concurret emolumentum eruditionis. Vobis iam nunc exhibeo, vobis & consecro meum hoc desiderium, etiam atque etiam suadens, vt qui satis calletis paulinum illud monitum, [omnia probate, quod bonum est, tenete], patefactam satis necessitatem librantes, non leue saltem perpendatis amoris argumentum, erga filios nostros, erga vos, & communem nostrum Seraphicum Patrem; cui dedit Deus Optimus Maximus, in Paupertatis cinere focum accendere, quo Mundum & calore Sanctitatis foueret, & splendore Sapientiæ illustraret; demum adimpleretur illud Diuo Bonauentura teste Oraculum Pontificis Innocentij Tertij, cum intuens Sanctum Franciscum inquit. *Hic est ille, qui opere, & doctrinâ Christi sustentabit Ecclesiam.*

Seraphicæ

Seraphicæ Scholæ, seù Didascalo, seù Candidato.

Fr. OCTAVIVS IADERTINVS Sac. Theol. Professorum infimus Sapientiam Veritatis, & Veritatem Sapientiæ precatur.

LIbellum hunc adoriri absque omni proludio, vel in limine prolixa detinere præfatione, æque incongruum duco. Breuibus te præmonitum, me præmunitum habebo. Vides inter tot summæ notæ viros mihi prorsus impari demandatam prouinciam; profectò pertimescendam, si iacturæ periculum esse posset, vbi semet perdere, succumbendo Obedientiæ, est planè in tuto esse. Nè quæso suspicere, percupijsse me, Dalmaticæ fimbrias dilatare, vel ad tripodem Apollineum sedere; quasi memet ipse dignarer, cuius rudia hypogrammata publicè haberentur in Schola Subtilitatis. Nouit ille, qui est Iudex, & Testis, diù ancipitem in biuio Virtutum extimuisse, quam læderem; & pro Humilitate futurum vt negligerem Obedientiam; ni animaduertissem in Petro abnuente pedum lotionem, profundissimam esse Humilitatem in suprema Obedientia. Opus ergo fuit, ad repetitas Reuerendissimi Patris mei Commissarij Generalis iussiones assumere tanti honoris onus, & pro aliquantula fallacis modestiæ inobedientia, tantò citiùs clausisque oculis pernicissimè obtemperare, vt proindè penes te legitimam habeam excusationem, si quidpiam offenderis, vel immaturum, vel impolitum. Satis tù ipse supplebis, si æqui, bonique consulueris. Id tandem valeo iure prætendere, vt doctrinam superans imiteris obsequium; ac iuxta illud mihi, tibique indictum Isaiæ 24. In Doctrini glorificate Dominum, *pariter dicamus omnes*

SOLI DEO GLORIA.

PARA-


PARAGRAMMATA CORRIGENDA.

Bone Lector. Menda typographi emendato. Summa diligentia volui præcauere, nec tamen cauere valui. Commata, & apices, aliaue huiusmodi tuæ discretioni commendo; hic litteras aliquas litura dignas, quæ relegentem grauiùs offenderunt, recenseo.

PAgina 13. linea 40. Principiam p. 9. li. 26. Hierarchia. p. 17. li. 23. Prouidentiam. p. 19. l. 35. saltem. p. 20. l. 17. exprobrata. p. 23. li. 6. seditionibus. p. 25. li. 12. ferro. p. 33. li. 35. possit. ibid. li. 32. vnius. p. 50. lin. 19. Deus. p. 63. li. 29. multinomia. p. 68. li. 5. nesciebat. p. 77. li. 19. notiora. p. 83. li. 26. Christianissmi. p. 85. li. 5. saltem. p. 88. li. 37. ex pane. p. 94. lin. 6. duplici, n, n, p. 107. li. 34. Eodem. p. 108. li. 7. Sæculum. p. 111. li. 23. *Hermannus.* p. 112. l. 4. suffocare. ib. li. 27. flammas. p. 121. li. 27. eiulantis. p. 133. li. 10. *alia.* p. 160. li. 24. *qui creauit te sine te.* p. 164. lin. 27. *& ex Septuaginta.* p. 169. li. 4. parieti. p. 174. li. 15. Chromatius. p. 175. li. 14. *obeli.* p. 180. li. 26. *curabis.* p. 191. li. 34. *occidit*, sensus est. p. 198. li. 22. *vita viuet.* p. 202. li. 5. *formido.* ib. li. 21. *Periphrasis.* ib. li. 28. exuflantur. p. 210. li. 6. supputationem. p. 214. li. 12. necdum. p. 216. li. 29. *Sobab.* p. 219. li. 24. Regi. p. 222. li. 25. ediderunt. ib. li. 32. Syluciræ p. 231. li. 32. contigitque. p. 260. li. 2. libentiorem. p. 271. li. 3. fidem. p. 278. lin. 26. in secunda secundæ. p. 289. li. 1. quamprimum. ib. li. 8. quia huius. p. 302. li. 3. reperietur. p. 311. li. 18. supposito ergo. p. 314. li. 12. & ferè omnibus. pag. 228. li. 25. dissimulandum. p. 331. li. 18. Dei afflatus. p. 343. li. 38. suadeant. p. 346. li. 33. *Mementote.* p. 357. li. 1. il quale.

EGo Fr. Thomas Granellus de Genua Ord. Min. Regul. Obseru. Sancti Francisci Lector Iubilatus, Sacrarum Congregationum, Rituum, & Indicis Consultor, ac Sancti Officij Qualificator, ex commissione Reuerendissimi P. Fr. Antonij de Introduco Totius Cismontanæ Familię, Obseruantium, & Reformatorum Commissarij Generalis, diligenter examinaui opus inscriptum *Introductio ad Lectura Theologica, & Prædicationis Officium* &c. Authore eruditissimo Reu. P. F. Octauio à Sancto Francisco Iadertino in hoc almo Studio Conuentus Sanctæ Mariæ de Aracœli Lectore Sacræ Theologiæ; illudq; visum est, vt multo cum emolumento omnium, nedum cum laude sui authoris in Lucem prodeat, quippè quod non modò nihil contineat Sanctæ Fidei, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ dogmatibus, atque institutis repugnans, quinimò omni scateat Ecclesiastica Theoria, & eruditione; quare posse prælo tradi censeo, si ita videbitur ad quos spectat. Datum Romæ in Conuentu S.Mariæ de Aracœli Die X. Martij. 1693.

Fr. Thomas Granellus à Genua



MAndante Reuerendissimo Patre Nostro Fr. Antonio ab Introduco Totius Cismontanæ Familiæ Minorum Obseruantium, & Reformatorum Commissario Generali dignissimo attentè perlegi opus inscriptum *Introductio ad Lectura Theologica, & Prædicationis Euangelicæ officium pro Scholæ Seraphica Studentibus &c.* Authore Doctissimo, & Religiosissimo Reu. P. F. Octauio à Sancto Francisco Iadertino in hoc Almo generali Studio Sacræ Theologiæ Antecessore, & non modo nil in eo reperi quod à Sanctæ Fidei dogmatibus, & probis moribus dissonet, verum etiam fateor, me ex eo non parua didicisse, & obseruasse in ipso sanam, solidamque doctrinam, omnimodam Sacram Eruditionem, cothurnatam eloquentiam, ac facillimam docendi methodum. Ideo non modo Scholis nostris vtilissimum futurum arbitror, si prælo ad communem vsum fuerit mandatum, sed omnibus vtriusque artis, docendi scilicet, ac euangelizandi professoribus iucundissimum censeo exititurum. In quorum &c. Dedi Romæ in Almo Aracœlitano Conuentu hac Die X. Martij 1693.

Ita saluo meliori iudicio sentio.
Ego F. Mich. Angelus de Candia olim S. Pal. A. Conc.
Discretus perpetuus Ord. & Commiss. Gen. Curiæ

Fr. AN-

Fr. ANTONIVS ab INTRODVCO Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ S. P. N. Francisci Lector Iubilatus, & in tota Cismontana Familia, tam Obseruantium, quam Reformatorum Commissarius Generalis, & Seruus. Dilecto nobis plurimum in Christo P. F. Octauio Iadertino Prouinciæ Nostræ Obseruantis Dalmatię Concionatori Generali, & in hoc Almo Conuentu Aracœlitano Sacræ Theologiæ Lectori Generali primario salutem in Domino sempiternam &c.

CVpienti Tibi, quoddam iussu nostro comparatum opus, cuius titulus est *Introductio ad Lecturæ Theologicæ, & Prædicationis Euangelicæ officium &c.* ad maiorem Dei gloriam, Ordinisque nostri Seraphici decus Typis mandare; Cumque opus ipsum à duobus Theologis, quibus id commisimus, reuisum, & approbatum fuerit; vt illud imprimatur, quantum ad Nos spectat, facultatem concedimus, & impertimur, seruatis tamen in reliquo seruandis. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Aracœli die 10. Martij 1693.


Fr. Antonius ab Introduco Commissarius Generalis.

De mandato suæ Reu. Paternitatis
Fr. Bonauentura Poerius Secretarius, & Diffinitor Generalis Ordinis.

Imprimatur,


Si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

Sperellus Episcopus Interamnensis Vicesg.



OPus inscriptum *Introductio ad Lecturę Theologicæ, & Prædicationis Euangelicę officium &c.* Authore Adm. Reu. P. F. Octauio à S. Francisco Ord. Min. Obseru. iussu Reuerendissimi Patris Thomæ Mariæ Ferrari Magistri Sacri Palatij vtiliter ac delectabiliter perlustraui; ideò cunctis vtilius ac delectabilius futurum censeo. Datum Romæ die 3. Iulij 1693.


Fr. Io. Baptista Lamberti ab Asta Ord. Min. Conu. Sacræ Theologiæ Magister ac Collegij Diui Bonauenturæ Baccalaureus Conuentus.



Imprimatur,

Fr. Thomas Maria Ferrari Sacri Palatij Apostolici Magister, Ordinis Prædicatorum.

TRA-



TRACTATVS PRIMVS
SVMMVLA
THEOLOGIAE DOGMATICAE FVNDAMENTALIS.

Argumentum, & Scopus dicendorum.





ATHOLICAE Dei Ecclesiæ maximus Doctor meus Hieronymus exquisitam dabit præfationem Epist. 11. præsenti opusculo aptam. *In vetere via nouam semitam quærimus, & in antiqua, detritaquè materia rudem artis excogitamus elegantiam, vt nec eadem sint, & eadem sint. Vnum iter, & perueniendi, quo cupias multa compendia.* Horatianum est sanè præceptum, aliàs tractata, ita à nobis tractanda, vt tanquam noua reddantur. Inter plurimos, eximiæque notæ Scriptores, qui Dogmatum irrefragabilis veritatis texuere volumina, talem seruabo modum, vt quantumuis ab alijs pleraque è sequentibus fuerint non semel, & iterum euulgata: ex ipsis tamen aliqua præclariora selegisse, si non nouum opus, nouum ex modo putetur beneficium. Non tamen est animus, de singulis disputare dogmatibus; quippè quod speciales in Theologia Scholastica materiæ, vel præmittant, vel concomitentur correspondentium dogmatum disceptationes. Illud porrò superest, vt Dogmatum omnium particularium Theologia tota distributorum, nunc proferamus vnum Generale, & cæterorum, veluti principium, ac fundamentum. Est hoc, authoritas Ecclesiæ captiuans omnem sanum intellectum in obsequium fidei; quare, & ad hoc Axioma Christi Mat. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus*, reducere singulas de fide tenendas Conclusiones, est eas illico analyticè secundum infallibilem Fidei Logicam demonstrare. De Ecclesia igitur, Ecclesiæque summo Hierarcha, & de Synodis Oecumenicis pertractandum, eo dicendi stylo, quem commendat ex Cipriano Hieronymus Epist. 2. *Non diserta, sed fortia.*



DISPVTATIO PRIMA.

De Ecclesia.

DOctor subtilis 4. d.1.quæst.2. §. *ex his* animaduertit ordinem duplicis quæstionis de vnaquaque re; videlicet, *si est*, & *quid est*. In qualibet siquidem re est considerare essentiam,& existentiam; atque adeò, dum quæro, *si est*, quæstio est de actuali existentia rei; dum autem quæro, *quid est*, agitur de explicanda essentia seu quidditate rei. Nomen rei, & ipsa res, ita se habent, vt aliquando prior sit notitia rei, quam nominis, vt est in primum discente voces significantes; aliquando autem præcedit notitia nominis conceptum rei, vt vbi audis, vel legis vocabulum, cuius nescis significatum. Itaque dum disputatur, primò inter colloquentes est supponenda notitia nominis, per quod possunt inuicem loqui; deindè notitia de *quid nominis*, videlicet confusa, seù imperfecta apprehensio essentiæ ipsius rei significatæ; nam de quo nil omninò scimus, de eo nec loqui aliquid possumus. Hac autem habita rei notitia confusa, tunc disputare possumus, *An sit*, seù actualiter, seu possibiliter; deindè etiam *quid sit*, loquendo de *quid rei*, seu de notitia distincta, & definitiua. Quoniam verò essentiam consequuntur, deque ea procedunt proprietates; pariter sequitur ad resolutionem de *quid sit*, quæstio, *quid possit*.

In proposito igitur; vbi loquor de Ecclesia Catholica, nomen hoc *Ecclesia* lego in Euangelio, & statim confusam suppono notitiam, videlicet, esse Populum dicentem, se habere à Deo Fidem, sicque esse Populum Dei, iuxta acceptionem nominis *Ecclesia* reperti in Scriptura Euangelica, in qua Communitate per Dei Gratiam esse nos videbimus, quotquot agnoscimus Pastorem, & Patrem Pontificem Romanum. Simul itaque cum notitia de *quid nominis* suppono conclusum, *si est*; totus quippè Mundus supponit, dari in aliquo Populo veram Dei Fidem. Vtique oculis, & auribus experior, existere Populum eius Fidei, quam ego profiteor, quippè, & ipsam per Ministros eiusdem Populi didici, attamen & video Sectas nobis contrarias, & se iactantes vt populum Dei, Superest ergo quæstio *quid est*, vt dignoscamus, cui populo hoc nomen competat; Sed anteà Ethimologiam nominis concipiamus. *Ecclesia* Vocabulum Gręcum sonat Conuentum, Congregationem, seu conuocatam multitudinem: ideòque & locus ipse, quo congregantur, appellatur item Ecclesia. Optimè autem nostro populo Christiano conuenit hoc nomen Ecclesiæ,quippè conuocatus est à Deo per Christi Apostolos; nec professionem Fidei nostræ habemus, veluti patrimonium maiorum, cum de Idolatris, & infidelibus Gentilitatis descendamus, sed tanquam Dei donum, qui nos vocauit in admira-

bile

bile lumen suum; illustrans Patres nostros per Apostolos, nos autem per Patres nostros, & viros Apostolicos.

Habet Ecclesia, & alia nomina in Diuinis Scripturis, sed Mystica, seu metaphorica, cuiusmodi sunt in Veteri Testamento, *Vinea Domini*, quia à Deo per Sacros Colonos Prophetas exculta: In nouo Testamento *Ciuitas supra montem posita*, quia super Christum insuperabiliter fundata, & omnibus patenter conspecta. Ita & dicitur, *Paradisus ligni Vitæ*, *Mons Dei*, *Sponsa Dei*, *Sol*, *Turris*, *Grex*, *Candelabrum*, *Scala Cæli* &c. Habet autē Ecclesia Dei hoc egregium agnomen, quo nuncupatur Catholica, iuxta illud in Symbolo Apostolorum. *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam* quare D. Pacianus Epist. 1. contra Parm. *Christianus mihi nomen est*, *Catholicus verò Cognomen; illud me nuncupat; istud ostendit*. Significat Vox *Catholicon* Græca Vniuersale, & optimè ab Apostolis dicta est Ecclesia Catholica; quæ videlicet, per loca, & tempora omnia in diuersitate Gentium, atque ætatum, habet vnitatem. Volebat enim Deus per Christum, eiusque Apostolos condere vnam suam Communitatem, quæ esset quidem vna, quippè ab vno Deo, sed non in vna tantùm natione, vel duratura per limitatum in hoc Sæculo tempus, vt fuit Iudæorum Synagoga. Fuit vtique Synagoga veterum Ecclesia, sed non Catholica hoc sensu præmisso; attamen vera pro tunc Dei familia.

Titulus iste Catholicæ conuenit, vt videbimus, soli Romanæ Ecclesiæ; cuius præter Christum, non reperis Authorem, adeòque non est noua, & cuius authoritas habuit de facto sub se Pastores omnium locorum, in quibus de præsenti est aliquid nominis Christiani, vel aliquando fuit. Enim verò nunc per Dei benignitatem sunt plura, & preclariora Orbis Regna, & Respublicæ, quæ sunt de Ecclesia Romana, videlicet ibi Sacri Pastores profitentur ipsam eam Fidem, quam profitetur Pastor Vrbis Romæ, quem & agnoscunt superiorem, nedum gradu loci, sed & potestate regiminis, quippè eum agnoscunt Rectorem, & Iudicem. Alia loca, seu à Turcis, seu ab Hæreticis fœdata, & corrupta, aliquandò tamen, & aliquandiù habuere Pastores eiusdem Fidei, & Obedientiæ, ac præfati, qui Romani appellantur. Totus ergo Orbis, vbicumque auditum est nomen Iesu Christi spectat ad Ecclesiam Romanam in spiritualibus, videlicet multa pars de facto, vt est Italia, ditio Imperialis, Hispania, Gallia, Polonia &c. reliqua de Iure facti, vtpotè iniustè subtracta per rebelles hæreticos, vel grassatores Ethnicos. At veniamus iam ad quæstionem *quid sit*: & de quid rei promoueatur.



ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Ecclesia Catholica.

Notandum; quod hoc nomen Ecclesia sumitur aliquando in malum sensum, vt psalm. 25. *Odiui Ecclesiam malignantium*; videlicet, hoc nomen significat multitudinem, adeòque, seu bonam, seu malam. Accipimus itaque vocabulum Ecclesiæ in bonum sensum, vt psalm. 88. *Veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum*, & ferè in toto Nouo Testamento benè sonat nomen Ecclesiæ; & vtique, si addas agnomen Catholicæ, exprimis vnum, & vnicum Dei populum. Præclarè videbimus, cognomen istud specificare Christianos Fidei Romanæ, qua de re Diuus Hieron. in Apolog. adu. Ruffin, *Fidem suam quam, vocat? Eam nè, qua Romana pollet Ecclesia? an illam, quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam responderit; ergo Catholici sumus*. Quid itaque sit Ecclesia Romana, seu quæ eius definitio, disquirimus.

Notandum præterea ex Scoto 4. d. 1. quæst. 2. non posse definiri illud, quod non est vnum. Etenim definitio explicat quidditatem rei; atque adeò, vbi sunt plura, vt plura, nequit esse vna, sed plures definitiones, si ea sit pluralitas naturarum, vt vbi dico, Homo albus. Quòd si sint plura vnius naturæ, seu est plurium vnitas aggregationis, nequeunt ea plura, vt plura definiri vllo modo. Non enim potest dari vna definitio, nam plures sunt res, quæ definiuntur, nec possunt dari plures definitiones, quoniam non sunt ibi diuersæ quidditates. Benè quidem in pluribus cognitis, seu eiusdem naturæ, seu diuersæ, potest intellectus producere per actum comparatiuum aliquam relationem rationis; quæ eo modo, quo est ens, est vna quidditas, & item suo modo definibilis. Ita in materia, & forma Sacramentorum fundatur relatio signi à Deo instituti, & talis relatio est suo modo definibilis. Igitur Ecclesia fundamentaliter, seu pro materiali importat homines plures, neque sic est definibilis; at pro formali dicit relationem vnam in omnibus fundatam in ordine ad Christum per eius Vicarium, & sic potest definiri, quo pacto definiri potest Respublica.

Not. 3. quòd Ecclesia accepta vniuersalissimè vt est Respublica Christi, distinguitur in Triumphantem, & Militantem. Illa est, quæ iam secura de beatitudine gaudet pręmio pręteriti meriti, & hoc item dupliciter, vel enim cum Christo triumphat formaliter in Cœlis, vel triumphatura purgatur interea à debito pænæ. De Ecclesia triumphante non est sermo præsens, sed de militante, quæ est in hoc mundo, & militat contra incentiua vitiorum, vt vincens accipiat coronam in illis, in quibus vicerit. Ecclesia vt sic explicatur à Scoto 4. d. 19. §. de quinto articulo, dum appellatur *Communio Fidelium*; at specificare oportet, si velimus de Militante dicere, nam & in Cœlo est Fidelitas, & in Purgatorio est Fides, & ambo in hoc sæculo. Sit ergo. CON-

CONCLVSIO.

ECclesia Catholica in Scriptura noui Testamenti nominata, est Communitas Spiritualis Monarchiæ Christi, ab ipso instituta, administranda per vnum Summum eius Vicarium, estque hæc planè Communio Romani Pontificis.

Probatur hæc definitio; in primis supponendo, quòd potuit Deus per Christum vocare, seu instituere vnum sui Populum, cuius esset ipse Christus supremum caput, & eo abeunte in Cælum, esset Vicarius eius in terris vnus homo, vt Rector, & Iudex, conformiter ad ea, quæ constituisset Christus. Huius hypothesis possibilitas patet; quia nil inuoluit repugnantiæ, vel absurdi. Quod autem sic actum sit, quantum ad locum Sedis, nempe Romam probabitur suo loco; quantum autem ad modum regiminis, videlicet, vnum Vicarium, item probabitur disputatione sequenti. Itaque ex non repugnantia, seu ex compossibilitate partium huius definitionis, quæ per se patet, & ex aliàs probandis directè singulis partibus specificatiuis, probatur hæc definitio, dum explicatur. Dico *Communitas Monarchiæ* loco generis, nempè hominum Communitas sub vno. Dico *Spiritualis*, ad differentiam totius vitæ politicæ. Dico *Monarchiæ Christi*, ad differentiam communitatum profitentium Religionem non vtentem Sacra à Deo verè data Euangelij Scriptura. Dico *ab ipso instituta*, ad differentiam Hebraicæ Synagogæ ante Christum; ad illum enim spectabat, dum eum expectabat, sed expectabat mutanda in nouam formam, & cæremoniarum, & regiminis. Dico denique *administranda per vnum Summum eius Vicarium*; quæ particula non est differentialis; neque enim datur aliqua Dei Ecclesia non administranda, seu non gubernanda per Vnicum Christi Vicarium; sed istæ particulæ explicant illam præcedentem, qualiter videlicet sit Ecclesia instituta à Christo, seu sub qua forma regiminis Monarchica.

Iam verò; si datur Ecclesia, nam & toties in Nouo Testamento nominatur: item, si Ecclesia est populus habens veram Dei Fidem, à Christo per Apostolos prædicatam, & diffusam; item si Ecclesia est vna, quippè Fides est vna, etenim Veritas est vna; Ergo illa tantùm est Ecclesia, quam instituit, fundauit, ordinauit Christus. Atqui regimen ad conseruationem veræ Fidei institutum à Christo non reperitur, nisi in Ecclesia Romana; nam omnium aliorum regiminum, & propagationum etiam origo reperitur instituta à tali vel tali, puta à Luthero, Caluino, Henrico Anglo &c. nullus autem assignabit, quis primus instituerit hoc regimen, vel hæc dogmata, quæ sunt in Ecclesia Romana per Orbem diffusa, & Romæ habens primarium super omnes Pastorem. Ergo sola Ecclesia Romana est à Christo, & ita est sola hæc verè Ecclesia, & ita idem est dicere Catholicam, ac Romanam.

Obijcies. Ecclesia regitur Spiritu Sancto; atqui Spiritus Sanctus potest assistere, ne particulares Pastores errent; quòd si quis errauerit, sententiabitur

bitur in Concilio; Ergo non eſt neceſſe, quod Eccleſia ſit Monarchia ſub vllo Chriſti Vicario, ſed Ariſtocratia ſub Spiritu Sancto. Ita M. Anton. de Dominis tam inſulsè, quam ingratè. Reſpondeo diſtin. mai. Regitur Spiritu Sancto inuiſibiliter, concedo; viſibiliter, & prout exigit Hierarchia, nego. Id enim facit Spiritus Sanctus per vnum Summum Paſtorem. Et quidem plurimi fuerunt Epiſcopi, qui errauerunt in Fide, vt Euſebij duo Ariani, Neſtorius, & alij. Quid agendum? Conuocare Concilium? Etiam illi poterunt conuocare, vt vbi ab Arianis congregatis Antiochiæ damnatus eſt D. Athanaſius, & patet ex hiſtorijs, tot eſſe Concilia eprobata. Ergo habendus eſt vnus Iudex, qui poſſit ſententiare de Concilio, vel Conciliabulo. Ergo impoſſibile eſt, ſecundum vitam præſentem eſſe Eccleſiam, ideſt communitatem ordinatam, rationabilem, à Deo formatam, quæ non ſit eo modo, quo eſt vnica Eccleſia Catholica Romana.



ARTICVLVS SECVNDVS.

Qui ſpectent ad Eccleſiam.

NOtandum, quòd accipiendo Fideles pro habentibus integram, & veram Fidem, viatoribus, optima erit ea breuiſſima definitio Eccleſiæ noſtræ ex Scoto 4. d. 19. quod ſit *Communio Fidelium*, vbi Communitas, ſeu communio ſit loco generis, in quo conuenit cum politica communitate, & cum Sectis profanis; per hoc autem, quòd ſit Fidelium, vt talium, habeatur differentia ab omni, ſeu politico, ſeu profano. Quòd autem ſoli nos Eccleſiæ Romanæ ſimus Fideles, ideſt habeamus Dei Gratia veram Fidem; ita quod, quidquid noſtræ contradicit, ſit perfidia, videbitur alias; dum ſpectabuntur Diuinæ Notæ nobis ſolis competentes.

Not. 2. quòd dupliciter communicant homines cum Capite Communitatis; videlicet internè, volendo conformiter ad eius ordinationem, & externè, per actus ſenſibiles operando conformiter ad ipſam. Intus ergo communicamus cum Pontifice, credendo, quæ ipſe ſupernaturaliter credit, & conſentiendo præceptis, quæ iubet; extra autem, adhibendo ea Sacramenta, quæ nos ipſe docet, & obſeruando leges, quæ ab ipſo nobis proponuntur.

Not. 3. cum Scoto 4. d. 1. q. 3. quòd congruum eſt ſectatoribus vnius profeſſionis, habere aliquod ſenſibile ſignum, quo ab alijs diſtinguantur; quia ſic ſe mutuò dignoſcentes, iuuant ſe mutuò, ad conſeruationem ſuæ communitatis; proinde Apoſtoli condiderunt Symbolum *Credo* recitandum à Fidelibus. Immò adde, eſſe neceſſariam aliquam ſenſibilem teſſeram ſuæ profeſſionis, ſeù diſtinctæ communitatis, vt ita ſit ordinata; aliàs eſt imperfecta, immò inordinata, & inhumana. Hinc Aug. 19. cont. Fauſ. *In nullum nomen Religionis coagulari poſſunt homines, niſi ali-*

quo-

quorum signorum, velut Sacramentorum visibilium, consortio colligentur. Ità planè habuit Synagoga suas Cæremonias, habet Ecclesia à Christo suas Sacramenta.

Not.4. varias de præsenti articulo fuisse hęreses. Pelagiani aiebant, Ecclesiam esse ex solis perfectis absque peccato, vt refert D.Aug. 88. de hęres. idemque antea asserebant Donatistæ. Nouatiani reijciebant de Corpore Ecclesiæ lapsos à Fide, etiam resipiscentes, vt habet Aug. 69. de hęres. Vuiclef, Hus, Luther. Calu. aiunt, Ecclesiam constare è solis prædestinatis.

CONCLVSIO.

Membra Ecclesiæ sunt, quicumque communicant cum Christi Vicario in Sacramentis, & ipsum tanquàm Pastorem agnoscunt; adeoque peccatores quantùmuis graues spectant ad Ecclesiam, non autem non baptizati, vel qui post Baptismum amiserunt Fidem per hæresim, aut apostasiam, vel schismatici, vel denique excommunicati. Hæc pars de Hæreticis, & Apostatis est contra Alphonsum de Castro, qui lib. 2. cap. 24. censet, eos esse in corpore Ecclesiæ, sed vt membra mortua.

Prob. itaque, peccatores esse membra Ecclesiæ. Christus Mat.13. assimilat Ecclesiam Sagenæ congreganti pisces bonos, & malos, atque in his malis intelligit peccatores mittendos in ignem. Item Mat.25. decem Virginibus, quarum quinque prudentes, & quinque fatuæ; ergo, vt concludit D.Gregor. in Ecclesia reprobi cum electis admixti sunt.

Prob. quòd non baptizati, puta Ethnici, Turcæ, Iudæi, non sunt de Ecclesia. Euidenter patet, eos non esse de communione Fidelium, non enim ingressi sunt ianuam Communionis, videlicet Baptismum; cùmque in nullo Sacramento communicent, non habent titulum, quo spectent ad Rempublicam, eiusuè Rectorem Pontificem. Quilibet vtique, seù adultus, seù paruulus, dum baptizatur, fit membrum Ecclesiæ, seù intrat in Ecclesiam, & durat pro hac vita, quousque per actum infidelitatis, vel Schismatis egrediatur, vel per excommunicationem eijciatur.

Prob. igitur de his. Concilium Nicæn.cap.19. determinat, posse hæreticos recipi in Ecclesiam sub certis conditionibus, si velint redire; ergo supponit, eos esse extra ipsam, & quidèm rebellis Reipublicæ non est in corpore ipso Reipublicæ, sed se ab eo separat. De schismaticis idem habetur cap. *Schisma* 24.qu.1. eos nempè esse extra Ecclesiam, & planè est extra ouile, qui non subest regimini Pastoris. De excommunicatis idem habetur cap. *Canonica* 11.qu.3. quod repulsi sunt de Ecclesiæ gremio, donec corrigantur; & quidem non communicant actu in Sacramentis, quorum essent capaces.

Obij. ex Io:8.vbi peccatoribus dicitur, *Vos ex patre diabolo estis*, ergo hi non spectant ad Matrem Ecclesiam. Confir. ex D.Hier.ad Rusti. epi.46. *Eos plange, qui per scelera, atque peccata egrediuntur de Ecclesia*. Præterea dicitur

citur Ephes. 5. Christi sponsam *esse Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam*; ergo maculati peccatis non spectant ad Ecclesiam. Denique ait Aug. 2. cont. Crescon. 21. *Damnati à Christo in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia*; ergo soli prædestinati spectant ad Ecclesiam.

Respon. Idem potest esse filius Dei ratione Fidei, & exterioris obedientiæ exhibitæ Pastori, & filius Diaboli ratione peccati mortalis, quod fit in eo genere, non separante ab Ecclesia. Optimè Aug. trac. 12. Ioa: *Quasi duæ res sunt, homo, & peccator; quod audis homo, Deus fecit, quod audis peccator, ipse homo fecit*; sic planè, quasi duo filij sunt Catholicus, & peccator; quod est de Catholico, est filiatio Dei; quod est de peccatore, est filiatio diaboli; ob quam fiet diaboli hæres, qui fuisset hæres Dei. Ad Confir. ex Hiero. dico, quòd peccator egreditur de Ecclesia, quo ad fructum, non quo ad titulum, sicut potest dici egressus de Vrbe, & factus aduena errabundus, qui patrimonium prodegit. Ad illud Pauli; quamuis D. Hieron. Augus. Ber. & alij accipiant de Ecclesia triumphante in Cælis, concedo cum Chrysostomo, accipiendum etiam de militante; & dico eam esse absque macula, quo ad iustos in executione, quo ad peccatores in Christi intentione; sicque sensus est, quod quantum spectat ad Christum, fecit ipse Ecclesiam immaculatam. Ad illud Aug. sensus est, reprobos non esse in Ecclesia, quo ad fructum suum, & eo modo, quo boni; nam vt ait Tract. 3. Io. sunt peccatores reprobi in Ecclesia, tanquam humores corrupti manentes in corpore.


Obij. 2. Hæreticus est veluti membrum aridum recidendum; ergo adhuc spectat ad corpus Ecclesiæ. Respon. dist. antec. cum Driedone, Bellarmino, & alijs; loquendo de hæretico occulto, concedo; de publico, nego; Etenim est membrum separatum; quare Sco. 4. d. 5. qu. 2. appellat hæreticum præcisum ab Ecclesia. Si itaque iuxta allegoriam Pauli 1. Cor. 12. *In vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus*; talis erit analogia. Corpus Ecclesiæ sunt fideles habentes Sacramenta, & externam Fidei veræ professionem, anima Ecclesiæ est fides interna, & obedientia Summo Pontifici; ergo membra sana sunt fideles iusti, membra ægra fideles in mortali peccato, membra mortua recidenda excommunicati occulti, vel qui occultè abiecerunt Fidem, membra recisa excommunicati publicati, vel declarati hæretici, aut schismatici.

Obij. 3. Excommunicatus moriens contritus saluatur; atqui extra Ecclesiam non est salus; ergo ille spectat ad Ecclesiam. Respon. distin. cons. in puncto conuersionis spectat ad Ecclesiam, vt refertur ad Christum caput primarium, concedo; vt Ecclesia refertur etiam ad caput Vicarium, nego. Hanc distinctionem habeo ex D. Hieron. quippè Epis. 120. ad Principium ait Ecclesiam fundatam in Christo; *Quæ iam super petram Christum stabili radice fundata est, Catholica Ecclesia*, & Epi. 54. aduer. Montan. inquit, esse fundatam in Petro; *Apostolus Petrus, super quem Dominus*

nus fundauit Ecclesiam. Dico itaque, quòd aliquis potest saluari extrà Ecclesiam, vt fundatam in Petro, si videlicet sit in Ecclesia, vt fundata in Christo, & à Christo habeat gratiam, sitque excusatus de impotentia essendi in Ecclesia, vt fundata in Petro. Ita sunt infantes baptizati ab hæreticis, & schismaticis; ità hæretici, & Schismatici laborantes ignorantia inuoluntaria, & inuincibili; vndè,& saluari possunt, si benè viuant. Pertinent ergò ad Ecclesiam inuisibilitèr, licèt relecti visibiliter de Ecclesia visibili, per Christum fundata in Petro; vndè ait de excommunicatis Aug cap. vlt. de Vnic. Eccl. *Excommunicari est visibiliter præscindi ab Ecclesia*.

Obij. 4. Cathecumenus carens baptismo, si moriatur credens in Christum, & optans Baptismum, iustificabitur baptismo flaminis, & saluabitur; ergo spectat ad Ecclesiam. *Resp.* dist. cons. in puncto iustificationis spectat ad Ecclesiam inuisibiliter, idest ad cætum coniunctorum cum Christo mediatè, videlicèt, mediante hierarcha ab eo instituto, nego.

Quæres; An Ecclesia veteris Testamenti, seù Synagoga fuerit vna Ecclesia cum nostra. *Resp.* Fuit vna eadem obiectiuè, seu terminatiuè, at diuersa formalitèr; quo pacto est idem, & est diuersum iter nauis in fluuio, & currus in ripa fluuij ad eandem vrbem. Credebant enim illi veteres eadem mysteria, ac nos, licèt minus explicitè proposita, credebant in eundem Christum, quem expectabant. Sed erant diuersa Sacramenta, & ritus, & quodammodo regimen, adeòque diuersa Hierarchia Ecclesiæ. Dicitur Christus Lapis angularis, quia iunxit vtrumque testamentum, veluti geminum eiusdem domus parietem, adeòque vterque status veteris, & noui Testamenti potest dici vna Dei in Christo Ecclesia, sed sub duplici Herarchia; & quia hæc nostra est perfectior, nos per antonomasiam dicimur Ecclesia, illi veteres Synagoga,quòd significat Scholam, vndè & præclarè ait Paulus Gal.3. *Lex pædagogus noster fuit in Christo*, ducebat enim paruulos in Scholam.



ARTICVLVS TERTIVS.

Quando incæpit Ecclesia.

Notandum, quòd iam nunc ponimus explicationem paulo ante dictorum. Itaque, cum possit accipi Ecclesia Christi, vel in ordine ad Christum immediatè, vel mediatè, videlicet mediante visibili Hierarcha Vicario Christi, patet statim hæc duplex veritas. Primo, quòd ab initio Mundi statim creatis Angelis incæpit Ecclesia Angelorum immediatè respiciens Christum; quippè illis Deus reuelauit Verbum Incarnandum,

dum, iuxtà illud Heb. 1. *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit; Et adorent eum omnes Angeli Dei*, contra quod Christi mysterium Lucifer schisma fecit, & bellum contra Angelicam Ecclesiam concitauit. Secundo, quòd Ecclesia sub Vicario instituto à Christo incæpit in Apostolorum, vt discipulorum collectione, quando vocauit Petrum, & Andream. Restat ergo examinare, an status veteris Testamenti spectauerit ad Ecclesiam, & quando id incæperit.

Not. 2. cum Sco. 4. d. 1. qu. 3. quòd pro quocumque statu Mundi prouidit Deus homini media ad salutem; atque adeò post peccatum Adę statim pro filijs est à Deo institutum remedium, quod haberet rationem Sacramenti deletiui culpæ originalis. Procedente igitur tempore, communitas adhibens tale sacrum signum distincta erat à reliquis respuentibus; atque ità ea communitas habebat rationem Ecclesiæ, erat quippe *Communio Fidelium*, & quidem Ecclesiæ Christi, nam gratia conferebatur ob merita Christi præuisa, & acceptata à Deo.

Not. 3. quod ante Vocationem Apostolorum fuit triplex in Mundo status, videlicet, status Innocentiæ, status naturæ lapsæ sub lege tradita, qui & dicitur status legis Naturæ, ac demum status legis scriptæ per Moysen promulgatus, isque dicitur Synagoga; licèt quandoque Synagogæ vocabulo capiatur omne tempus ante Euangelium in statu ammissæ innocentię; vt vbi dicitur Synagoga typus, & vmbra Ecclesiæ Noui Testamenti.

CONCLVSIO.

CHristi Ecclesia in terris cæpit statim conditis protoparentibus Adamo, & Eua; post natos filios accepit aliam formam vsque ad Moysen; mox aliam vsque ad institutum à Christo Baptismum, estque hæc multo perfectior præcedente; deinde aliam vsque ad Christi Ascensionem; denique ab Ascensione est hæc forma præsens duratura ad vsque sæculi finem; atque ita à Mundi principio ad finem est vnica Ecclesia, sed diuersæ Hierarchiæ succedentes.

Prob. de statu Innocentię. In Adamo, & Eua fuit fides de Christo capite, nam vt ait D.Tho. fuit reuelatum Adæ innocenti mysterium Incarnationis; & maximè id conuenit in sententia Scoti dicentis, fore vt esset Incarnatio, etiam Adamo non peccante; ergo in illis duobus fuit *Communio Fidelium*, atque ita Ecclesia; licèt inadæquatè iuxtà eam Regulam Canonistarum, *Tres faciunt Capitulum*.

Prob. modo de statu naturæ lapsæ ab Adamo vsque ad Moysen. Erat Fides de Christo venturo Redemptore; nam cum prædixit Deus Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius*; Semen mulieris non concurrente viro, est Christus filius Virginis; & ipse habuit inimicitias, & victoriam contra semen diaboli, quod est peccatum. Habuit etiam Adam ritum, expiandi filios à peccato originali per fidem parentum, de qua Scotus 4. d. 1. qu. 3. aliàs defuisset certitudo medij ad salutem

lutem pro paruulis, qui vtique sunt capaces salutis; Ergo pro eo statu fuit Ecclesia Christi sub ea particulari forma.

Prob. de statu legis Mosaicę. In statu Naturæ fuerat Abramo data Circumcisio, quæ & retenta est in lege Mosis, at ordinata etiam sunt Moysi alia cæremonialia, & vnicus pro tota ea Religione Summus Pontifex Aaron, eiusque successio; atque hæc omnia respiciebant Fidem in Christum, iam Abrahę promissum de ea stirpe Gen. 12. *In te benedicentur vniuersę cognationes terræ*; quod expressum est Gen. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, Ergo eadem communitas credentium in Christum accepit nouam faciem.

Prob. de statu post aduentum Christi. Quando Christus collegit discipulos, cæpit præparare iam fidelium nouum modum vitæ: & instituto Baptismo, assignatum est suum distinctiuum; adeoque eidem præcessorum fidelium fini data sunt differentia media, rexitque per se ipsum Christus tales discipulos, quousque ascendit in Cælum; Ergo pro tunc habuere fideles distinctum modum viuendi spiritualiter; quamuis aliquandiù iste nouus compateretur in aliquibus, puta nescientibus hunc, illum veterem, vt ostendit Scot. 4. d. 3. qu. 4. denique Christus ascendens in Cælum reliquit suo Vicario Petro regimen visibile Ecclesiæ: Ergo tunc data est præsens forma Ecclesiæ duratura ad finem sęculi. De hoc tamen erit infra sermo, & clarior. Hinc dicitur Ecclesia nostra Noui Testamenti æterni, quatenus non est huic in vita præsenti status alius successurus. Et quoniam Sacramenta præsentia sunt faciliora, copiosorem Gratiam conferentia, & habemus ineffabile vnum, in quo veraciter continetur ipse Christus; idcirco, licèt eadem vna sit vetus, & noua Ecclesia, quoad obiectum Deum, & Caput Christum, tamen hæc noua adeo præcellit, vt dicatur lux, cuius illa fuerit vmbra. Ita vides illud à Scoto dictum 4. d. 1. qu. 3. §. de quarto, qualiter *Deus ordinatè agens procedit de imperfecto ad perfectum*.

Hæretici contendunt, æquales fuisse Dei fauores in Synagoga, ac in Ecclesia; vt à pari concludant, quod sicuti defecit à Fide Hebraismus, ita & Christianismus, atque obijciunt illud Deut. 4. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi &c.* At planè patet illorum fatuitas; nam ibi comparatur Synagoga idolatris Deos colentibus, non autem Christianis, de quibus tàm gloriosè vaticinatus est Isaias: & euidens est differentia Circumcisionis, ac Baptismi, & Sacrificij pecudum, ac Christi.

Interim oportet ratione euidenti sternere viam dicendis, & veluti dictorum præfigere Corrolarium. Totus Orbis iam protestatur debere esse in Mundo vnam Dei Ecclesiam; quippe nulla est natio, nullus homo ciuiliter viuens, & non brutaliter, qui non profiteatur aliquem Diuinum cultum, aliquam Fidem; adeoque omnes supponunt, dari inter homines verum, & iustum cultum Religiosum, atque adeo supernaturalem vitam; & quia multæ huiusmodi præsumptę sunt, & inter se diuersę; cum Veritas sit

vna, vna tantum erit vera Fides, & sana Religio Diuina. Hanc habentes voco Dei Ecclesiam, seù fidelium Communionem; ergo ex confessione totius Mundi concluditur, vnam solam esse Ecclesiam, cuius quidem membra non possunt esse, quicumque, vel eius Fidem negant, vel vnitatem non tenent, vel ab illa eijciuntur. Quoniam verò summa euidentissima Ecclesiæ Nota est esse Catholicam, seù Vniuersalem, si talis haberi possit; iam cæpimus id demonstrare in faciem omnium à nobis diffidentium, & tantam ostendimus Vniuersalitatem, vt Origo sit nostræ Ecclesię simul cum origine generis humani. Nulla secta retrocedendo poterit id proferre, vt suo loco videbimus.

Et quidem ratio naturalis conuincit, quod si homines nunc indigent Diuina Fide, cum à principio fuerint homines, vt modo, à principio indiguerint Fide. Ergo Deus prouidentissimus, sicuti nunc alicui communitati vult suam veram Fidem, etiam à principio, & semper voluit in hominibus veram Fidem. Ergo si reperiatur nunc in aliqua communitate Fides ipsa reliquis omnibus prior, in hac vtique erit Fides ipsa vera, iam olim data à Deo, eritque hęc Communitas Ecclesia Dei. Antiquitas itaque est euidentissimum Ecclesię Dei Argumentum.



ARTICVLVS QVARTVS.

An Ecclesia sit inuisibilis.

NOt. ex Scoto 4. d. 1. qu. 7. quod Deus nullo vnquam tempore Mundum reliquit absque Ecclesia, idest homines absque medijs ad salutem ęternam; adeoque post peccatum Adę exhibuit remedium, quod habuisse rationem Sacramenti, & fuisse signum sensibile, ostendit Scotus; vnde vbi D. Greg. 4. Mora. inquit, paruulos ante Circumcisionem institutam saluari potuisse in Fide parentum, explicat subtilis Doctor de Fide expressa aliquo sensibili signo. Semper ergo Ecclesia ratione signorum sensibilium fuit sensibilis, seu visibilis.

Not. 2. quod Hęretici nouatores, cum non possint ostendere vllam Communitatem ante Lutherum, quę profiteretur eas doctrinas, quas isti profitentur, manent euidenter conuicti, se esse tales, quales ipsi appellant eos, qui de ipsis exeuntes nouam professionem Fidei compingunt. Nè ergo concedant, se esse hęreticos, nouatores, desertores Ecclesię, de quibus instar illorum veterum hęreticorum, seù hęresiarcarum dictum sit 1. Io. 2. *Antichristi multi facti sunt. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum*; vt, inquam, adstruant, se esse Ecclesiam, & doctrinam suam esse Ecclesiasticam, seù Apostolicam dicunt, semper fuisse suam Ecclesiam, nempè pios Prædestinatos tenentes illam

illam doctrinam; at verò Ecclesiam esse inuisibilem, & delituisse multo tempore vsque ad Lutherum. Quam stulta sit hęc vertigo, patet manifestè; nam oppositi sunt contra se inuicem Sectarij, atque sicuti Lutherani illud asserunt, eodem iure asserent Caluiniani, eodem iure poterit quicumque hæresiarca producere nouam doctrinam falsam, & ex male intellectis, vel scripturis, vel Patribus eam colorare, ac dicere; semper eam doctrinam fuisse, & omni tempore perstitisse eam Sectam, eamque fuisse Dei Ecclesiam.

Not. 3. quod accipiendo Ecclesiam vniuersalissimè pro Regno Christi vtriusque sęculi, non est quærendum, an sit visibilis; patet enim esse ex parte visibilem, vt dicemus, & ex parte inuisibilem nobis; prout nempè habet eos, qui in Cęlo gaudent, & eos qui in Purgatorio expectant. Sensus ergo quęstionis est de Ecclesia militante, siue huius vitę. Et quo ad hanc, est aduertendum, quod aliud est spectare ad Ecclesiam visibilem, & aliud est spectare visibiliter ad Ecclesiam visibilem. Nam quidem iustificatus extraordinariè absque Baptismo fluminis, puta infidelis moribundus, conuersus corde, & desiderans spectat in eo puncto ad Ecclesiam, atque à Deo recipit cum habitu Gratię etiam fidem infusam, at spectat ad nostram visibilem Ecclesiam solùm inuisibiliter. Idem dicito de excommunicato contrito, qui per gratiam reunitur primario Capiti Christo, sed inuisibiliter. Ita quidem etiam in phisico visibili corpore sunt aliqua inuisibiliter, at sicuti ipsum corpus nostrum est visibile, quęritur, an corpus mysticum Ecclesię sit visibile, eo modo quo vna Respublica hominum est visibilis.

CONCLVSIO.

Ecclesia propriè dicta: seu hominum viatorum, non est inuisibilis, & sola cogitatione conceptibilis, sed verè est communitas hominum visibilis, videlicet signis visibilibus distincta à cæteris communitatibus. Contra Luth. Caluin. Brent. Melanchto, & alios nouatores.

Prob. ex Scriptura. Talis fuit Ecclesia, quæ posset habere Pastores, & Rectores, iuxta illud Act. 20. *Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopus, regere Ecclesiam Dei*; itemque posset persecutionem pati, iuxta illud 1. Cor. 15. *persecutus sum Ecclesiam Dei*; ergo fuit visibilis; ergo si euasit inuisibilis, amisit Pastores, adeòque & in genere communitatis, seu populi penitus destructa est. At contra patet ex ipsis vitijs Ecclesiasticorum, quæ in historijs recensentur, & à nouatoribus exaggerantur, qualiter omni æuo post Christum, & Apostolos, fuere tum Romæ, tum alibi populi habentes Baptismum, & Regimen Episcoporum; ergo in hac visibilitate nunquam desijt Ecclesia, dum à principio nunquam interrupta est collatio Baptismi, & Iurisdictio Episcopalis.

Nequeunt negare nouatores hanc continuam successionem euidẽtem per omnes historias, sed aiunt, in talibus defecisse veram Fidem. Contra. Vnde scis, perditam fuisse veram Fidem? Si ex eo quod per singula sæ-

cula natæ sunt hæreses, ergo aderat vetus vera doctrina publica, per cuius comparationem dignosceretur hæretica illa noua. Si nosti, euanuisse in omnibus Episcopis veram Fidem, quia tot sæculis antè Lutherum nullus Episcoporum professus est huius doctrinam; Hæc est manifesta petitio principij; supponis enim hanc doctrinam esse veram, ideòque dicis, latuisse in particularibus Christianis constituentibus Ecclesiam inuisibilem. At verò hoc restat probandum, esse veram hanc doctrinam, & Apostolicam, pro qua non potes afferre vllum Pastorem Ecclesiæ, cuiusmodi Pastores nunquam defuere. Si dicas, te habere Scripturam; iterum est petitio principij, nam quomodo scis eam esse Scripturam Dei? Quomodo distinguis libros Canonicos, puta Pentateuchum à non Canonicis, puta ab historia Iosephi Flauij Iudæi, vel à veteri Targum, seu Paraphraste? Vtique non est alia ratio, nisi traditio Ecclesiæ; ergo si Ecclesia antè Lutherum dabat testimonium libris Scripturæ, ad ipsam spectabat dare testimonium veræ explicationis, maximè quia omnes, qui habent Baptismum, prætendunt habere pro sua sententia Scripturam Sacram.

Deindè. Illa doctrina expositiua sensus Scripturæ, quam inuexit Lutherus aliusuè talis nouator; vel fuit huic ab alio præhabente tradita, & illi ab alio, & ita successiuè retrocedendo ad vsq; Apostolos; vel eam iste didicit, non per hominem, sed à Deo; si non didicit per hominem; ergo non habet propagationem descendentem ab Apostolis, & ita frustra asseris, eam doctrinam semper fuisse, at diù latuisse, Et ita quidem quilibet poterit dicere, suam doctrinam semper fuisse, at latuisse, & se à Deo de nouo excitatum. Si eam recepit nouator ab alio Doctore, oportet ostendat, à quo, & quomodo probare possit, se indè recepisse, talemque fuisse Catholicum, non Hæreticum.

Præterea probatur Conclusio. Omni tempore fuerunt Ecclesiæ materiales, id est, Loca Sacra, Templa, Basilicæ, in quas conuenirent baptizati, profitentes Fidem Christi; & Conuentus ille dicitur in proposito Ecclesia; atqui Conuentus in vnum locum est visibilis; ergo Ecclesia est visibilis. Neque dicat Lutherus, eos illuc conuenientes non fuisse veram Ecclesiam, vtpotè carentem vera Fide; nam contra. Erant Christiani quo ad Baptismum Si ergo errabant in Fide, erant hæretici. Iam nunc ostendat Lutherus, in quo errabant, & quis fuit author erroris, nam per singula Secula emerserunt errores contra Fidem, at scimus, quando, & à quo cæperint. Etenim cùm fuerint Ariani, Nestoriani &c. scimus quando, & per quos cæperint eorum hæreses. Si ergo Ecclesia nunc est visibilis, vt patet; nam Lutherani prætendentes, se esse Ecclesiam, sunt vna Societas visibilis, & nos sumus vna Societas visibilis; dum probabitur, quòd nos sumus Ecclesia, & quòd hæc semper fuit, probatum erit, Ecclesiam esse, & semper fuisse visibilem.

Ergo optimè August. ad illud Psalm. 18. *In Sole posuit tabernaculum suum;*

suum; & Epist. 166. ad Donatist. inquit; *Ipsa Ecclesia in Sole posita, hoc est in manifestatione, omnibus nota vsque ad terminos terræ*. Huius Solis lumen est ipsum nomen Catholici, quod est visibile, nempè videtur ille, qui se profitetur Catholicum. Hoc nomen non cæpit æuo Lutheri, sed erat antea, & fuit semper ad tempora vsque Sanctorum Patrum, vnde August.de vera Relig. cap. 7. *Catholica nominatur, non solum à suis, sed etiam ab omnibus inimicis*; & Chrysost. ho. 33. Act. Apost. conferens hæreticos ait; *Illi habent quosdam, à quibus appellentur; prout enim hæresiarchæ nomen, ita & Secta vocatur; nobis autem nullus vir nomen dedit, sed Fides ipsa scilicet Catholica*. Si ergo ab initio erat Ecclesia Catholica, antequam prorumperent, vt prætendit Lutherus, dogmata Romanorum, quomodò retinuit Ecclesia Romana agnomen Catholicæ, & non de nomine hæresiarchæ venit appellatio? Quomodo omnium hæresum notati sunt authores, & de loci, vel personæ nomine appellati sunt Sectarij, quibus nunquam cessit agnomen Catholici, atqui ex opposito, Romani, nescitur à quo fuerint corrupti in Fide, cum tamen tot Schismata antipontificum singillatim recenseantur, & semper tenuit agnomen Catholicæ Ecclesia Romana?

Obij. Lex vetus dicitur scripta in tabulis materialibus, at lex noua, vt habetur Ierem. 31. *In cordibus*; ergo Synagoga erat visibilis; Ecclesia autem inuisibilis. Resp. neg. cons. siquidem differentia legis Mosaicæ, & Euangelicæ est, quòd illa lex timoris, & grauis, idque fuit Mysterium, scribendi in tabulis lapideis; at lex Euangelica est lex amoris, ideòque dicitur scripta in corde. Non enim iubet Circumcisionem, & dispendiosa Sacrificia pecorum, sed facillima Sacramenta, & plena gratijs, ac facile, & nobilissimum Sacrificium, trahens omne fidele Cor ad Dei Amorem.

Obij. 2. Luc. 27. *Regnum Dei intra vos est*; ergo est spirituale, & inuisibile. Item Io. 4. *Adoratores adorant in Spiritu*. Item 1. Pet. 2. est Ecclesia *Domus Spiritualis*. Item Heb. 12. *Non accessistis ad tractabilem montem, sed ad Sion Montem, & Ciuitatem Dei*. Resp. Licet Ecclesia sit visibilis eo modo, quo dictum est, tamen optimè dicitur Regnum Dei inuisibile, quatenus nempè Deus regnat in nobis per actus nostros interiores elicitos mediantibus inuisibilibus donis suis, adeòque, vt habet ille textus, Regnum Dei non venit cum obseruatione, quasi Deus visibiliter accedat regnaturus in nobis; Sed intra nos est voluntas, quæ si Deo obedit, iam Deus regnat in nobis. At non obstat, immò valdè congruit, vt illi, in quibus regnat Deus inuisibiliter, habeant socialitatem visibilem, & disciplinam sub visibili Pastore; quippè interiores potentiæ animæ mouentur ad operationes per præcedentes operationes sensuum pro statu isto.

Dum dicuntur veri adoratores adorare in Spiritu; Sensus est, quod illi tempore Synagogæ adorabant verè, & perfectè, qui per Fidem contemplabantur spiritualia significata in adorationibus sensibilibus latentia, puta in Sacrificijs, & alijs Ritibus. Quòd dicatur Ecclesia Domus spiritalis, est vti-

est vtique sensus; quòd sit domus, at allegoricè, non mæchanicè accipiendo, videlicet, pro familia seruientium, & obedientium Deo. Quod opponatur Sinai tractabili Sion spiritualis Mons; est sensus, vt patet ex textu, legem veterem terribiliter datam in monte materiali Sinai, nouam in Ecclesia dulciter, quæ est Sion, non quidem quasi dictata populis in vno monte materiali, sed in monte spiritali Ecclesiæ. Non ergo negatur visibilitas Ecclesiæ, sed materialitas montis, quasi Ecclesia sit ita Sion Mons, quomodo Sinai est mons.

Obij. 3. Tempore Eliæ latuit Ecclesia vetus, adeò vt 3. Reg. 19. diceret ille, se solum fidelem fuisse relictum, cùm tamen essent septem millia fidelium; Item Antichristi tempore delitescet, ergo potest esse verè Ecclesia, & esse inuisibilis. Resp. dist. cons. Et esse inuisibilis per accidens, concedo; esse inuisibilis per se, nego. Hoc est dicere; Fundata est visibilis, & sibi semper fuit, eritque visibilis, quamuis persecutoribus fiat inuisibilis, Neque tempore Eliæ fuit Ecclesia tota latens; sed solum in Regno Israel Samariæ, cæterum in Regno Iuda Ierosolymæ vigebat publicus Dei cultus. Ita tẽpore Antichristi non abscondetur vbiq;sed in loco persecutionis.

Obij. 4. Quòd creditur, non videtur; atqui creditur Ecclesia, ergo non est visibilis. Resp. dist. min. creditur Eccesia secundum aliquid Ecclesiæ, concedo, secundum totum, nego. Creditur enim, quòd Ecclesia sit à Deo, & quòd in ea est salus æterna; at ipse populus credens est visibilis, & visibilibus ritibus protestatur suam Fidem, puta Signo Crucis, recitatione Symboli, visitatione Templi, perceptione Sacramentorum &c. Ita plaudè in Baptismo aliquid est inuisibile, videlicet virtus Baptismi, & aliquid est visibile, nempè ablutio.



ARTICVLVS QVINTVS.

An Ecclesia potuerit, vel possit interire.

NOt. quod sensus est; an possit deprauari quoad doctrinam Fidei, & morum, seù de credendis, & de agendis; hoc enim sensu dicunt Nouatores, desijsse Ecclesiam ob peccata Pontificum à tempore D. Gregorij vsque ad Lutherum. Admiranda hęretici vecordia. Ergo vsque ad D. Gregorium fuere boni Pontifices, vera Fides; ergo à Christo relicta est Ecclesia sub cura Pontificis; ergo necessarius visus est Christo suus Vicarius pro bono Ecclesię. Iam dicat Lutherus, ad quid erat necessarius Papa per illos quingentos annos? Eadem enim necessitas erit hodie, & impossibile erit, Lutheranos, vel alios tales esse Ecclesiam; quippe in necessitate Pontificis eo carent, immo refutant, adeoque spontè volunt imperfectam familiam Christi; & non qualem fecit Christus.

Not. 2.

Not. 2. quod ex confessione ipsorum hostium fuit aliquandiù vera Ecclesia Romana; iam verò Ecclesiam Romanam dico omnes vbique agnoscentes Supremum in terris Pastorem Pontificem Romanum; & videndum nunc est, vtrum hæc præsens Ecclesia Romana sit illa eadem, quæ olim. Ostendant Hæretici, in quo differamus à primis Christianis Romanis, quod spectet ad Sacrum, seu Ecclesiasticum: Obijciunt vanitates, & peccata Vrbis; at hæc illorum est ridicula vanitas, confundere humanis Diuina, neque distinguere, vel inter bonos, & malos; vel inter doctrinam publicam, & vitam priuatam; vel inter Ecclesiam, & aulam. Repræhendant, si possunt de mendacio. Quare dicendum cum Scoto quol. 14. §. de primo. *Ecclesia Catholica est Communitas maximè verax; quia illa maximè veritatem commendat, & mendacium reprehendit. Igitur eius testimonio certissimè credi potest; præcipuè in illis, in quibus illa plus damnat mendacium, puta de his, quæ sunt Fidei, & morum.* Quantum zelet pro veritate, patet ex tot Concilijs, tum Generalibus, tum particularibus per singula sæcula, & damnatione omnium insurgentium errorum.

Not. 3. quòd inter cæteras necessitates Pontificis perseuerantis in Ecclesia, est præcipuè infallibilitas veritatis Fidei respectu totius Communitatis. Cum enim Deus velit Fidem, vt medium necessarium ad salutem, ex alia autem parte possit quis ex ignorantia in aliquo articulo errare; impeditur omnis talis error per professionem generalem, credendi, quod credit Ecclesia, vt bene notat Scot. 3. dist. 25. §. sed est. Adeòque pertinet ad Dei Prouideutiam, vt semper sit in Ecclesia Fides vera, & sit vnus Iudex infallibilis in iudicio Fidei, alias dicendo quis, Credo, quod credit Ecclesia, nullam haberet certitudinem, se rectè credere; quilibet enim particularis potest errare. Quando ergo dico, Credo, quod Ecclesia; Sensus est Credo firmissimè, eam propositionem esse veram, quam Romanus Ecclesiæ Pontifex proposuit aliquando, vel proponet credendam, loquens ex Cathedra. Ita quidem sum securus, alias verò non; quippè nequit regula Fidei esse Prædicator, vel Episcopus inferior Pontifice, nam constat, horum aliquos contraria sibi mutuò docuisse, ideòque & fuisse declaratos hæreticos ipsis primis Ecclesiæ temporibus. Nec valet recurrere ad spiritum priuatum, seu ad inspirationem sibi à Deo datam; siquidem etiam hæreticus prætendet habere veram inspirationem; & quilibet fidelis videns, se aliquando ex ignorantia errasse, non poterit hic & nunc esse certus, an verum sit id, quod credit, vtpotè non expressum in Symbolo Fidei: neque ad eum spectat iudicare, numquid inspiratio Diuina, an illusio diabolica sit; quippè multi sæpè seducti sunt. Ergo oportet, vt sit vnus infallibilis indiuiduus Iudex, in quem refundatur tota regula Magisterij Doctrinæ Fidei; idque non virtute sui studij, & humanæ litteraturæ, sed præsidio assistentiæ Diuinæ.

CONCLVSIO.

ECclesia Romana, seu Catholica nunquam defecit, vel deficere potest. Contra Nouatores, & contra Veteres Donatistas, qui aiebant, defecisse Romanam Ecclesiam, & mansisse Ecclesiam veram solum in aliquibus iustis in Africa.

Prob. quòd nunquam defecit regimen, quia semper successit Romæ Pontifex agnitus vt Caput visibile Ecclesiæ. Ordo successionis Pontificum Romanorum patet ex historijs; recognitio primatus huius Sedis liquet ex actibus tot Conciliorum, & scriptis tot Patrum omnis æui. Item probo, quòd nunquam defecit Sanctitas personalis; nam per singulas ætates floruerunt Viri Sancti, & plurimi simul etiam doctissimi, in testimonium Diuinum eius promissi nunquam irritati. Math. 28. *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem Sæculi*; idque intellexit Dominus etiam de perpetua mansione, per Gratiam Sanctitatis in aliquo è membris Ecclesiæ. Fuerunt autem de Ecclesia Romana tot Martyres, tot Episcopi, tot Confessores claustrales, & etiam extra claustra, tot Virgines, aliæque Sanctæ Mulieres, quarum animarum Sanctitatem negare est summæ insaniæ argumentum.

Probo præterea, quòd nunquam defuit vera Scriptura, nam Sectæ præsentium Nouatorum habent scripturam, quam dicunt esse veram; atqui ea scripta est ab antiquo; ergo eam, quam habent intactam, habuerunt Christiani intermedij inter Apostolos, & Nouatores. Item, quòd nunquam defuit vera intelligentia Scripturæ à Deo intenta; nam, si post Apostolos in Ecclesia Romana fuit aliquis Pastor errans circa Fidem, & docens dogma falsum, assignetur, quis fuerit, & quando ille author falsi dogmatis, & quodnam sit hoc dogma falsum.

Dicunt hæretici, imperceptibiliter obrepsisse errores nostros, ideò, nec posse assignari, quando cæperint, vel à quo. Contra. Hæc est fuga desperata; nam gratis asseritur, quod non probatur ab accusatore; estque censenda calumnia. Patet ex historijs, quanta semper fuerit Episcoporum cum Romano communicantium diligentia pro sinceritate Fidei; patet vtique ex tot Concilijs per omnes ætates. Quod si in tanta diligentia potuit insensibiliter deprauari Fides; ergo nequeunt Sectarij esse certi de sua Fide: an sit Apostolica, an verò deprauata per posteriores. Ecquis enim certificabit, deuenisse ab Apostolis doctrinam Lutheri, maximè cum ex ipsis Sectarijs hostibus Ecclesiæ Romanæ illam damnent? Non valet dicere, se habere Scripturam; tum quia etiam Romani omni æuo habuere Scripturam, & tamen insensibiliter potuerunt, vt tu dicis Lutherane amittere verum eius sensum; tum quia, si potuit deprauari in tanta diligentia ipse Scripturæ sensus, potuit deprauari insensibiliter ipsa Scriptura: & ita neque possunt Sectarij esse certi de libro ipso materiali Sacræ Scripturæ.

Probo denique, quòd Ecclesiæ nequit deficere in esse veræ Dei Ecclesiæ,

&

& ita in Doctrina Fdei & morum, seu de credendis, & agendis pro conse, cutione nostri vltimi Finis. Deus Sapientissimus, & prouidentissimus non frustra reuelauit Fidem, sed vult eam esse medium ad salutem iuxta illud Hebr. 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo*; & planè clamant Hæretici, quasi Zelotes pro Fide. Iam verò Communitas habens veram Fidem est Ecclesia; & vsque ad consumationem Sæculi erit vera Fides inter homines, ergo erit Ecclesia. Quòd vsque in finem sit duratura vera Fides, probatur. Vsque in finem Sæculi erunt homines saluandi, quantum est ex parte Dei iuxta illud 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*; alias, si vltimi temporis homines non possent saluari, conseruaretur Mundus crudeliter eousque, vt nempè dumtaxat augeretur numerus damnatorum; ergo vsque tunc erunt media necessaria ad salutem, cuiusmodi est Fides.

Confirm. ex Matth. 16. de Ecclesia, *Portæ inferi non praualebunt aduersus eam*; ergo per contraria non destruetur vnquam. Hinc August. l. 1. de Symbol. ad Cathecum. *Ipsa est Ecclesia Sancta, Ecclesia vna, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans. Oppugnari potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa prodiernnt, tanquam sermenta inutilia de vite præcisa; ipsa autem manet in radice sua, in Charitate sua; portæ inferorum non vincent eam*. Vtique sermenta inutilia prius arida amiserunt Fidem priuatè, mox publicè resecta sunt, & separata de Vite Ecclesiæ: ideòque ait D. Ioan. *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis*, nam ideò prodierunt separati hæretici, quia prius se ipsi separarunt amittendo Fidem. Conclusum est ergo, Ecclesiam esse indefectibilem; superest videre, quis populus ostendere possit, se esse Dei Ecclesiam, idque ex parte vidimus, & clariùs Articulo sequenti.

Obij. Scriptura, & Patres assimilant Ecclesiam Lunæ, ergo est defectibilis, & passa ecclipsim. Item Adam, & Eua erant tota Ecclesia, & errauerunt ambo, ergo tota Ecclesia potest errare. Item tota Ecclesia veteris Testamenti errauit in Fide adorando vitulum aureum Exo. 32. Resp. Assimilatur Lunæ non quo ad defectus, sed quia, vt Luna habet lumen à Sole, sic Ecclesia à Christo, vt ait August. in psalm. 10. vel quia, sicut à nouilunio crescit, quousque appareat plena lumine, sic Ecclesia de paucis, & pauperibus collecta creuit in tantum splendorem, vt inquit idem August. in psalm. 103. Quod dicitur de Adamo, nil vrget; nam erat ea Ecclesia solum in informi rudimento, quippè tres saltim faciunt Capitulum; & præterea, neque tunc ambo errauere in Fide, nam Adam non credidit, se posse euadere, quasi Deum ex pomi esu; vndè ait Paulus 1. Tim. 2. Adam non fuisse seductum. Neque verum est, totam Synagogam adorasse vitulum, nam nec Moyses, nec Iosue, nec Leuitæ criminis vltores, vt patet Exo. 32.

Obij. 2. Synagoga tota in Concilio solemni Io. 11. cum Caipha errauit, condemnando, seu repudiando Christum; ergo tota Ecclesia potest errare.

Item Mat. 26. Apostoli omnes scandalum passi dimiserunt Christum: Item Marci vlt. exprobata est eorum incredulitas. Respond. Illud fuit Concilium materialiter dumtaxat, non formaliter; quia, nec inuocato Deo, nec Diuino motiuo agebatur, sed solum politico; vnde & dicebant, *Venient Romani, & tollent locum nostrum*, adeoque non errauit Ecclesia. Nec ibi prænaluit error contra doctrinam Christi, sed odium ad sententiandum contra vitam Christi. Deinde iam tunc erat à Christo instituta Ecclesia Noui Testamenti, iam instituto, & multis collato Baptismo, & ita nil refert, si concedamus, tunc errasse totum illud Concilium, quod non erat legitima, sed solum permissa Ecclesia, quousque legitima Christi Ecclesia publicaretur. Quo ad Apostolos, eorum fuga tempore Passionis Christi non fuit infidelitas opposita Fidei Ecclesiæ, sed fidelitati amicitiæ, nam neque dubitarunt de Doctrina Christi, nec imitati Iudam proditorem, transeuntem ad aduersarios, nec denique fuit in illis formalis pertinacia, per quam Fides amittitur, sed vehemens animi turbatio. Cæterum semper in Virgine Maria, in Ioanne, Magdalena, Iosepho ab Arimathia, & alijs mansit illibata & Fides, & fidelitas. Ita ergo exprobata est incredulitas non credentium testificantibus, Christum surrexisse; at vel ea incredulitas non habuit pertinaciam, qua abijceretur Fides, vel dato, eos pro tunc amisisse Fidem, non amiserunt alij, qui eis prædicabant.


Obij.3. Prædicitur Dan.12. fore anferendum *iuge sacrificium*; & Luc.18. ait Christus, *Filius hominis veniens, putas, inueniet Fidem in terra*? ergo erat Ecclesia amissura sacros ritus & Fidem. Resp. vel est prædictio de iugi Sacrificio holocaustorum hebraicorum, de quo ibidem cap. 9. *In dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium*; vel sensus est, quod, furente Antichristo, deficiet in terra suæ ditionis exercitium publicum Missæ, vt erat sub Imperatoribus persequentibus Ecclesiam. Illa Christi verba videntur prædicere tepiditatem in oratione temporibus persecutionum Antichristi, & nomine Fidei accipit feruorem deprecandi. Vel si de Fide strictè accipiantur, sensus est, fore tantam fidelium stragem, vt videatur destructa à persecutore Antichristo.

Obij.4. Sancti Patres dicunt, sæpe Ecclesiam defecisse. S.Hieron. dial. adu. Lucif. narrat, quomodo in Synodo Ariminense decepti sunt Catholici fraudibus Arianorum, Valentis, & Vrsacij; quarè Ingemuit terrarum orbis, & esse se Arianum miratus est; Et tunc Vniuersalis Ecclesia errauit. Resp. non dicunt de Ecclesia in toto, vel in Capite Romano, sed de membris, puta de Constantinopolitana, Alexandrina, & huiusmodi. Vbi verò D.Hieron. ait *Ingemuit totus Orbis, & Arianum se esse miratus est* figuratè loquitur per Synechdochen, quia maxima pars Episcoporum Catholicorum decepta mansit; attamen Arianismo dumtaxat materiali, subscribentes huic propositioni, amphibologicæ, *Verbum non est Creatura, sicut aliæ Creaturæ*. In hac Ariani intelligebant affirmare Verbum Creaturam, sed

nobi-

nobiliorem, at Catholici negare quouis modo; quarè nec errauère in Fide.

Obij. 5. In Concilio Generali Basileæ depositus est Eugenius Quartus cum adhærentibus, tanquàm hæreticus, ac substitutus est Fælix; ergo ex tunc Cardinales ab eo designati sunt illegitimi, & consequenter Pontifices per hos electi, sicque defecit tunc verum caput in Ecclesia Romana. Resp. ad hoc argumentum, à Caluino appellatum fortissimum, at planè imbecillum, & nullum: non fuisse verè depositum Eugenium; quia licèt esset ab initio Concilium legitimum, vtpote congregatum authoritate eiusdem Eugenij, tamen desciuit in Conciliabulum, antequàm tentaret contra Eugenium. Hic etenim iusserat, vt ille conuentus indè migraret Ferrariam; atqui nolentes obedire, euasere cætus Schismaticus; desijtque esse Concilium. Et quidem, iam digresso Legato Eugenij, ac pluribus Episcopis, in horum locum suffecti sunt simplices presbyteri inordinatè, & absque legitimo iure, sicque processerunt ad Eugenij depositionem æque temerariam, ac inualidam.



ARTICVLVS SEXTVS.

Quibus Notis dignoscatur vera Dei Ecclesia.

NOt. quod iam hic primus est, & vltimus disputandi punctus, resoluens omnem dubitationem. Iam supponit totus Mundus in plures diuersas credendi Communitates diuisus, dari nunc in vna ex his veram Fidem, adeoque hanc Communionem Fidelium esse Dei Ecclesiam. Superest ergo videre, quæ sit illa, quæ pro se afferat manifestum, & indubitabile argumentum. Optimè ait Scotus 3.d.24.§.Ad propositum, quod *Argumentum est de re aliqua faciens Fidem*; nempè ratio tollens dubitationem. Oportet ergo, vt innitatur principio euidenti, aliàs nulla erit certitudo consequentis; neque est verè argumentum, sed mera coniectatio, vbi ex obscuro principio quidpiam deducitur. Fides itaque, cum sit obscura, non potest sibi facere argumentum, sed requirit aliquod euidens signum in Ecclesia, per quod concludatur, hunc esse populum, cui locutus est Deus, atque adeo doctrinam, quam hic profitetur de Fide, esse reuelatam à Deo.

Not. 2. qood iuxta illud psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, habet Fides Dei ineuidens euidentem credibilitatem, nè sit irrationabilis, sed prudens ostendat motiua sic credendi. Quæcumque autem signa comprobant Scripturam, eadem etiam approbant Ecclesiam, & viceversa, eo quod Fides, & Ecclesia sibi mutuo sese communicant, vt anima, & corpus. Attamen habet Scriptura Sacra suas notas peculiares, & Ecclesia suas; quamobrem vanè nobis obijcit circulum vitiosum Paræus Caluinista, quasi probemus Ecclesiam per Scripturam, & viceuersa circulariter Scripturam

per



per Ecclesiam. Non ita agimus; quippe Scripturam vtique probamus per Ecclesiam, & ipsam Ecclesiam per sua signa nunc afferenda; at vero ipsum nomen Ecclesiæ, eiusque originem, & in ipsa origine formam ostendimus descriptam in Sacro Libro, cuius denique credibilitatem demonstramus per sua propria euidentia signa. Ista quidem appellari potest moralis demonstratio à priori, vt aiunt Scholastici; nam prior est Ecclesia, nempè homines, quibus locutus est Deus, quàm sint libro descripta hæc diuinitus reuelata, & commendatus sit Ecclesiæ ipse liber Scripturæ; At vero veluti à posteriori fieri potest demonstratio, si statim differentes de ipso libro, seu de Fide ibi contenta, probetur eius origo à Deo proueniens, adducendo eius propria signa diuina; deinde concludamus, illam ergo esse Dei Ecclesiam, quæ habet, ac profitetur talem librum, cuius demum populi distantiam præ alijs demonstremus ex ipsius proprijs notis,

Not.3. quod de Scripturæ notis agetur in tractatu sequenti, nunc autem considerandæ sunt notæ Ecclesiæ; vtpotè de qua est sermo, & quarum est etiam sensibilior euidentia. Lutherus, Calui. Brent. Confessionistæ Augustani, & Magdeburgen. assignant pro notis Ecclesiæ sinceram doctrinam Verbi Dei, legitimum vsum Sacramentorum, & his similia. Verumtamen committunt manifestam petitionem principij, nec afferunt argumentum certificans vllo modo. Etenim, si inter nos, & illos est controuersia, quæ ex his communitatibus sit Ecclesia Dei, iam nequit tolli hæc dubitatio per aliud, de quo item disputetur. Siquidem etiam contendimus, vtra doctrina sit sincera, & à Deo; quænam Sacramenta Christus instituit &c. Quoniam ergo, quod est in quæstione, nequit sibi facere argumentum, seù esse testimonium; dum vtraque pars prætendit habere veram doctrinam, & vera, ac omnia Sacramenta, oportet ista probare per signum aliquod clarum, & indubitatum, & hoc erit signum Ecclesiæ.

CONCLVSIO.

NOtæ, seù signa Ecclesiæ Dei sunt; Modus ampliationis, Conuersio aduersariorum, Consensus populorum, Mnltitudo Sanctorum, Miracula, Antiquitas; in quibus omnibus reperitur ratio Catholica, seù Vniuersalis; quarè vnica Ecclesię Nota est esse in omnis Laudis genere Catholicam. Hæc Conclusio demonstratur, dum per singulas partes explicatur.

De modo ampliationis. Nulla gens habuit vnquam amplitudinem Ecclesiæ Romanæ, nulla Secta habuit sic diffusos professores tot annis, & tanto numero, vt patet hodiè conferendo quotquot adsunt, & relegendo scriptas memorias. Ipsa Idololatria non ita creuit; quippè, etsi totum fere Orbem occupasset, in sectas tamen innumeras per singulos populos diuidebatur, puta Persæ Solem, Aegyptij Apim bouem, alij aliter delirabant colentes. Quod olim de Fide Catholica dixit Augustinus, perseuerat; inquit enim lib. de vtil. cred. *Imperitum etiam vulgus marium, fæminarumque in tam multis, diuersisque gentibus, & credit, & prædicat.* Iam verò

quomo-

quomodo hæc exuberantia? Non per arma, vel oblectamenta, vel conſcientiæ libertatem. Mahometes traxit licentia libidinum, & ferocitate armorum; nec tamen eſt vna omnium Secta poſterorum; Lutherus, & alij nouatores, fauore potentum, quos ineſcauit cupido ſupellectilis Eccleſiaſticæ, itemque libertate vitæ, & tot armorum tumultibus: attamen ſingulæ ſectæ modicæ ſunt; Arius item fauore, & ſeditionibus; & prorſus idem fuit omnium hęreſum incrementum, attamen tot Sectarum vix nomina ſuperſunt. Dicant nunc hæretici, quomodo ampliata ſit Romana Eccleſia, per quæ bella primum pedem fixerit quomodo tot diuerſa Regna ſubdiderit legibus contrarijs naturali inclinationi carnis? Hinc optimè Auguſtinus cont. Epiſ. fund. *Quis tantam multitudinem ad peccata pronam, ad legem contrariam carni, & ſanguini ſeruandam induceret, niſi Deus?*

Obijciunt Lutherani, quàm citò in Germania tantus populus ſecutus ſit Lutherum. At optimè huic obiectioni reſpondit ſemel Thomas Morus in Anglia Martyr; ſic eſſe id mirabile, quomodo deſcenſus lapidis deorſum; naturale ſiquidem eſt currere libenter, vbi laxantur fræna concupiſcentiæ, & iugum excutitur Obedientiæ. Quod ſi obijciant Catholicorum multorum vitia: per hoc vtique comprobatur excellentia profeſſionis obſeruatu difficilis, tantoque laudabiliores effulgent, qui dogma Catholicum adimplent. Cæterum concluſum eſt primò, Romanam Eccleſiam eſſe Catholicam in multitudine profeſſorum huius Fidei.

De conuerſione aduerſariorum. Eſt maxima luminis naturalis, & ſpectans ad Dei bonitatem illa, quam profert Scotus qu.2. prol. §.decimo. *Deus non deeſt quærentibus toto corde ſalutem.* Exemplum habes conuerſorum ad Eccleſiam, in Eunucho Candacis Act.8. in Cornelio Centurione Act.10. in Dionyſio Areopagita Act.17. in Auguſtino, & alijs, qui ad Fidem Catholicam venerunt, eo quod ſalutem æternam optauere; ac tale verum deſiderium monſtrauit vita ſubſequens continentior, & humilior. Oſtendant iam infideles vnum, qui zelo perfectionis abiurauerit Eccleſiæ Romanæ, qui poſt diſceſſum factus ſit continentior, aut humilior. Motiuum nouæ Sectæ ipſam prodit. Lutherus contra Echium agens de ſua reformatione ait diſp. 1. *Hæc cauſa, nec propter Deum cæpta eſt, nec propter Deum finietur*; & in lib. de Miſſa angulari inquit, diabolum, & ſe eſſe familiares, & quod plus vno ſalis modio ſimul comederint, adeoque *diabolum nocte quadam ipſum à ſomno excitaſſe, & ad ſcribendum contra Sacrificium Altaris ſuaſiſſe.*

Obijcient fortaſſe eleemoſynas, aliauè bona opera hæretici, dum carpunt vitia Romanorum. At hoc delirantium eſt, quippè etiam idololatræ habuere aliqua de genere operis laudabilia, nec tamen illi erant Eccleſia Dei. Fruſtra etiam repræhendunt Romanos, ſed addere oportet inobſeruantes legis Eccleſiæ Romanæ; dicere autem omnes eſſe inobedientes, eſt voluntaria temeritas.

De consensu Populorum. Certum est, per varias Mundi partes Sanctos Apostolos veram Fidem disseminasse, & Dei Ecclesiam fundasse; tunc ergo omnes Ecclesiæ vna erant Ecclesia. Horum successores in suis quique regionibus agnouere se esse Romanæ Ecclesiæ, videlicet, agnoscentes omnium Episcoporum primatem Romanum Pontificem. Diuiso in tot diuersa dominia Romano Imperio, non est diuisa Ecclesia, sed Fideles eandem retinuere spiritualem vnitatem; Sancti, & doctissimi Patres ex omni natione id professi sunt. Ostendat Sectarius quilibet, quam vnitatem suæ Fidei seruet alia natio. Aliter credunt Lutherani in Germania, aliter Zuingliani in Heluetia, aliter Caluiniani in Hollandia, aliter in Anglia. Nec ista est diuisio post generalem vnitatem, sed monstruosa propagatio nouarum Sectarum contra Ecclesiam Catholicam, quæ antea talibus in locis perstabat.

Obijcient forsitan Arianismum olim in multis populis. At hoc nihil est; dum in ijsdem quoque gentibus erant plebes, & Episcopi Catholici, defendentes, & scripto, & voce, & exemplo veram Ecclesiam, veram Fidem, & adhærentes Romano Pontifici, qui vtique Deo adiutore vicerunt. Nec poterant Ariani obtendere consensum populorum, sed dumtaxat nouum Schisma in populis, quorum pars ab Ecclesia sese diuisit de nouo.

De Multitudine Sanctorum. Hæc sequentia tria signa sunt adhuc prioribus præclariora; & dato, quod non commoueant infidelem, certè confirmant Fidelem pium. Contra Iudæum, Turcam, veteresque Ecclesiæ persecutores est magnus ille numerus Sanctorum in ipsa Ecclesiæ infantia; & tantus Martyrum exercitus, vt iuxtà Genebrardi supputationem per singulos vnius anni dies possent distribui triginta millia. Maximè triumphatum est Romæ, vbi occubuere tot pro Christo, quot satis sint assignandis in singulos anni dies septem millibus, quæ summa dat duos milliones, quingentos, quinquaginta quinque millia, vt habetur l.3. Reuel. S.Birgittæ; & quidem testes sunt vltra quadraginta Catacumbæ Romæ. At contra modernos hæreticos rutilant per subsequentia Apostolis sæcula tot Sancti, & omninò admirandæ Sanctitatis. Quo etiam ad Martyres in solo Minorum Ordine recensuit numerato Syllabo Vuadingus per quatuor sæcula ab anno 1220. ad 1524. septingentos quatuordecim. Tanta est autem vis Veritatis, vt quemadmodum Plinius iunior Bythiniæ Procurator in Epist. ad Traianum Imperatorem fassus est, *Christianos Sanctissimè viuere, & omnia vitia detestari*; & Mahometes tantus impostor, tamen in Alchorano cap. 4. asserit, *Christum maximum, & Sanctissimum esse Prophetam*; ita fateantur, Luther.l.de abrog.Missa,& Philippus Melancht.in confess.Augustana, Franciscum, Dominicum, & Bernardum Sanctos fuisse. Ostendant iam apud se aduersarij Ecclesiæ Romanæ, vel vnicum virum heroica virtute clarum.

Obijciant si volunt quasi suos Martyres, Manetem à Persis viuum decoriatum, vel Ioannem Hus, ac Socium Hieronymum de Praga flammis datos à Concilio Constantiense. Ridiculus paucorum, male functorum est

hic –

hic numerus, ac etiam infamis causa; siquidem Manes ideo sic est peremptus, quia occidit filium Regis Persarum, de quo Bozius lib. 23. cap. 3. Hus autem, & Pragensis conuicti de hæresibus, & obstinati, adiudicati sunt iusto supplicio, vt refert Aeneas Syluius lib. de Orig. Bohem.

Maxima est Diui Aug. *Martyrem non facit pœna, sed causa*, adeoque optimè Diuus Bona. 4. d. 3. dub. 5. inquit; *Ad martyrium completum duo concurrunt, scilicet iusta voluntas, & iusta causa*. Defuit voluntas in paruulis Innocentibus, defuit in bono Latrone causa, at Deus vtrumque suppleuit. Cæterum quo ad Patriarchas Nouatorum, fuit Lutherus Apostata, & post Castitatis votum copulatus publicè Moniali Catharinæ de Bore, vt refert Prateol. lib. 10. & Caluinus adeo nefandus, vt ob innominandam libidinem adustus fuerit candenti forro in humero, teste Bolseco Caluinista eiusdem socio. Mahometes gloriatur in Alchorano, Deum secum dispensasse in adulterijs, iactabatque se magis venereum quadraginta hominibus; atque ita per sectas omnes videri possunt antesignani turpissimi, quos sui gregales imitarentur,

De Miraculis. Axioma est Augustini lib. cont. epis. fundam. cap. 4. & 5. *Ecclesiam demonstrari ex miraculis, Scripturas autem demonstrari ex Ecclesia*. Ab admiratione deriuatum est hoc nomen, vnde Aug. lib. de vtil. cred. *Miraculum voco, quidquid arduum, aut insolitum, supra spem, vel facultatem mirantis apparet*; subintellige factum à Deo, aliàs erit mirabile, non miraculum eo sensu, quo nunc agimus. Miraculum ergo est opus Dei extraordinarium, v.g. conuersio aquæ in vinum, suscitatio mortui, sanatio subita ægroti &c. Huiusmodi quot, & qualia fuerint omni tempore in Ecclesia, patet ex tot legendis Sanctorum. In hodiernum diem aliqua perseuerant, vt Neapoli sanguis D. Ianuarij ebulliens coram suo capite, & tamen non semper, vt non suspiceris aliquam sympathiam. Est etiam frequens miraculum expulsio Dæmonum de energumenis; & quamuis aliquando non sint obsessi à Dæmone, qui tales videntur, aut fingunt; certum tamen est ex Scriptura, dari dæmoniacos; & patet euidenter, vbi aliqua idiota fęmina loquitur latinè, & disputat doctrinaliter. Iam afferant, vel vnum miraculum, qui sunt extra Romanam Ecclesiam. Bellè inquit Lindanus in dubitan. dial. 2. de nouatoribus. *Quantumuis omnes sese iactent Apostolos, Elias Enochos, Euangelistas, nullo tamen adhuc miraculo Ecclesiæ Dei declarare potuere, sese à Deo esse missos, adeo vt nullus eorum extiterit, qui vel equum claudum sanare potuerit*.

Lutherus tentauit eijcere dæmonem de quadam puella è Misnia ducta Vuittembergam ad eum nouellum Eliam, at in cassum; immò vix non ab ea necatus est, vt in apolog. 2. refert Staphilus testis oculatus. Caluinus inopem quendam Brulæum fingentem defunctum adijt multo stipatus sodalitio; at dum clamat, vt surgat, iusto Dei iudicio verè mortuus, non amplius surrexit, de quo homicidio Caluinus accusatus est, & conuictus, vt scribit

eius discipulus Hieronymus Bolsecus, qui aderat. De huiusmodi lepidè Tertullianus lib. de præscrip. *Volo virtutes eorum proferre; Apostolos in peruersum æmulantur, illi enim de mortuis suscitabant, isti de viuis mortuos faciunt*. Ita & Manichæus volens filium Regis Persarum sanare, morti dedit, vt refert D.Epiphanius. Ita Cyrola Patriarcha Arianus, dum simulat fictum cæcum illuminare, verè cæcum effecit, vt scribit Gregor. Turon. l.2. cap. 3.

Nouatores negant miracula à nostris narrata post quintum sæculum, aiuntque conficta à nobis Papistis. At contra manifestè; nam eadem libertate poterunt negari etiam anteriora. Deinde, nequeunt dicere impossibile esse, patrari miracula, nam concedunt ea primitus facta, ergo gratis hæc posteriora negantur: nullo alio motiuo, nisi vt negent, esse nostram Ecclesiam Dei; atqui hæc est petitio principij, & dare pro ratione suam conclusionem, quam impugnamus. Præterea sunt aliqua per Sanctos patrata, & postea per doctos viros diligentissimè examinata, itaut nulla historia præteritorum temporum mereatur maiorem assensum; ergo si hæc negant, negent omnia scripta Mundi. Denique certo scimus, aliqua esse ferè quotidiana miracula inter Catholicos, adeoque negare gratis, est summa proteruia.

Obij. Etiam de Mahomete scribunt sui multa, inter quę & hoc, vt refertur apud Aeneam Syluium epist. ad Mahom. quod semel diuisam Lunam accepit manibus, redintegrauit, ac proprio loco in Cælo restituit. Item Antichristus prędictus est patraturus miracula. Item inter Idololatras fuere miracula, cuiusmodi refertur à Liuio lib.1. & Cicerone 1. de diu. quod dij penates Aeneæ ex Vrbe Alba migrauere Lauinium; quod Actius Nauius augur coram Rege Tarquinio cotem nouacula secuit. Et iam clarum est, oraculorum statuas dedisse responsa; atque Sybillas fuisse prophetides. Ergo miracula non sunt legitima signa Ecclesię Dei.

Resp. concedo, quod ope dæmonis fiant miranda, vt patet ex Magis Pharaonis; & ita Mahometes, planè diabolicus, fecit fortasse aliquam apparentiam in aere, qua videretur Luna descendere in eius manus. Etiam sic Antichristus prædictus est maleficus arte dæmonis, & planè dæmonum fuere, & voces oraculorum, & alia inter idololatras, miranda quidem, sed non miracula. Quo ad Sybillas autem, vis prophætica fuit à Deo, vt ita inter Gentiles viam sterneret Euangelio, dum audirent prædicari ea, quæ suæ Sybillæ prædixerant. Sed restat instantia, quo pacto sciamus, illa fuisse diaboli miranda, & non Dei miracula. Diuus Bon. in 2.d.7. qu.2. discernit vera à falsis *ex parte finis, & ex parte facti*; videlicet, si tendant ad proximorum vtilitatem, & non sint victa ab oppositis signis. Sicuti Moyses vicit Magos, nam Exo.7. *Deuorauit virga Aaron virgas eorum*; ita prædicitur Antichristus confundendus per Enoch & Eliam. Quoad oracula, ipsa se prodebant, non esse Diuina, dum sæpissimè mentiebantur; vndè & in

& in conscientia tenebantur illi ethnici agnoscere ibi inimicum Dei, ideoque, & spernere istum, & desiderare lumen Dei, qui sic dispositos illuminasset, quantum satis fuisset ad consequendam salutem. Cæterum etiam oracula victa sunt per Christi nomen.

Itaque in Ecclesia Romana tot facta sunt legitima ad Dei Gloriam, & proximi salutem inuicta, & legitima miracula, vt dicat Richardus Victorin. 1.Trin.2. *Domine, si est error, à te decepti sumus; nam tantis signis confirmata sunt, quæ non nisi per te fieri possent*; & certè mirandum omninò illud quotidianum Ecclesię imperium in dæmones pulsos de corporibus. Quid dicet hæreticus? Fortè, vt illi Iudæi de Christo Luc.11. *In Beelzebub eijcit dæmonia*. At non est diabolus diabolo aduersarius, vt vnus velit torquere, alter sanare eundem hominem, & velit vnus alterum pellere cum ignominia, & maledictione nominis vtrique communis. Denique ait Augustinus 22. Ciu.5. *Si ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis vnum grande miraculum sufficit, quod iam terrarum Orbis sine vllis miraculis credidit*. Vel ergo Ecclesia Romana adeo creuit, vt quamlibet sectam superet, quia Deus ostendit miracula; vel absque his visis tot homines diuersæ nationis susceperunt Fidem tantæ sublimitatis, & legem tantæ disciplinæ: idque planè solus Deus promouere potuit.

De Antiquitate. Benè aiebat Optatus l.2. con. Parmen. *Vestræ Cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vendicare*. Quòd à Sancto Petro vsque ad præsentem Summum Pontificem sit continuata series Romani Episcopatus, per se patet in historijs; nec est vlla Ecclesia particularis in Orbe quæ vel habuerit Apostolorum aliquem residentem, vt Episcopum, nisi Ierosolymitana, quæ habuit Iacobum Minorem, & Antiochæna Petrum; sed vtrumque id fuit ante Apostolorum diuisionem per Mundum; vel cuius Episcopi non respexerint vt Caput Pontificem Romanum, seù Petrum, seù successorem eius. Id patet ex hystorijs & Conciliorum scriptis, ac Epistolis decretalibus. Ergo hoc, quod est, Pontificem Romanum docere de credendis, & agendis particulares Ecclesias, earumque esse caput, & Magistrum mediatum, videlicet, mediantibus Episcopis peculiaribus, est ita antiquum, vt fuerit ab initio disseminatæ per Orbem Fidei; qua de re videantur omnes veterum historiæ Ecclesiasticæ. Ostendant iam Lutherani, & Caluinistæ antiquitatem sui regiminis; videlicet, vel sine Episcopo, vel sub Episcopo non ordinato ab altero Episcopo; & si habent Episcopos appellatos, vt in Anglia, videatur, qua linea deuenerit illa ordinatio; num primus Episcopus Caluinianus ordinationem acceperit ab vllo Episcopo.

Quantùm autem ad Doctrinam nos ostendimus ex Sanctis Patribus, qui floruerunt in principio Christianitatis, fuisse tunc iam in Ecclesia, vt receptam, eam intelligentiam Scripturæ, quam nunc habemus. Exempli gratia, in Hostia ritè per Sacerdotem consecrata esse verè præsentem Christum,

& non esse ibi panem, cuius Veritatis primam partem negat Caluinus, alteram Lutherus. Eam veritatem reperimus apud veteres Patres, & vt ab ipsis suæ Ecclesiæ propositam, adeoque vt doctrinam Ecclesiæ. Ostendat Caluinus vnum Sanctum Patrem, qui formaliter dicat, non esse in hoc Sacramento Christum, sed physicè puram substantiam panis; vel Lutherus afferat dicentem, manere panem cum Christo post consecrationem. Ad quid afferre materialem litteram Scripturæ instar Iudæi, vbi de significato Scripturæ lis est, & pro nostra intelligentia sunt tot Patres, pro aduersa nè vnus? Optimè ergo Vincentius Lirinensis cap. 3. adu. Hære. *In ipsa Catholica Ecclesia magnoperè curandum est, vt id teneamus, quod ab omnibus creditum est; sequamur Vniuersitatem, Antiquitatem, Consensionem*.

Ex his omnibus hoc formatur pro Conclusione de Ecclesia Dei Argumentum, & interrogatoriè; respondeatque, & concludat, quicumque homo est. Supponitur, existere de facto Ecclesiam Dei, cuius Doctrina sit vera, & Diuina, adeoque falsum, quidquid ei contradicit; atque hæc Dei Ecclesia, non in Idololatris, sed in vnius Dei cultoribus, vtpotè naturalis demonstratio concludit euidenter contra Idololatras; adeoque Dei Ecclesia erit in vna ex his communitatibus, quæ sunt; Mahometani non colentes præ omnibus Christum; Iudæi adhuc expectantes Christum; Christiani profitentes Christum, at negantes suum Vicarium Pontificem Romanum; Christiani profitentes Christum, & suum Papam Vicarium Episcopum Romanum; quos dum illi prædicti baptizati appellant, veluti irrisoriè Papistas, vtique sese declarant hæreticos: idem enim est Papista, & Catholicus, nam quæ Ecclesia habet Papam, Catholica est, & ipsa eadem, quam Christus fundauit.

Iam ergo sic dico. Ecclesia Papistarum habet amplitudinem maiorem qualibet secta, & dilatatam non prædicatione relaxationum, aut proditionibus, aut aggressionibus armorum; sed disputatione, & prædicatione pænitentiæ, & abnegationis sui; nec potuerunt etiam quandoque scandala ipsorum docentium, seu regentium præualere assensui Doctrinæ, & Authoritatis. Habet secundò multos, qui vt conuicti vi Veritatis, & zelo suæ salutis, ad eam veniunt, deserta lege liberiori, in qua nati sunt, suscipientes legem arduam, & magis obligatoriam. Habet tertiò in vnitate Fidei, & Obedientiæ populos diuersos, diuersi ingenij, diuersi dominij, diuersæ nationis, qui toties inter se præliantur, immò & quandoque contra temporalem Papæ ditionem, & tamen salua professione Fidei, & Cathedræ Romanæ. Habet quartò innumeram admirabilis, & probatissimæ vitę Sanctorum in omni genere multitudinem tota temporum successione, & Episcopos, & cænobitas, & Virgines, & Martyres, & coniugatos; quorum Vitę sinceritas libera ab omni simulatione est euidens per summam humilitatem, & sui ipsius contemptum. Habet quintò absque numero miracula continuè per tempora, & non pauca etiam de præsenti, vt in Sanguine Diui Ianua-

Ianuarij, & in exorcismo Dæmonum. Habet sextò formam regiminis per mille sexcentos & tot annos absque vlla interruptione seruatam, & Doctrinam apud primos eius temporis Patres honestissimos, & Sapientissimos clarissimè descriptam, ac sæpissimè sequentibus ætatibus examinatam, ac repertam suæ antiquitati illibatè consonam.

Illæ omnes sunt Notę Catholicæ, quippe vniuersales, vniuersalitate personarum, locorum, & temporum, atque nulla alia Communitas habet vel vnicam ex his notis, & nil aliud norunt opponere, nisi Mahometistæ furorem gladij, Iudæi Scripturam veterem, Baptizati non Romani Scripturam pro libito præcisam ex veteri, & nouo Testamento; quas vtique integras vtrasque Sripturas habemus, & fatemur, atque pro nobis citamus, sed de sensu eius est altercatio, & illi negant nostram intelligentiam, nos negamus alienam. Ergo? Quisnam habet veram Scripturæ intelligentiam? ille populus, qui habet sex ea signa, an qui nullum illorum? Quænam erit Dei Ecclesia? quæ habet illas notas, an quæ nullam omnino? Patet ergo per se, Mahometistas esse bestiales, Iudæos excæcatos, Christianos non Romanos esse hæreticos; atque adeò Ecclesiam Romanam esse Dei, & verè Catholicam, de qua in Symbolo præfixerunt Apostoli, *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam*, præuidentes, fore sectas rebelles in Matrem Ecclesiam, ipsosque hoc vnico ictu deijciendos, videlicet ipso cognomine Catholici, quod semper in Ecclesia vera futurum erat, atque distinctiuum ab hæreticis; vt videlicet eo ipso, quod quis euaderet hæresiarca, amitteret nomen Catholici apud perseuerantem Catholicam Ecclesiam.

Concludamus ergo de Notis Catholicæ Ecclesiæ cum Diuo Augustino, cap. 4. cont. Epist. fund. *Multa sunt, quæ me iustissimè tenent in Ecclesiæ Catholicæ gremio. Tenet consensio populorum, & gentium; tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Ita & Diuus Irenæus lib. 3. cap. 3. enumerat à Petro ad Eleutherium tunc sedentem, inquiens; *per hanc successionem omnes confundi hæreticos.*


Obijciunt Nouatores, In Ecclesia Romana contradicunt mutuo Thomistæ, & Scotistæ; ergo non adest consensus in doctrina. Resp. dist. antec. contradicunt in Philosophia expositiua Fidei, concedo; contradicunt in doctrina Fidei, nego. Salua fide vterque satagit pro ipsa vna communi Fide laborare contra reluctantiam naturalis ignorantiæ, & prophanæ Philosophiæ; vt videatur, quomodò rationabiliter credimus.

Obij. 2. In Ecclesia Romana fuerunt Pontifices, Liberius Arianus, Honorius Monothelita, Gregorius Septimus hæreticus, simoniacus, necromanticus, Ioannes vigesimus secundus in hæresi de animabus Deum non videntibus antè diem Iudicij; Ergo licet fuerit successio Pontificum, non tamen in illis successio veræ doctrinæ Catholicæ. Resp. istæ omnes, aut similes impostura falsæ sunt. Liberius à Socrate non planè sano Scriptore,

sed

ſed Nouatianæ Sectæ perhibetur Arianus, at ex Theodoreto colligitur immunis ab Arij perfidia, & præclarè vendicatur à Baronio. Honorius ſcribens in ſua Epiſtola, *Fatemur vnam voluntatem D. N. I. Chriſti* non ſentit Monotheliſmum, ſed negat in Chriſto appetitum diſcordem ſenſus, & rationis; Vnde locutum de Chriſti humanitate teſtatur Sanctus Maximus in Dialog. contra Pyrrhum. Alij putant falſatas ab hæreticis Epiſtolas Honorij; quippè nec veriti ſunt, vitiare Acta quintę Synodi, inſertis pſeudoepiſtolis nomine Papæ Vigilij, & Mennæ Patriarchæ Conſtantinopolis, vt teſtantur Patres Sextæ Synodi, Actio 12. & 14. item hæretici corruperunt ſcripta Concilij Calcedonen. vt refert Diuus Greg. lib. 5. Epiſt. 14. ad Narſem.

Quo ad Gregorium Septimum; ea calumnia prodijt è rancore Bennonis pſeudoCardinalis creati ab Antipapa, qui ſe dixit Clementem Tertium; at verò vt Optimus Pontifex laudatur à S. Anſelmo in Epiſt. ad Guibert. ab Ottone Friſingenſe, & alijs. Quo ad Ioannem, tenuit illam tunc opinionem, nondum hæreſim, quia nec dum deffinitam, ſed ab eius ſucceſſore Benedicto Duodecimo; tenuitque eam, vt priuatus ſtudioſus; immò & refutauit; nam teſte Ioanne Villani in hiſtoria ipſe Ioannes antè mortem proteſtatus eſt, ſe vt priuatum doctorem in ea fuiſſe opinione, cui tunc præferebat oppoſitam, vt probabiliorem; cæterum neutram definiſſe. Verumtamen quidquid tale obijciatur, nil obſtat Eccleſiæ; ſolum enim concludet, poſſe Papam, vt hominem in ſe errare; nam & Marcellinus Idolo thus obtulit, mox pænitens, & Martyr; at nunquam oſtendent, erraſſe vt Doctorem, proponendo Eccleſiæ credendum falſum, vel agendum iniuſtum. Sed iam ventum eſt ad Eccleſiæ petram.



DISPVTATIO SECVNDA.

De Romano Pontifice.

PRænotata motiua euidenter vincunt intellectum Catholici Docti, dum ea ruminat, & Catholici Idiotæ, dum eadem à Parocho, vel Concionatore declamari audit abſque pauore redargutionis de mendacio, atque omnes retinent in gremio Eccleſiæ ſumma certitudine. Traherent etiam quemcumq; infidelem, ſi vellet examinare. *At hæc eſt ſumma perfidia, ſcire nolle, quod ignorare non poſſis*; fatetur ſapidè Tertullianus. Inexcuſabiles profectò ſunt Iudæi, dum in Scriptura Veteris Teſtamenti audiunt proportionaliter eadem ſigna à nobis recenſita, Argumentum ſupra humanum, Sanctos Prophetas, Miracula, ſeriem antiquæ propagationis, nec amplius vident in Synagoga; iſque defectus eis quotidie prædicat, veniſſe

Mundi

Mundi promissum Saluatorem Messiam. Inexcusabiles sunt Mahometistæ, vel hoc ipso, quod in sua lege prohibeatur disputatio de Fide, quippè notũ est lumine naturali, Veritatem, & maximè diuinam non vereri examen. Inexcusabiles sunt omnes Sectæ hæreticorum eo ipso, quod cum nomine Christianitatis habent agnomen de tali, vel tali nouatore, puta Luthero, Caluino &c. & audiunt, veteres esse, qui appellantur Catholici; vnde, & optare debent, illuminari à Deo. Tranquilla est conscientia Ecclesiæ Romanæ in ipso Catholici vocabulo, certificante Antiquitatem inuariatam; sed iam de Catholicæ Ecclesiæ Hierarcha dicamus.



ARTICVLVS PRIMVS.

Quale sit Ecclesiæ Regimen.

NOtandum, quòd certum est, non esse politicum, sed spirituale, non enim respicit vitam, aut mortem corporis, bona vel mala temporalia, sed salutem æternam animæ per Gratiam Christi. De Ecclesia itaque Noui Testamenti quæritur, quo pacto gubernandam instituerit, vel reliquærit Christus. Exclusa Anarchia acephalorum, vbi inter omnes æquales nullus sit Rector, sed confusa multitndo more belluino: triplex est genus regiminis; distinguitur enim in Monarchiam, & Poliarchiam, hæcque in Aristocratiam optimatum, & in Democratiam promiscuam plebis. Disputari solet, quodnam horum sit regimen perfectius pro bono Communitatis; & quidem Plato in Polit. Aristot. 8. Ethic. 10. Seneca 2. de Benef. præferunt Monarchiam reliquis. At quidquid sit de Mundanis politijs, quarum profectò quęlibet grauatur suo incommodo, de vno gubernio agimus, quod extenditur supra diuersorum Regnorum, & Gentium inter se independentium homines; quam Hierarchiam sicuti præsciebat Christus, ita certè volebat congruentem; at verò nulla congruere potest secundum præsentem humanitatis cursum, nisi Monarchia.

Not. 2. quòd ait D. Hieron. lib. 1. adu. Iouin. *Super Petrum fundatur Ecclesia. Licet Apostoli cuncti Claues Regni Cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite constituto, Schismatis tollatur occasio.* Solidatur ex æquo in illis Ecclesia, quatenus omnes authoritate Christi prædicauere Fidem. At verò fons iurisdictionis positus est in Petro, idque hac necessitate, *Vt capite constituto, Schismatis tollatur occasio.* Et quidem, vt notat Scotus 4. d. 19. §. *de quinto*; Oportet, vt sit in Ecclesia vnus, cui teneantur omnes Christiani obedire, si debeat habere vim pœna Canonica inflicta per Prælatos particulares, nimirum Excommunicatio. Etenim dato, quod vnus Episcopus excommunicet suum subditum, alij quidem subditi eiusdem

dięcesis

diœcesis tenebuntur vitare huius excommunicati consortium, sed non tenebuntur Subditi alterius diœcesis; & ita si de vna Ciuitate in aliam transeat, fit de se absolutus ibi; sicque pœna Ecclesiastica minimè fiet timenda, & erit facillima occasio Schismatis, nempè, vt vnius Episcopi subditus subtrahat se ab eius Obedientia, euadatque ita impune liber ab excommunicatione.

Not. 3. quod Christus ipse in hac vita fuit Ecclesię Caput visibile, exercuitque visibilem gubernationem, docendo, iubendo, corripiendo, peccata remittendo. Fuit etiam Caput inuisibile, influens sui meriti gratiam; quo pacto etiam nunc assistit inuisibiliter; quapropter cum Stephanus Act. 7. vidit *Stantem*, videlicet adiutorem. Est ergo Christus triumphanti Ecclesiæ Caput visibile, militanti autem post Ascensionem est inuisibile, & vltimatè primarium. Id verò vt homo; quippè vt Deus non habet analogiam cum Creaturis, vt possit esse pars Ecclesiæ. Fundauit itaque Ecclesiam militantem in terris habentem Caput visibile, ex quo pendeat ordinata Hierarchia, ne fiant Schismata, quæ vtique odit Deus pacis; & si fiant, dignoscantur. Igitur, nè sit Ecclesia visibilis monstrum Acephalum, vel Polycephalum, sed talis sit, vt primò est benè fundata ordinatè, oportet habeat vnum visibile Caput.

Not. 4. quòd in hanc Petram illidunt sua capita hęretici; aiunt enim, Caluinus, Puritani, Hugonottæ, gubernationem Ecclesiæ esse Democraticam, vel Aristocraticam, atque Caput Ecclesiæ esse Cętum Apostolorum, seu Episcoporum. Mathias Illyrius somniat, esse ipsam plebem. Brentius, & Anglo Caluinistæ aiunt, Caput Ecclesiæ esse Principem Sæcularem, vel Magistratum politicum.

CONCLVSIO.

Regimen Ecclesiæ est Monarchia spiritualis, seu spectans ad gubernium Animarum circa manutenentiam veræ Fidei, & Diuini Cultus, quæ sunt immediata media vitæ æternæ. Quod sit regimen spirituale, & segregatum à Iure Ciuili Reipublicæ videtur adeò certum, vt sit receptum ab omnibus nationibus; nam Idololatræ ipsi, & Turcæ habent forum distinctum diuersarum personarum pro Tribunali Sacro, seu Religionis, & pro Sæculari, seu prophano. Attamen probo de Ecclesia Christi.

Illa sunt gubernia diuersa, quæ tendunt ad fines in intentione ipsorum Regiminum disparatos; atqui sic se habent Regimen Ciuium quo ad conseruationem tranquillitatis ipsorum in Vita præsenti, & regimen ipsorum quoad assecutionem vitæ æternæ. Quamuis enim Vita præsens à Deo ordinetur ad vitam æternam, tamen lex naturalis gentium, & Princeps, & regens istam præscindit ab intentione vitæ futuræ: nam ordo vitæ vnius est naturalis, alter autem supernaturalis; & dato quòd regimen vtrumque concurrat in eandem personam, vt vbi Ecclesiastici habent Ius temporale, non tamen commiscentur ista regimina, nec se inuicem trahunt.

Pro-

Probatur clarè totum hoc. Christus Ioan. vlt. ait Petro, *pasce oues meas*; ac non intendit, vt pasceret politicè, nam & voluit pro se, & Petro solui tributum Cæsari Mat. 17. & quamuis velint quidam Sectarij, Ecclesiam regi à Sęcularibus, non tamen admittunt, Populos regi debere ab Ecclesiasticis, qua talibus; ergo Christus intendit, vt pasceret Petrus spiritualiter. Ergo ista Regimina sunt diuersa, & sicuti spirituale non trahit secum temporale, quod quidem potiori Iure videretur, neq; temporale trahit secum spirituale, vt potè istud est generis altioris. Hinc Christus oues suas non commendauit Herodi, vel Pilato, sed Petro; & Paulus ait Actor. 20. Episcopis, *Vos Spiritus Sanctus posuit, regere Ecclesiam Dei*. Ergo id non spectat ad plebem, vel Principem.

Prob. iam quòd spectet vltimatè pro hoc foro visibili, & supremè ad vnicam personam, sicque esse Ecclesiam visibilem Monarchiam sub vno Pastore. Petro dixit Christus *Pasce oues meas, pasce Agnos meos*; videlicet, oues Matres, quæ sunt alij Episcopi; & Agnos, qui sunt Episcoporum filij, videlicet Episcoporum dięceses futuras. Et ratione dęclaratur necessitas Monarchiæ Pontificalis. Nisi ita sit, non poterit haberi certa fides in Ecclesia; nam orto aliquo errore nouitatis, quis sententiabit contra eum? Scriptura? atqui hic Hæresiarcha habet locum Scripturæ apparenter fauentem, v. g. Arius vsurpabat illud à Christo dictum Ioan. 10. *Pater maior me est*, & concludebat Verbum Aeternum esse Creaturam. Quomodo conuincetur? per alias Scripturas? at ille dicet, non hanc per alias, sed viceuersa. Quid fiet? sententiabit Episcopus loci? At quandoque infecti sunt Episcopi, immò facti Hæresiarchæ, vt Nestorius. Quid ergo? Conuocandum Concilium? At nescies esse legitimum, & habuisse Spiritus Sancti assistentiam, siquidem & pseudoconcilia coacta sunt, vt illud Anno 354. Mediol. quando plus quam trecenti Episcopi damnarunt Fidem Nicęnam. Quale ergo superest remedium? Sententia eius, cui Christus sicut tradidit suum ouile, in quo vult esse veram, & sinceram, integramque Fidem, ita ipso hoc facto se obliganit, ad præstandam infallibilem assistentiam.

Neque dicas; parum referre, quòd ita sentiatur. Nam Hæresiarcha docet suum errorem trahens Scripturam, quæ à Deo data est, vt eius significatum verum teneatur de Fide; & prætendit ille Sectæ author, ita sentiendum, vt ipse sentit, aliosque reputat infideles; ergo exigit quies fidelium, & pax Ecclesiæ, vt sit, qui possit indubitabilem proferre sententiam de vero sensu illius Scripturæ. Neque enim ille Hæresiarcha textum illum adhibet, vt persuasibiliter fauentem opinioni, sed vt Articulum ita credendum. Ergo necessarium est ad bonum Ecclesiæ, vt sit vnus super omnes Catholicos visibilis Monarcha, & ita iuxta præclaram Hieronymi sententiam: *Capite constituto, Schismatis tollatur occasio*.

Obij. Ro. 12. *Vnum corpus sumus in Christo*; ergo solus Christus est Caput. Confir. ex his, quę subdit, *Singuli autem alter alterius membra*, vbi nullus

 exci-

excipitur. Resp. dist. conf. Solus Christus Caput primarium, & vltimum fundamentum, & fundator, concedo; Caput immediatum, & cum exclusione Vicarij, nego. Ad confir. dico, ibi Paulum loqui de influxu gratiæ à Christo, à quo participans etiam Pontifex est Christi membrum. Pontifex non est caput in comparatione ad Christum, sed ad nos; neque in comparatione ad nos est Caput primarium, sed Vicarium. Hinc Ecclesia non est biceps; sicut nec Regnum est biceps, per hoc quod habeat proregem; & neque proregis est Regnum, sed Regis; sicque & Ecclesia non est corpus mysticum Papę, sed Christi, at regendum à Papa.

Obij. 2. Ephes. 4. *Dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores*; neque fit mentio vnius Capitis. Resp. Immò vbi ait *Pastores*; dedit ergo Episcopos, quia multi futuri erant greges particularium Ecclesiarum. Ergo quia vna est Ecclesia vniuersalis in tot diuersis Regnis, dedit vni Ecclesiæ vniuersali vnum Pastorem, qui posset singulos Pastores particulares corrigere, & pascere. Nam delinquente Pastore vnius Principatus, puta Galliæ, quis in eum dabit verendam, & efficacem sententiam? Pastor de altero Regno? Num Hispanus? At nihili fiet huius iudicium. Et maximè quia est lumine naturali notum illud. *Par in parem non habet potestatem.* Ergo opus est vno Pastore etiam Pastorum; & maximè congruebat, vt esset in Vrbe sibi etiam temporaliter subdita, atque possideret non aspernendam ditionem; nè, si esset in Dominio Principis alicuius, aut flecteretur huius timore, vel fauore; aut Episcopus alieni, & hostilis Principatus excusationem haberet, abijciendi sententiam Pontificis. Hanc Veritatem nouerũt, Constantinus, & Carolus Magni.

Obij. 3. Caluin. ex Luc. 22. vbi de primatu contendentes Apostoli arguuntur illis verbis, *Reges gentium dominantur, Vos autem non sic.* Resp. Sensus est, prælationem Ecclesiasticam non esse præpotentiam, & instar fastosæ dominationis Regum, sed esse operositatem maioris sollicitudinis; vnde sequitur, *Qui in vobis est maior, fiat sicut minor.* Vbi patet, eos ibi non fuisse reputatos æquales, dum nominatur *Maior.* At instant Caluin. Regimen Monarchicum est imperfectius cæteris, nam facilè vergit in Tyrannidem; & in Scriptura apparent mali Reges, Saul, Roboam, Ieroboam &c. Resp. quo ad hos Reges, illis opponi alios bonos, Dauidem, Ezechiam, Iosiam; & quidem non fuit felicior Hębraismus in Aristocratia sub Iudicibus, quam in Monarchia sub Regibus. Et præterea quidquid sit de Regimine temporali, patet ex dictis, regimen Spirituale Monarchicum, nedum esse melius, sed vtcumque necessarium; nec esse possibile, regi Ecclesiam aliter pro hoc humanitatis cursu. Hinc in Israelitis licet variata sit forma Reipublicæ; primò enim fuit sub Ducibus Mose, & Iosue; deindè in Aristocratia sub Iudicibus Othoniele, & alijs vsque ad Heli: deindè in Monarchia sub Regibus Saule &c. deindè Babylone in Democratia; tamen Ordo spiritualis fuit semper in Monarchia Summi

mi Pontificis, Aaron, & Successorum vsque ad Synagogæ interitum.

Obij. 4. Luther. Ex Ephes.4. *Vna Fides &c.* nec dicitur *Vnus Papa*. Resp. immò ita est, nam si debet esse vna Fides, debet esse vnus Iudex, & Doctor, per cuius sententiam dignoscatur, quis sit hæreticus, hostis Fidei. Et præterea si ibi non habet Scriptura mentionem de Papa, habet Ioan. vlt. *Pasce Oues meas*. Instat Luther. Dixit Christus *Pasce Oues meas*, at non dixit, *Pasce omnes*. Resp. vbi dixit *meas*, vtique dixit *omnes*, quippè omnes sunt Christi; nec Christus distinxit, nec vllam ouem tunc alteri assignauit. Instat Mathias Illyricus; etiam alij Apostoli Pastores fuerunt. Resp. Vtique, sed iurisdictione subordinata Petro; Adeoque optimè D. Hieron. *Inter duodecim vnus eligitur, vt Capite constituto, Schismatis tollatur occasio*.



ARTICVLVS SECVNDVS.

An Ecclesiæ gubernatio sit Monarchia simplex.

Notandum quòd circa 1610. in Gallia Simon Vigorius Consiliarius, quasi metuens nimiam Pontificis Potestateem, seu potentiam, asseruit, eius Regimen in Ecclesia esse Monarchiam temperatam, seu Aristocratiam temperatam, videlicet de vtraque participare; quasi esset quidem Caput, sed se solo nil statuere posset, nisi de consilio, & assensu Episcoporum, qui sunt Ecclesiæ Principes. Vno verbo, voluit tollere Authoritatem Papæ, & statuere solum Concilium sub Papa, vt sub primo Episcopo, & Præsidente, atque Conuocatore.

Not. 2. quòd specimen Regiminum adnotare possumus in politijs temporalibus. In Regno Galliæ est Monarchia simplex, vbi potest se solo Rex, atque ab eo robur habent Optimatum Comitia, quæ conuocantur quidem, ad fouendam prudentiam, non ad conferendam authoritatem; immò edicta possunt rescindi à Rege. In Regno Poloniæ est Monarchia temperata Aristocratiæ, vbi pendet ab optimatibus efficacia Regis. In Anglia admiscetur etiam Democratia, vbi Regia potestas dependet à duabus Classibus, altera nobilium, altera plebeiorum. Voluisset ergo Vigorius Pontificis Authoritatem diminutam, & non absolutam, callidè dissimulans totius Ecclesiæ euersionem; quippè in vno dumtaxat Populo vnius Dominij temporalis, sicuti benè Regimen stare potest, vel simplex Monarchia, vel simplex Democratia, aut Aristocratia, ita etiam mixtura harum fieri potest. Sed verò gubernatio diuersorum independentium inuicem populorum, nec potest esse Aristocratica, nec Democratica, vt visum est, adeòque nec Monarchica permixta. Si enim populi contra se prælientur, quomodo congregabitur Concilium? si vnius populi Episcopus non per-

mittatur conuenire, & alterius, ac alterius fęderatorum, quomodo vim habebunt Concilij Decreta? Si nequeat longo tempore congregari, quomodo interim sentiet tota Ecclesia? Si Papa non habet Ius declarandi, vel statuendi, impunè interea spargentur errores.

CONCLVSIO.

Regimen Ecclesiæ Christi est simplex Monarchia per vnum Vicarium ab Episcopis independentem administrata.


Prob. Vicarius, & Caput primarium, cuius est Vicarius, faciunt vnicum tribunal; atqui iurisdictio Christi non fuit pendēs ab Apostolis; ergo nec iurisdictio Vicarij Christi per tempora succedens pendet à succedentibus in locum Apostolorum, idest ab Episcopis. Confirm. ex facto, cui nemo sanæ mentis contradixit. Per trecentos annos à tempore Apostolorum vsque ad Concilium Nicænum plures à Pontificibus damnatæ sunt hæreses absq; Conuentu Episcoporum. Etenim Higinius Papa damnauit Hæresiarcham Cerdonem, Eleutherius Marcionem, Victor Theodorum Coriarium, alij alios. Idem seruatus est mos etiam post Nicænum, v. g. vbi Papa Anastasius damnauit Origenem instante Diuo Hieronymo, qui lib. 1. Apol. in Ruffin. ait *Quid facient Epistolæ Teophili Episcopi? Quid Papæ Anastasij in toto Orbe hæreticum persequentes?* Hinc August. lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum petentium Concilium pro examinanda eorum doctrina, iam damnata in Concilijs particularibus Africanis, ab Innocentio, & Zosimo confirmatis, inquit; *Aut verò Congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur; quasi nulla hæresis aliquando, nisi Congregatione Synodi damnata sit, cum potius rarissimè inueniantur, propter quas damnandas, talis necessitas extiterit?*

Obij. Si Monarchia Ecclesiæ non sit limitata, seu temperata, poterit Pontifex alterare Ius Diuinum. Resp. nego sequelam; quippe hæc authoritas Ecclesiæ est supra homines, sed sub Deo; & est in ædificationem, non in destructionem Ecclesiæ. Dices ex 1. Tim. 3. Episcopus nequit esse bigamus; & Actor. 15. non licet vesci sanguine; ab his dispensat Papa; ergo prætendit esse supra Ius Diuinum. Resp. negan. suppositum, nempè talia fuisse post Christi legis promulgationem de iure Diuino. Scribuntur quidem in libris, quorum confessio veracitatis est de iure Diuino, idest receptis ab Ecclesia, vt dictatis à Spiritu Sancto, sed illæ narratæ prohibitiones fuerunt de iure humano; quippè Apostoli ea statuerunt, non vt iussa à Christo, sed vt consona occasioni.

Obij. 2. Si Pontifex est absolutus Monarcha; Ergo potest pro libito auferre Episcopum quemlibet à sua Diœcesi; & tamen Episcopatus est de iure Diuino. Resp. dist. sequelam; potest validè, concedo, nam eius sententia non est ab vllo mortalium iudicanda, vt potè suprema; potest licitè, nego, si desit demeritum; ideòque de iniustitia reddet Deo rationem. Cum dicitur Episcopatus de iure Diuino, concedo quo ad ordinem, & huius

huius inseparabilitatem à tali persona, cui collatus est is Character; sed quo ad iurisdictionem, & gubernium talis Diœcesis, distinguo; est de iure Diuino respectu personæ indeterminatæ concedo; quippè ille Populus debet ab aliquo dirigi in spiritualibus; respectu autem personę determinatæ, nego; nam etiã potest annuente Pontifice trãsferri vnus Episcopus ad aliam Ecclesiam. Cæterum quod possit deponere indignos, patet ex antiqua praxi; nam Sanctus Papa Stephanus excommunicauit, adeòque administratione priuauit Helenum Episcopum Tracensem, & Firmilianum Archiepiscopum Cæsariensem in Cappadocia docentes anabaptismũ baptizatorum ab hæreticis; Sanctus Damasus excommunicauit Auxentium Arianum, Episcop. Mediol. Agapitus deposuit à Sede Constantinopolitana Antimum; & alij alios.

Obij. 3. ex cap. *in nouo* dist. 21. vbi habet Anacletus. *Cæteri Apostoli cum Petro pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, & ipsis decedentibus, in locum eorum successerunt Episcopi*; Ergo omnes faciunt Aristocratiam Monarchia mixtam. Resp. sensus est de honore, & potestate Characteris Episcopalis, non autem de iurisdictione.



ARTICVLVS TERTIVS.

Quis fuerit primus à Christo institutus, & relictus Vicarius.

NOt. cum Alphonso de Castro lib. 11. quòd sæpius inuenimus Petrum Apostolum prærogatiua particulari à cæteris distinctum. Primò vbi cum alijs numeratur, est semper primus, Matth. 10. *Duodecim Apostolorum nomina sunt hæc; primus Simon, qui dicitur Petrus &c.* Nec tamen vbique aliorum seruatur Ordo; nam Matthæus & Lucas ponunt Andream secundum, at Marcus quartum; item Matthæus ponit Thomam septimum, at Marcus, & Lucas octauum. Secundò Petrus iussu Christi Matth. 17. pro Christo, & se ipso tributum soluit. Tertiò Petrus die Ascensionis Act. 1. tractat de supplendo loco Apostolatus Iudæ proditoris. Quartò in Pentecoste Act. 2. primus prædicat, & Act. 3. primus miraculum patrat sanando claudum. Quintò, vt plura ommittamus, in Concilio Act. 15 primus fert sententiam. Hæc omnia indicant præeminentiam, & primatum Petri.

Not. 2. quod fatuè M. Ant. de Dominis fingit, primatum Petri consistere in ætate, in vocatione, in feruore. Nam incertum est, vter fuerit senior, Petrus, an Andreas; Chrysostomus dicit seniorem Petrum, Epiphanius Hær. 51. facit seniorem Andream. Quoad vocationem, ambo simul vocati sunt; & quo ad feruorem, non videtur minus amans Ioannes, qui etiam sub Cruce perstitit. Itaque primatus Petri est in Clauibus Ecclesiæ, datis ipsi à Christo, de quibus Matth. 16. *Tibi dabo Claues Regni Cælorum*; legit August.

August. Serm. 124. de temp. *Tibi dedi*, quasi tunc fuerit datus Petro Pontificatus; at alij putant, tunc promissum, datum verò post Resurrectionẽ, vbi dicit Christus, *Pasce oues meas*. Ita cap. ***Audiuimus*** 24. qu. 1 Alexander Secundus distinguens potestates Ordinis, & Iurisdictionis inquit; ***Cum omnibus Discipulis parem ligandi, atque soluendi potestatem Dominus daret, Petro pro omnibus, & pre omnibus Claues Regni Cælorũ se daturum promisit.***

Not. 3. quod optimè dicitur Petrus accepisse Claues, idest Iurisdictionem pro omnibus; quia, vt inquit Scotus 4. dist. 19. omnis Ecclesiastica Iurisdictio fontem habet in Petro, à quo in inferiores Rectores deriuatur, videlicet à Papa in Episcopos, ab Episcopis in Parochos. Vt autem ibi docet Scotus, est Clauis authoritas iudiciaria; estque duplex Clauis, Scientiæ, & Sententiæ. Clauis Sententiæ est potestas iudicandi, Clauis autem Scientiæ potestas examinandi, seu cognoscendi in causa, de qua ferendum est iudicium. Cumque sit duplex forus in Ecclesia, alter secretus in Tribunali Confessionis Sacramentalis, alter publicus, & contentiosus; aliæ sunt Claues illæ ab istis, de quibus modò agimus, quæ nimirum sunt Claues Prælationis.

Not. quòd ex datione harum Clauium Petro tanquam Summo Pastori venit ille mos in Ecclesia, vt ad Romanam Cathedram spectet vltima Christianorum appellatio. Id negat Caluinus, at apertè docet Concilium Sardicense Can. 4. & factum Athanasij, Chrysostomi, aliorumque. Quòd si aliquando videtur aliqui Patres ægrè ferre huiusmodi appellationes, non se opponunt Pontificis primatui, sed dolent prauorum abusus, videlicet dilationes litium, & innocentum oppressionem, vt patet ex D. Bernard. 3. Consid. cap. 4. Item ex ea Clauium potestate venit Conciliorum Congregatio, & approbatio; ac denique tota Hierarchiæ ordinatio.

CONCLVSIO.

PEtrus Apostolus factus est à Christo Caput Vicarium super totam Ecclesiam.

Prob. Mat. 16. ***Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c.*** Idque factum est, vbi Ioan. 21. bis dixit Christus, ***Pasce agnos meos***, idest, pusillos, & denique ***Pasce oues meas***, idest Episcopos. Hæretici distorquent ea verba, *super hanc Petram*. Erasmus intelligit, non de Petro, sed de quolibet fideli; Luther. non de Petro, sed de eius Fidei confessione; Caluin. non de Petro, sed de Christo. At palam insulsè; quem enim sensum copularent illis præcedentibus, *Tu es Petrus &c*? Quòd autem de Petro sint ea sequentia, fatentur omnes Sancti Patres, & Concilia. Totus Occidens dicit illud Hieron. in Catal. *Simon Petrus Princeps Apostolorum*. Totus item Oriens; Concil. Nicen. l. 3. Can. 39. habet, *Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos, vt qui sit Vicarius D.N.I.Christi*; Concil. Constantinop. in Epi. ad Imp. *Beatus Petrus Apostolorum Princeps*; Concil. Ephes. p. 2. ac. 3. *Beatissimus Petrus*

trus Apostolorum Princeps, & Caput, Fidei Columna, Ecclesiæ Catholicæ Fundamentum; Concil. Calced. Act.3. appellat *Petram, & crepidinem Ecclesiæ Catholicæ*. D.Basil. Ser. de Iudi. Dei ait, *Omnibus Discipulis antepositus fuit*. Athan. Resp.72. ad Antio. *Petrus Apostolorum primarius*; Chryso.hom. 55. in Mat. *Petrus Pastor, & Caput Ecclesiæ*. Ita & omnes alij.

Obij. Aug. Ser. de Apos. inquit de Petri Clauibus; *Has Claues, non homo vnus, sed vnitas accepit*. Resp. sensus est, quod datæ sunt non ad commodum Petri, sed pro bono Ecclesiæ ad seruandam Catholicam vnitatem.

Obij.2. ex cap. *in nouo* dist.21. vbi dicitur, quod ipsi Apostoli voluerunt Petrum in Principem; Ergo non à Christo, sed ab Ecclesia accepit potestatem. Item cap. *dudum* 3.q.6.habetur, quod Apostoli, & eorum Successores voluerunt, esse primatum Ecclesiæ Romanæ. Resp. sensus est, quod ipsis placuit, sic fuisse à Christo constitutum; & fortasse, vt ita constitueret, supplicauerunt.

Obij.3. Iacobus Minor fuit maior Petro, nam Episcopus Ierosolymæ, vbi Christus fundauit Ecclesiam. Hinc Socrates lib.9. cap.14. Histor.trip. vocat Ierosolymitanam Ecclesiam Matrem omnium Ecclesiarnm; & D. Clemens in suis Epis. ad Iacobum, eum appellat Episcopum Episcoporum. Resp. non fuit maior; immo Petri Authoritate locus ille sibi cessit; vnde Chrysos. hom.87. in Io. *Si quis à me percontaretur, quomodo Iacobus sedem Ierosolymitanam accepit; responderem ego; Petrum totius Orbis Magistrum illum præposuisse*. Dicitur autem ea Ecclesia omnium Mater, non Authoritate, sed ætate inter Diœceses; & dictus est Iacobus Episcopus Episcoporum, exemplaritate personæ, cuiusmodi plures possunt esse, non autem principalitate Cathedræ, cuiusmodi vnicus est Episcoporum Episcopus. Et quod hoc sit verum; primi Patres, & Concilia Orientis voluerunt, sedem Ierosolymę non esse inter primarias, immo erat olim subiecta Metropolitæ Cęsareæ Palestinæ.

Obij.4. Paulus dicitur antonomasticè *Apostolus*, & in Antiquis diplomatũ sigillis habet locum à dextris Petri; & Gal.2. loquens de Petro, Iacobo, & Ioanne ait, *Quibus nec ad horam cessimus subiectione*. Resp. Paulus præcellit in Apostolatu actualis prædicationis, quippè maiorem Orbis partem pręddicando peragrauit, & plures Epistolas Canonicas scripsit, quam alij omnes; at subest Apostolatui prælationis Petri. Ponitur tamen quandoq; à dextris, vt aduertant Prælati, æstimare plurimi doctrinam Sacram. Quod autem inquit, non cessisse, est sermo, non de Petro, alijsuè Apostolis, sed de hæreticis adstruentibus necessariam Circumcisionem, vt patet in textu.


Obij.5. Ecclesia commendata est in solidum omnibus Apostolis; adeoque non soli Petro. Resp. Omnibus æquè in labore prædicandi, at soli Petro in cura suprema Regiminis. Dices ex D.Cipriano l.de simpl. prælat. *Hoc erant cæteri Apostoli, quod Petrus, pari consortio præditi, & honoris,*

&

& potestatis. Resp. agitur pro tempore præcedente institutionem Petri in Christi Vicarium. Dices ex D.Aug. l.de agone cap. 30. *Datas fuisse Claues omnibus, cum datę sunt Petro, & omnibus dictum fuisse, Pasce Oues meas, cum hoc Petro dictum est*. Resp. omnibus quidem, sed ordinatè, videlicet sub cura Petri, vt ita omnes gubernarent à Petro gubernati.

Obij.6.Matthiam in locum Iudæ non elegit solus Petrus, sed omnes vndecim Act. 1. item Protodiaconos Act.6. & ad Samaritas missus est Petrus cum Ioanne Act.8. & quæstio de Circumcisione est delata, non ad Petrum, sed ad omnes Apostolos Act. 15. Resp. cum Chrysos. ho. in Act. potuisse Petrum de se eligere,at noluisse pro bono pacis,& pro honorando collegio sibi commisso. Ita missus est ad Samaritas, non præcepto, sed consilio aliorum, quo pacto dici potest mitti in bellum Rex, qui mouetur suasione Consiliariorum. Demum ea quæstio missa est ad Apostolos, in quibus præsidebat Petrus; eam verò in Congregatione tractauit, vt commune suffragium tolleret omnem tergiuersationem.

Obij.7. Paulus Gal.2. restitit in faciem Cephæ, idest Petro, atqui fuisset arrogans reprehendendo Superiorem. Resp. probabile est cum Theophilacto in Epis.ad Gal. Oecumenio in Collectan. Eusebio 1.Hist. cap.14. & Hectore Pinto ap. Vincentium de Via in Cruce Relig. illum Cepham non fuisse Petrum Apostolum, sed quendam Cepham vnum de 72. Discipulis; nam & Dorotheus l.de septuag. duob.Discipulis nominat Cepham, & subdit; *Hunc Apostolus Paulus Antiochiæ redarguit eiusdem cognominis cum Petro, Episcopus Caniæ factus est*. Fortè est Martialis Martyr, qui se in Epis. ad Tholosanos prætitulat Cepham. At verò supponendo cum Hieron. & Aug. fuisse Petrum Apostolum; non fuit repræhensus iudicialiter, sed fraternè, quo pacto potest inferior Superiorem corripere; vnde Aug. Epis.ad Hiero. quæ incipit *iam pridem*, inquit, *Est laus itaque iustæ libertatis in Paulo, & Sanctæ humilitatis in Petro*.



ARTICVLVS QVARTVS.

An Petrus Cathedræ suæ primatum detulerit Romam.

NOt. quod post Ascensionem Christi rexit Petrus Ierosolymæ vniuersam Catholicam Ecclesiam,constituto ibi locali Diœcesano Iacobo Minore. Post quinquennium autem transtulit Sedem Antiochiam, vbi stetit septennio.Inde perrexit Romam, vbi Cathedram stabilem fixit; qua de re Hiero, in Catal. *Romam perrexit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum annum Neronis; à quo est affixus Cruci, Martyrio coronatus est;sepultus Romæ in Vaticano iuxtà viam triumphalem, totius Orbis veneratione celebratur*. Ita sentiunt Sancti Patres quorum est nume-

numerus ad vsque quadraginta. Et tamen ausus est negare Vuiclessus rem adeo indubitatam; eademque temeritate Lutherus item negat, Caluinus autem dubitat, num fuerit vnquam Romæ Petrus Apostolus.

CONCLVSIO,

ROmanam Cathedram primus fundauit Petrus Apostolorum Princeps. Prob. ex perpetua in Vrbe memoria, carceris sub Capitolio, catenarum in Exquilijs, crucifixionis in Monte aureo, sepulturę in Vaticano. Item ex consensu Historicorum, & Patrum, in quibus nemo dubitat.

Obij. ex 1. Petr. *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone*: ergo non erat Romæ. Item Paulus Roma scribens ad Galathas, Colossenses, Philippenses, Hebræos, Timotheum, Philemonem, nullibi Petrum nominat; ergo ibi non erat. Resp. cum D. Hiero. in Catal. §. Marcus, quod *sub nomine Babylonis figuraliter Romam significat*; in qua nempè erat successio Monarchiæ Mundanæ, & omnimoda Idololatrię confusio. Quod autem Paulus non nominet Petrum, nil concludit; nam neque se Romæ scribere indicat, nisi quod primo capite secundæ ad Timotheum ait de Onesiphoro, *Cum Romam venisset, me quæsiuit, & inuenit*; non verò ait se tunc Romæ consistere. Cæterum concedo scriptas in Vrbe prædictas Epistolas, sed tunc Petrus aberat, fundans Ecclesias in Anglia, Hispania, Africa, vt docet Innocentius Primus Epis. ad Decentium.

Obij. 2. ponit Hiero. Petrum venisse Romam anno secundo Claudij; atqui anno Claudij nono fuit Ierosolymis in eo Concilio Actor. 15. Resp. pulsis decreto Claudij ex Vrbe Iudæis, vt habes Act. 18. coactus est etiam Petrus discedere. Ita repetijt Ierosolymam, habuitque illud Concilium; at Romam iterato venit, vbi & Martyrio coronatus habuit successorem, vt tota fatetur antiquitas.

Quæres; quo iure Petrus Romam delegerit in sui, & Successorum Sedem. Soto ait, quod propria electione, adeoque Pontificatus Vniuersæ Ecclesiæ sit in Episcopo Romano ex facto Petri, & ita Iure humano; at Respon. id factum Iure diuino, videlicet monitu Christi. Si enim humano placito id contigisset, diuelli posset; atqui id esse contra placitum Patrum, & Conciliorum notat Belarm. 2. de Pontif. cap. 12. & quidem per annos septuaginta sedentes Auenione Pontifices, non erant Episcopi Auenionenses, sed Romani. Ergo sicuti prædixit Petro Dominus Io. vlt. modum mortis, prædixit & locum mortis, licèt id non scribatur ibi. Christus itaque ordinauit, vt Roma Caput Imperij fieret Caput Ecclesiæ, sicque lapis Danielis euerteret statuam Nabucdonosoris, dum subijceretur Christi Vicario Sedes terrenæ Monarchiæ.

ARTICVLVS QVINTVS.

An Romanus Papa succedat Petro Apostolorum Principi in Ecclesiæ primatu.

NOt. quod variè delirant Hæretici loquentes de primatu Romani Episcopi, qui vtique tot Episcopos in Orbe Catholico regit de facto. Vuiclef, & Huss. aiunt, hoc Ius ei obtigisse per decretum Constantini Magni; Lutherus refundit in Decretum Constantini Quarti; Magdeburgenses in Decretum Phocæ; Caluinus in Pipini, & Caroli magni. Verum quidem sit, Principes istos edidisse diplomata pro Pontificis Romani primatu; at recognitio, non autem concessio fuit; siquidem ad sæcularem non spectat decernere de Ecclesiastica dignitate. Putat Ioannes de Turrecremata, Pontifici hunc primatum cedere ex Decreto Concilij Niceni; at patet, per tria anteriora sæcula fuisse vnum supremum Ecclesiæ Caput; & eius Regimen in vsum positum constat ex litteris Decretalibus Alexandri Primi, Euaristi, Sixti, Thelesphori, Higini, Pij, Aniceti, & aliorum,

Not. 2. quod Nilus Episcopus Thessalon. inquit, Papam succedere quidem Petro, sed in Ecclesiæ Romanæ Episcopatu, non autem in totius Ecclesiæ primatu. At certum est, Petrum fuisse in cunctis primatem, & eadem semper adest necessitas vnius Superioris omnium, vt Schismatis tollatur occasio, vt Schismatis Authores ritè iudicentur, & excommunicentur pro tota Ecclesia. Et cuinam potest id munus competere, nisi Petri Successori? Siquidem Iure naturæ habetur ea regula, successorem plenarium potiri Iure prædecessoris. Et planè assignetur, quis Petro successerit in eo Iure Oecumenico? Cuius vrbis extra Vrbem Episcopus?

Not. 3. quod tam cæco odio blasphemant Hæretici Nouatores Vicarium Christi, vt Papam appellent Antichristum in scripturis prænunciatum. Sic autem delirant. Notæ Antechristi sunt; deficere à Fide, sedere in Templo, ostendere se tamquam Deum ex 2. ad Thessal. item efficere falsa miracula 1. Io. 2. item subditis imprimere characterem Apoc. 13. atqui, aiunt; Papa dogmatizat contra Fidem in tot Articulis, puta de Purgatorio &c. sedet Romæ in Templo Dei; se facit Caput Ecclesiæ supra omnem Ordinem politicum, & Ecclesiasticum; habet falsa miracula; signat Charactere Chrismatis. Verè infelix Hæretici vecordia. Dogmata de Purgatorio, & alia, quæ Papa docet, sunt ea ipsa Fides ab exordio Ecclesiæ seruata, vt videre est apud Patres. Sedet Romæ, atqui Antichristus prædictus est sessurus Ierosolymis, & pro Messia à Iudæis putandus. Nec Papa se extollit vt Deum, sed Deus illum extulit, & extollit, vt Christi Vicarium. Nec miracula Ecclesiæ Romanæ sunt falsa, vt iam notatum est supra. Nec signare Charactere Chrismatis est nota Antichristi, sicut neque signare Charactere Baptismi; sed Apoc. 13. signare in dextera manu, aut frontibus visibili permanente signo, itaut nequeat emere, vel vendere, qui eo careat.

CON-

CONCLVSIO.

PApa, ideſt, Romanus Pontifex Petro ſuccedit in Eccleſię primatu. Prob. innumeris Authoritatibus; at nunc ſatis erunt quatuor illa Orientis Concilia, & duo Patrum Græcorum præclara lumina. In Concilio Nicęno apud Alphon. Piſan. l.3. can. 39. *Qui tenet ſedem Romanam, Caput eſt, & Princeps omnium Patriarcharum; quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, vt qui ſit Vicarius Chriſti*. In Conſtantinop. Patres ita ſcribunt Papæ Agatoni, *Tibi, vt primæ Sedis Antiſtiti Vniuerſalis Eccleſiæ*. In Epheſino p.2. Act.3. *Sanctus Petrus in ſuis Succeſſoribus viuit, & iudicium exercet*. In Chalcedon. ſcribitur *Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Papa Caput Vniuerſalis Eccleſiæ Leo*. Hinc Athanaſius ab Arianis pulſus Alexandria, & Chryſoſtomus Byzantio, reſtituti ſunt per Romani Pontificis Authoritatem, ille à Iulio, hic ab Innocentio.

Obij. cap. *Ego Ludouicus* diſt.63. appellatur Papa Vicarius Petri; ergo non eſt Succeſſor. Reſp. hic vnus locus explicandus eſt per mille alios textus, in quibus appellatur Vicarius Chriſti; adeoque hoc loco idem ſonat Vicarius, ac Succeſſor; nam & Petrus Vicarius Chriſti ſucceſſit in plenum regimen viſibile Eccleſiæ. Dices; Papa fit à Cardinalibus, non à Chriſto, vt Petrus. Reſp. à Cardinalibus tanquam Procuratoribus Eccleſiarum totius Orbis deligitur perſona; at inſtitutionem, & poteſtatem accipit, ea canonicè electa, non ab Electoribus, ſed à Chriſto. Dices; etiam Paulus fundauit Romanam Eccleſiam; Ergo Papa non eſt magis Succeſſor Petri, quam Pauli. Reſp. ante aduentum Pauli iam per annos quatuordecim Petrus fundauerat Romæ Eccleſiam, dicitur tamen Paulus ſocius, quia multum auxit prędicatione.

Obij.2. ex cap. *Mos antiquus* diſt. 65. decernitur Epiſcopo Alexandrino Iuriſdictio in Eccleſias Aegypti, quia & *Epiſcopo Romano parilis mos eſt*, nec valet cum Gloſſatore explicare de noua Roma Conſtantinopoli, nam iſte Canon eſt ex Concilio Nicęno, quo tempore nec ea ſedes erat Patriarchalis, nec ea Vrbs appellabatur noua Roma; ergo præcellentia Epiſcopi Romani eſt introducta ex more, nec eſt diſſimilis ab alijs Patriarchis. Reſp. vtique ex more introductum eſt, vt Romanus Epiſcopus, qui eſt item in tota Eccleſia Pontifex, ſit ſuper quaſdam Eccleſias, puta in Occidente Patriarcha; & ſuper has quaſi ſuffraganeas exerceat frequentius eam poteſtatem, quam quidem ex Iure poteſt exercere in omnes totius Mundi.

Obij.3. Polycrates Epiſcopus Aſiaticus, & Irenæus reſtiterunt Papæ Victori excommunicanti Eccleſias Aſiæ celebrantes Paſcha eo die, quo Iudæi. Item Firmilianus Epiſc. Cæſareę Cappadocię contempſit Papā Stephanum. Item Epiſcopi Orientis in Concilio Antiocheno reſtitere Iulio Pontifici; ergo agnitus non fuit olim iſte primatus. Reſp. illi Aſiatici non negabant in Victore poteſtatem, ſed pretendebant, ſe non dediſſe cauſam; ideo-

que & Romam venit S.Irenæus, ac suasit ne dissidijs aperiretur via, & ipse Victor precibus acquieuit. Firmilianus teste Euseb. l.7. cap.4. erat in errore Anabaptismi, obinde excommunicatus à Stephano, quare nil mirum, si hunc contemnebat. Illud Antiochiæ fuit Conciliabulum triginta sex Episcoporum Arianorum impetentium Diuum Athanasium, qui vt Catholicus venit Romam sub præsidium supremi Iudicis Pontificis.

Obij.4. Caluin. Priuilegium de primatu Ecclesiæ; vel est locale, & ita spectat ad Antiochiam, vbi Petrus Primo sedit; vel est personale, sicque cessauit in morte Petri. Resp. est personale publicum, adeoque cum successione posterorum. Ita & Pontificatus Aaronicus erat lex personalis, sed perpetua in primogenitis sequentibus. Ille autem succedit in primatu Petri, qui Petro non superstiti succedit, & ita Petro Linus, Lino Cletus &c.



ARTICVLVS SEXTVS.

Quo sensu dicatur Papa Episcopus Vniuersalis Ecclesiæ.

NOt quod vel ea vox *Vniuersalis* cadit supra Ecclesiã, estque casus genitiui, & hoc modo ex prędictis patet, Papam optimè dici Episcopum Vniuersalis, idest, totius Ecclesię, vtpotè Episcopus Episcoporum, & consequenter mediatè totius populi fidelis; ita scribit Victor ad Theophilum Episc. Alexandriæ *Victor Romanæ, & Vniuersalis Ecclesiæ Archiepiscopus*. Vel potest ea vox in nominatiuo cadere supra Episcopum; idque duplici sensu; aut enim significat *Vniuersalis*, seù *Oecumenicus* vnicum, & hoc modo falsus est sensus, eumque titulum respuit D.Gregor. epi.30. 34. 36. Vel significat primum, seu Primatem, & verus est sensus; eoque scribit Concilium Chalcedonense ad S.Papam Leonem, *Vniuersali Archiepiscopo, & Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni*.

Not.2. ex Scipione Duplici in vita Clotharij Secundi, quod Ecclesia Constantinopolitana à principio fuit solum Parochialis sub Episcopo Heracleę, facta deinde Episcopalis. In Concilio Constantinop. primo, absentibus Legatis Pontificis, canonem tertium intruserunt Græci; *Constantinopolitanæ Ciuitatis Episcopus habet honorem primatus post Romanum Episcopum*; at diù reluctantibus Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno, donec ad preces Iustiniani Imper. annuit Pontifex, & denique declarauit Innocentius Tertius cap. *Antiqua*. Interea tanta fuit quorumdam Byzantij Antistitum arrogantia, vt Ioannes tempore Papæ Pelagij Secundi, inconsulto, Pontifice congregarit Concilium Episcoporum omnium Orientis, & se appellarit Episcopum Oecumenicum, repræhensus iuremeritò à Diuo Gregorio Papa; nam quouis dicendi sensu id erat omninò falsum, cum ille nec vnicus, nec primus esset Episcopus.

Not.

Not. 3. quòd hic occurrit quæstio, Numquid Iurisdictio Episcoporum deriuetur immediatè à Papa. Gabriel Boyuin qu. 8. de Sum. Pontif. sustinet problematicè affirmatiuam, & negatiuam. At quidem longè à Scoto, qui totus est pro affirmatiua, inquit enim 4. dist. 19. art. 5. quod *Nullus inferior Papa authoritate propria possit excommunicare, adeòque quilibet inferior excommunicat ex commissione illius, cui tenentur omnes alij obedire*. Ordo ergo Episcopatus est immediatè à Deo, at administratio regiminis, seu Iurisdictio est immediatè à Papa; adeòque Prælatus quilibet Ecclesiasticus est talis, vt delegatus, seu Commissarius Pontificis. Quia tamen hæc potestas conceditur perpetuò, ideò non dicitur delegata, sed ordinaria. Id patet in Parochis; quippè habent potestatem ab Episcopo, vtpotè à Delegato potente subdelegare: atqui Parochus non dicitur delegatus, eò quod curam illam accipit non pro tempore determinato.

CONCLVSIO.

Romanus Pontifex est Oecumenicus, idest Vniuersalis, quatenus est ita inter Episcopos Primus, vt sit vnicus fons Iurisdictionis alijs Prælatis communicatæ.

Prob. authoritate. Tertull. in Scorpi. ait *Memento; Claues Dominum Petro, & per Petrum Ecclesiæ Reliquisse*. Optatus Mileu. 7. Cont. Parme. *Beatus Petrus Claues Regni Cælorum communicandas cæteris solus accepit*. Innocentius Primus ad Concil. secundnm Carthag. *A' Petro ipse Episcopatus, & tota huius nominis authoritas emersit*. Concil. Rom. sub Gregor. Septimo cap. 23. *Licet præsul Apostolicus curam suam in singulos Episcopos diuiserit*.

Prob. ratione. Papa est Episcoporum Primus, non quomodo est Aristoteles Princeps Philosophorum, aut Cicero Oratorum, sed verè Pastor iuxta illud, *Pasce oues meas*, & est etiam Pastor populorum; quapropter iudicat grauatos ab Episcopis; Ergo Iurisdictio Episcoporum est subiecta iurisdictioni Pontificis; ergo ab isto pendet. Hinc potest eximere à Iurisdictione Episcopi, potest plures Ecclesias vnire, vel vnam partiri, sententiam Episcopi rescindere, immò præuenire.

Obij. Episcopus est Christi Minister 2. Cor. 3. non autem Minister Papæ; ergo à Christo immediatè habet potestatem. Resp. est Christi Minister Subminister, sicque est Papæ Minister immediatè, habens ab isto potestatem; qua immediatè ministret Christo, iudicando, & regendo fideles Christi. Etiam Parochus est Minister Christi, & tamen ab Episcopo habet Iurisdictionem. Et quidem si Episcopus ita immediatè haberet à Christo Iurisdictionem, vt habet Ordinem, sicut iste nequit impediri, ita nec illa posset suspendi, cuius rei oppositum patet tot Canonibus, & exemplis.

ARTI-

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An spirituali sua potestate valeat Papa condere Leges pro tota Ecclesia obligantes in conscientia.

NOt. quòd appellari potest quæstio *De Gladijs Petri*, numquid Papa habeat vtrumque Gladium Iurisdictionis in Mundo, Spiritualis, & Temporalis; quæ duplex potestas figuratur in duplici Gladio, vbi Luc. 22. ait Petrus, *Domine, ecce duo gladij hic*, vt exponitur cap. *Tibi Domino* dist. 56. Vtique in terris Romanæ Vrbis, & alijs temporaliter sibi subiectis habet Papa Ius directum, vt Princeps temporalis, non Petro, sed Constantino succedens, vt ait D. Bern. de Consid. Et quidem nil obstat, quin persona Ecclesiastica sit administrans ditionem temporalem, quippe Melchisedech fuit Rex, & Sacerdos, itemque Machabæi Pontifices fuere Principes Reipublicæ.

Not. 2. quòd aiunt Aluarus Pelagius, & Hostiensis, esse in Pontifice Romano directam potestatem in omnes Christianorum Principum terras; at melior est Bellarmini opinio, esse tantum indirectam, dicente Gelasio ad Imperat. Anastasium, vt habetur dist. 96. *Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter Mundus hic regitur; authoritas Sacra Pontificum, & Regalis potestas*; sicque si principaliter in suo Regno dominatur Rex, erit tantum indirecta alia potestas temporalis in idem Regnum. Ita ergo res explicatur. Dominatio temporalis est à Deo, vtique volente salutem æternam hominum, ideòque & subordinante vitam temporalem spirituali, sicque & Dominium temporale regimini spirituali. Hinc potest optimè dici Princeps Sæcularis Subepiscopus Ecclesiæ; quarè in Mysterium Reges vnguntur; sicque Samuel vnxit Saulem, & Dauidem. Potestas ergo Sæcularis est de Iure Diuino, quippè Deus Principes statuit, sed in ordine ad Fidem Ecclesiæ, & salutem æternam Populorum. Hinc, si Princeps sit proteruè rebellis Ecclesiæ, potest deponi sententia Pontificis, itemque si sit irremediabiliter nociuus saluti spirituali subditorum, vt habetur cap. *alius* 15. qu. 6. Zachariam Pontificem, deposito inutili Childerico, suffecisse in Francorum Regem Pipinum. Item Innocentius Quartus in Concil. Lugdun. exauthorauit Fridericum Imper. Ex hac potestatis temporalis subordinatione venit, vt potuerit Stephanus Secundus conferre Carolo Magno Titulum Imperialem, & modo habeant Principes Germaniæ Ius eligendi Cæsarem.

Not. 3. quòd Christus erat Petro daturus illimitatam in spiritualibus potestatem, non arctatam loco, tempore, personis; quippè dixit Mat. 16. *Quodcumque ligaueris super Terram, erit ligatum & in Cælo*. Neque dicas hoc idem fuisse prolatum absolutè etiam Communitati reliquæ, dicen- Domino Mat. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis, super terram, erunt*

erunt ligata, & in Cælis. Etenim hæc verba dicta sunt in plurali, sed cum subordinatione ad Petrum, vt patet ex ipso textu considerato à Scoto 4. dist. 19. §. *de quinto*. Nam Petro dixerat Christus, *Si peccauerit in te Frater tuus, vade, & corripe eum &c.* Et mox subintulit *Amen dico vobis, quæcunque &c.* Quòd autem Petro dixerit Christus, *Si peccauerit in te &c.* colligit Scotus, vt puto, ex eo quod subdit Euangelista, Petrum accessisse, & interrogasse; quoties esset dimissurus fratri offendenti, num vsque septies; adeòque ad Petrum intimabantur ea verba, *Dic Ecclesiæ*, ad quæ sequuntur illa, *Amen dico vobis &c.* Vtique dic, idest iudica coram Ecclesia, seu denuntia iudicatum.

Not. 4. quomodo iuxta Scotum ea methodus fraternæ correptionis principaliter docet Prælatum: vt primò in secreto moneat subditum delinquentem: deinde coram aliquibus, quasi testibus, ne possit dicere, se non fuisse monitum: denique pertinacem sententiet in facie Ecclesiæ. Quapropter corollariè infert Scotus: *Ex quo patet, quod Deus approbat solutionem, & ligationem Ecclesiæ, quam qui contemnit, habendus est, sicut Ethnicus, & Publicanus.* Ergo cum inquit Christus toti Ecclesiæ, *Quæcunque alligaueritis*, intendit, posse Ecclesiam in Concilio sententiare, sed per Petrum, seu in Petro, cui sigillatim antea dixerat, *Quodcunque ligaueris &c.*

CONCLVSIO.

Pontifex potest condere leges toti Ecclesiæ, obligantes in conscientia. Contra Valden. Vuiclef, Huss, Luther. dicentes, quòd Prælati solum possunt exhortari ad obseruanda mandata Dei. Item contra Vigorium, qui cum suo Caluino concedit quidem, posse leges condere, sed solum in Synodo Generali Episcoporum.

Prob. Petro dixit Christus Mat. 16. *Quodcumque ligaueris &c.* nec id frustra, ergo data est Petro potestas ligandi, & soluendi, idest sententiandi; & hæc illimitata, dum ait *Quodcumque*, sed item limitata, dum ait *super terram*; nempè sub Cœlo, videlicet sub foro Dei; & ita planè tot Canones constituerunt illi primi Sancti Pontifices. Quòd autem hæc Iura Canonica obligent in conscientia, subdit Christus dicens; *Erit ligatum & in Cælo*, idest à Deo. Et quidem ait Paulus Rom. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Si ergo habet Papa Ius sententiandi sub Deo, etiam Ius leges condendi sub Deo.

Obij. Hæretici; id potius spectare ad Principem; nam in Veteri Testamento maiores erant Reges Pontificibus: vnde 3. Reg. 2. Salomon exauthorauit Abiatharum Pontificem; & 2. Paral 29. Ezechias correxit Sacerdotes. Resp. depositio Abiathari non fuit à Salomone iudicialiter, & vt Rege, sed declaratiuè, & vt à Phopheta iuxta vaticinium Samuelis 1. Reg. 2. fore abijciendā à Pontificatu stirpem Heli; quarè & addit ille textus, *vt impleretur sermo Domini &c.* Correptio Ezechiæ non fuit iudicialis in materia spirituali. Cæterū suprema in spiritualibus Authoritas Pontificis pa-

tet

tet Deut. 17. vbi ſuperbè reſiſtens ſummo Sacerdoti declaratur reus mortis.

Obij. 2. Ioann. de Vueſphalia ex Mat. vlt. *Docentes ſeruare, quæcunque mandaui vobis*, ideſt leges meas; non ergo veſtras. Reſp. retorquendo; atqui Chriſtus mandauit Petro paſcere; ergo ouibus mandauit, Paſtorem agnoſcere; nam correllatiua ſunt ſimul volita, cum ſint ſimul natura.

Obij. 3. Caluin. ex Deut. 12. *Hoc tantum facito, non addas, neque minuas*; & Iacob. 4. *Vnus eſt Legiſlator, & Iudex*. Reſp. Senſus eſt, nil addendum ſuperſtitiosè, vel detrahendum temerè; Cęterum in Sacris Officijs addidit Dauid organa Muſicorum 1. Paral. 16. & dedicato Salomonis Templo, additum eſt Calendario Feſtum Encæniorum, de quo Ioan. 10. Quantum autem ad illud de vno Iudice ſenſus eſt dę Iudice cordium; & nunquid viuet Mundus abſque Iudicibus?

Obij. 4. ex 1. Cor. 7. *Nolite fieri ſerui hominum*. Reſp. ſubiectio Pontifici non eſt ſeruitus, quippè eſt ſubiectio filialis; & ipſe, vt Pater, & Paſtor laborat, ac vigilat noſtro bono. Neque nos ipſi facimus nos ſubditos, ſed Deus nos fecit ſubditos, dum nobis Paſtorem conſtituit; atque id totum ad noſtram vtilitatem. Iam verò ex ea Pontificis poteſtate venit, vt

Primò, poſſit diſpenſare in legibus Eccleſiaſticis citra ſcandalum. Ita D. Gregor. Epiſ. 31. ad Felicem Epiſcop. Siciliæ ait, ſe diſpenſaſſe cum Anglis in gradibus Matrimonij prohibitis.

Secundò, punire per cenſuras Eccleſiaſticas, etiam Epiſcopos, etiam Principes. Ita Nicolaus primus excommunicauit Colonienſem, & Treuirenſem Epiſcopos, vt ait Sigebertus ad an. 872. & Gregorius Tertius Leonem Iſaurium Imper. vt ait Zonaras.

Tertiò, indignos Epiſcopos deponere. Ita Nicolaus Primus in Epiſt. ad Michaelem recenſet octo Patriarchas Conſtantinopolit. depoſitos à Romanis Pontificibus, quorum Agapetus depoſuit Antimum, ſuffecto Menna, nil terrentibus minis Imperatricis.

Quartò, Eiectos, vel depoſitos reſtituere. Ita Iulius primus reſtituit in ſuas Sedes, Athanaſium Alexandriæ, Paulum Conſtantinopoli, Marcellum Ancyræ.

Quintò, Electiones Epiſcoporum confirmare; idque quod ad Pontificem ſpectet, habetur cap. *Salonitanæ* diſt. 63. & alibi.

Sextò, recipere, & iudicare appellationes totius Eccleſiæ; cap. ad *Romanam* 2. quæſt. 6. & alibi. Ita D. Gregor. priuauit Ioannem Epiſcopum Græcum, eo quod iudicaſſet Epiſcopum Thebanum, qui ad Apoſtolicam Sedem prouocauerat.

Septimò, reuocare ad Apoſtolicam Sedem grauiores cauſas, cap. *multis* diſt. 17. & alibi.

Octauò, nemini liceat, à Romano Pontifice appellare, cap. *nemo* 9. q. 3. namque appellatio ad maiorem fit *l. præfecti ff. de minori*.

ARTI-

ARTICVLVS OCTAVVS.

An Papa sit infallibilis in Decretis Fidei, & morum.

NOt. quòd Papa cõsiderari potest, vel tamquam persona, aut Doctor particularis, vel tamquam publicus Ecclesiæ Magister ex Cathedra docens. Ita refert Scotus 4. dist. 7. qu. 5. quòd Innocentius Quartus cum exposuisset Ius Canonicum, perquisitus, quale robur haberet ille tractatus, respondit; nolle, illud haberi pro authentico, sed tantum pro magistrali, idest, vt edito per proprium humanum studium. Tunc igitur docet Ecclesiam, vt Pontifex, & ex Cathedra Apostolica, quando non de suo studio profert, sed adhibitis Consiliarijs, præmissis Ecclesiæ precibus, auditis partium disputationibus, inuocata Spiritus Sancti Assistentia, pronunciat aliquid credendum, vel agendum toti Ecclesiæ. Ita euadis grauem illam difficultatem de extrauaganti Ioannis vigesimi secundi *Ad conditorem Canonum* oppositam Decretalibus, Nicolai Tertij *Exijt qui seminat*, & Clementis Quinti *Exiui de Paradiso*. Procedit quippè Ioannes tanquam Doctor, vt patet ex modo scribendi disputatiuo.

Not. 2. quòd Albertus Pighius l. 4. Hierarch. putat, nullo modo fieri posse, vt Papa intus, & verè euadat Hæreticus, ob illud Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*. Et quidem si impossibile est, Ecclesiam totam carere fide vera, seu errare, adeòque non esse aliquod indiuiduum eius, in quo non sit illibata Fides, de nullo id magis affirmandum, quam de illo, qui est Doctor publicus Ecclesiæ. Vnde & ego puto dicta ea verba ad Petrum, vt ad posteros eius spectantia, sicut ad eos spectant ea statim addita; *Et tu aliquando conuersus confirma Fratres tuos*. Tamen communis opinio censet probabilius, posse Papam fieri hæreticum. Nam in sexta, & octaua Synodo accusatus est Honorius, quamuis per falsos testes; atqui illi Patres illicò repulissent accusationem, si putassent esse impossibile, Papam errasse in Fide. Ad hoc tamen respondeo; immò quia sic sentiebant, admiserunt querelam, vt ita impudentia accusatorum argueretur publicè, qua de re iam certi erant.

Not. 3. quòd Hæretici Magdeburgen. & Caluin. partim confingentes, partim referentes è codicibus per veteres Hæreticos falsatis, notant de hæresi aliquot Romanos Pontifices, vt etiam supra ex parte recensui; at facilè refelluntur ex collatione Historiarum, & sanorum librorum, vt latè præstat noster Franciscus Macedo Schola Theolog. 7. cap. 5. Cæterum data hypothesi, aliquem Papam euadere hæreticum; subit difficultas, quid de eo esset. Supponitur autem de hæresi publica: nam de occulta, & vbi non potest esse præsumptio, non est locus iudicio, nisi Diuino; adeòque hæresis occulta non separat ab Ecclesia in facie Ecclesiæ, sed solùm coram Deo. Licet enim hæreticus occultus sit formaliter, sed inuisibiliter

extra Ecclesiam, vtpotè membrum verè mortuum, tamen præsumptiuè, & materialiter est in Ecclesia, videlicet membrum mortuum non resectum.

Not. 4. quòd in casu illo, quem puto impossibilem ex promissa Christi assistentia, tamen dato per hypothesim, variè sentiunt Doctores. Caietanus inquit, esse admonendum, & si persistat deponendum, vt publicè hæreticum. At Bellar. l. 2. cap. 30. obijcit; nam si est verè Papa, donec deponatur, sequitur, posse Concilium supra verum, & certum Papam. Concludit ergo Bellarm. cum Driedone, & Cano, quòd eo casu, statim, ac fieret publicè hæreticus, excideret gradu; namque, dum amittit esse membrum Ecclesiæ, multo magis desinit esse Caput. Sed numquid extra casum hæresis ob alia crimina potest deponi? Vigorius Pontificatui infensus affirmat, sed Catholici negant. Etenim quamdiù est verè Summus Pastor, à nullo est iudicandus, nisi à Deo. Hinc Sinuessanū Concilium noluit iudicare scandalum Marcellini in Idoli thurificatione, sed dixit, *Tu te iudica, nam prima Sedes à nemine iudicatur.* Nec valet obijcere Concilium Basileense, vtpotè inualidum, acephalum; neque Constantiense, de quo infra, vtpotè agens in casu Papæ incerti.

Not. 5. quòd Pontificij irrefragabilis iudicij infallibilitas in eo negotio est statuenda, in quo saluatur veritas Ecclesiæ, quam Deum vult durare, & esse in fide illibatam; quippè, si in vno Articulo erret, iam non est Diuina, & verax; sicuti non est verax, sed mendax, qui dicat mille veritates, & vnam falsitatem. Ergo in iudicio controuersiæ de credendo, aut necessariò agendo, vtpotè de medijs æternæ salutis totius Ecclesiæ, necesse est, esse vnum Doctorem infallibilem. Non autem est necessaria ad salutem totius Ecclesiæ infallibilitas in quæstionibus facti, seu in iudicio personæ. Hinc in isto casu potest falli, nedum Papa, sed ipse etiam cum Concilio, vtpotè auditis falsis testimonijs. Id patet in exemplo trium Episcoporum Nestorianorum Theodori, Theodoritis, & Ibæ, qui in Concilio Chalcedonensi declarati innocentes, damnati denique fuere in Concilio Constantinop. secundo.

CONCLVSIO.

Solus Papa est verus, & legitimus Iudex, & interpres veri sensus Sacræ Scripturæ, seù vt docet credenda, seù vt explicat diuina præcepta; adeoque Iudex controuersiarum Fidei, & Magister morum; eiusque iudicium ex Cathedra datum est omninò infallibile. Contra hæreticos dicentes, Iudicem controuersiarum Fidei esse Scripturam, eamque per se claram esse, & tamen de ea inter se caninis morsibus litigant.

Prob. prima pars. Scriptura nequit esse Iudex sui ipsius; etenim vbi de numero Sacramentorum litigatur, nedum inter Catholicos, & Hæreticos, sed etiam inter ipsos Hæreticos, in Scriptura non habetur vlla propositio enumerans quot sint Sacramenta, immo neque sub nomine Sacramenti agitur ibi, vel de Baptismo, vel de alio Sacramento nouæ legis; ergo Scriptura exigit

exigit vnum Iudicem, & legitimum interpretem extra ipsam. Verum quidem est, Scripturam, & traditiones catholicas in scriptis Patrum notatas adhiberi, vt normam huius Ecclesiastici iudicij; cæterum; si est necessarium iudicium liti dirimendæ, est necessarius legitimus Iudex; hic autem nequit esse, nisi cui competit ex tradito diuinitus officio dirigere Ecclesiam in suum æternum finem; adeoque is, cui dictum à Christo, *Pasce oues meas*: idem dicito in materia morum; v.g. an liceat Christiano simulare alienam Sectam: num sit Simonia vendere sepulturam, & quomodo &c.


Prob. secunda pars. Tota Ecclesia non potest perire, nam Mat.16. *Portæ Inferi non praualebunt aduersus eam*; atqui si iudicium Papale in his, quæ respiciunt totam Ecclesiam esset fallibile, posset perire tota Ecclesia. Siquidem dato, quod proferat tenendam toti Ecclesię propositionem erroneam: quilibet, aut credit eam de Fide, & ita excidit à vera Fide Diuina: vel non credit, & ita fit schismaticus; sicque tota Ecclesia perit, pars per hæresim materialem, pars per schisma formale. Enim verò tenentur oues sequi Pastorem, & vbi Christus dixit *Pasce*; obligauitque Petrum ad dirigere, eo ipso obligauit reliquos ad dirigi; sunt quippè ista correllatiua. Quod autem se solo Pontifex possit iudicare de Fide, & moribus, patet; nam ante Concilium Nicænum damnatæ sunt plures hæreses, & datæ pro tota Ecclesia plures leges; vnde Gelasius Papa ad Episco. Dardan. *Nec prætermittimus, quod Apostolica Sedes, nulla existente Synodo, habuerit facultatem, damnandi, quos oportuit*, Hoc iure damnatæ sunt nuper propositiones Iansenij, & aliæ multæ de moribus ab Alexandro Septimo, Innocentio Vndecimo, Alexandro etiam Octauo.

Obij. contra primam partem. Isa.8. Deus nos mittit, non ad Papam, sed ad Scripturam, *ad legem magis, & ad testimonium*; & Io.5. ait Christus, *Scrutamini Scripturas*. Resp. nil est ad B de controuersijs Fidei; nam Iudæi consultantes futurum Reipublicæ statum à Pythonibus, mittuntur ad Prophetas, & ad legem prædicentem clarè euersiones Israelitarum à Deo recedentium. Item quia Iudęi gloriabantur, se habere Dei Scripturas, illuc mittuntur à Christo in ea reperturi præclarè de aduentu Messiæ, & signis huius adimpletis. Cæterum si in controuersijs Fidei sufficit Scriptura; quare Actor. 15. orta lite de necessitate Circumcisionis, non recurrerunt illi Christiani de se ad Scripturam, sed miserunt Ierosolymam ad Apostolos? Et licèt per contradictionem fuerit recursus, tamen data à Petro sententia, nemo amplius contradixit, sed subditur in Sacro textu *Tacuit autem omnis multitudo*; qua de re Hieron. Epist.99. ad Aug. *Et in sententiam Petri Iacobus Apostolus* (loci Episcopus) *& omnes simul Presbyteri transierunt*.

Obij. contra alteram partem ps.15. *Omnis homo mendax*. Item cap. *si Papa* dist.40. habetur, Papam non posse iudicari, nisi si fieret hæreticus; ergo eius assertio non est infallibilis, quippè potest errare in Fide. Resp. etiam Papa, vt purè homo, & in priuato potest esse mendax in aliquo; sed

non in publico, & vt Doctor Ecclesiæ Iudex. Deinde, vt possit esse mendax, prout prætendit Psalmista, sufficit, quod possit falli in rebus facti: & cum hoc stat, quod nullo modo possit falli, vel fallere in veritate Fidei, & sententiatione Doctrinæ. Ille canon *si Papa* explicatur, quod in casu illo non iudicatur Papa, sed persona iam nudata Papatu, & iudicatur, excidisse loco: at ego dicerem, proferri illud per hypothesim impossibilem iuxtà superius dicta.

Quæres. An possit errare in iudicijs facti respicientibus totam Ecclesiam, cuiusmodi sunt circa Ordines Religiosos, circa Sanctorum Canonizationem &c. Melchior Canus l.5. cap.6. concedit, posse errare. At cum D.Thoma quol.9. dico, non posse errare, si iudicet talia ex Cathedra, & definitiuè proponat Ecclesiæ Vniuersæ. Ratio est, quia in aliquo præualerent Dæmones in totam Christi Ecclesiam, & possent hostes Christi exprobrare toti familiæ Christi. Iam verò *Portæ Inferi non præualebunt.*



DISPVTATIO TERTIA.

De Concilijs.

VOcabulum hoc etiam in veteri legitur testamento. vt num. 16. *Viri proceres Synagogæ, qui tempore Concilij per nomina vocabantur.*

Vuicleffitæ, Lutherani, alijque Hæretici, quando eis proponitur aliquid, tamquam ab Ecclesia definitum, hac vtuntur fuga; Ecclesiam totam nunquam congregari potuisse. At confunduntur apertè; nam Respublica, vel Regnum profert Decreta valida, etiamsi nō singuli familiarum subscribant, nec conueniant, nisi Senatores, & Principes. Ita ergo Concilium Generale, seù Vniuersale, Græcè Oecumenicum, totam repræsentat Ecclesiam, iuxtà illud Act. 15. *Placuit Apostolis, & Senioribus cum omni Ecclesia &c.* quandoquidem non omnes Christiani aderant, cum essent multi tunc Antiochię. Est itaque Concilium Generale tota Ecclesia, totalitate Magistratus, licèt non totalitate multitudinis. In cassum blaterant heterodoxi, esse Concilia humanum inuentum; nam, vt prætereamus acta veteris Testamenti, vt illud Iosue 24. sub Pontificatu Eleazari pro eijciendis Idolis, & sepeliendis pompa sacra ossibus Ioseph, nequaquam Apostoli Act.15. dixissent, *Visum est Spiritu Sancto, & nobis,* si opus illud congregationis prudentiale dumtaxat, & non diuinum agnouissent. Hinc Concil. Chalcedon. in Epis.ad Leonem, & Cælestinus Papa ad Concil. Ephes. colligunt originem Conciliorum noui Testamenti ex illis Christi verbis Mat. 18. *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum.*

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

An Concilium Generale sit necessarium.

NOt. quod quadruplex est Concilium; Generale, Nationale, Prouinciale, Diœcesanum: Vel enim est collectum ex Episcopis de toto Orbe Christiano, neminem excludendo, & ita Generale; vel non de toto, idque dupliciter; nam, vel vnus dumtaxat adest Episcopus, vel plures: si plures, vel de Prouincijs diuersis Metropolitę cum suis suffraganeis conuocantur à Patriarcha, estque Concilium Nationale, vel vnus Metropolita conuocat suffraganeos in sua Prouincia, estque Concilium Prouinciale: sin autem Antistites conuocat suos Parochos, est Concilium Diœcesanum, aliàs Synodale. Est autem statim adnotandum, posse esse Concilium Generale, seù Oecumenicum, & tamen illegitimum, & reprobatum, videlicet, si declinet à Capite, nempe à Romano Pontifice. Id videbis in Syllabo ad calcem disputationis apponendo.

Not. 2. quod varijs de causis celebrata sunt Concilia. Aliquando ad extirpandam hæresim, vt Concilium Nicæn. contra Arium; aliquando ad tollendum Schisma, vt Constantiense, quando contra legitimum Ioannem Vigesimum tertium sedebant, Gregorius Duodecimus, & Antipapa Benedictus Tertius decimus; aliquando pro Ecclesiæ indemnitate contra pacis turbatores, vt vbi Gregorius Septimus conuocauit cōtra Henricum Quartum Imper. aliquando pro reformatione, ad elimandos abusus, cuiusmodi fuit Lateranense tertium; aliquando pro bellica expeditione contra hostes Ecclesiæ, vt Lugdunense primum. Nonnunquam etiam congruum fuit, Pontificem purgare suam famam in Synodo, vt egerunt, Damasus, Leo Quartus, Sixtus Secundus.

Not. 3. quod planè huiusmodi specimen præmonstratum est in Apostolis. Adnotat Sco. 4. d. 3. q. 4. §. de secundo, *Quartam Synodum habitam in Ierosolymis*; & quidem ibi Apostolos quater congregatos obseruo. Primò Actor. 1. pro implendo loco proditoris Iudę, & tunc *Exurgens Petrus in medio fratrum dixit &c.* Secundò Actor. 6. pro designandis Protodiaconis ad Ecclesiæ pacem, & tollendum murmur Græcorum aduersus Hebræos, quapropter *Conuocantes duodecim multitudinem discipulorum dixerunt &c.* Tertiò Actor. 11. pro fama Petri à Christianis Iudæis impetita ob collatum Baptismum gentili homini Cornelio, & vbi se Petrus purgauit, *His auditis, tacuerunt*. Quartò Actor. 15. pro definienda controuersia Fidei: num essent seruanda legalia Mosaica, vt prætendebat hęresis Pharisęorum, *Conueneruntque Apostoli, & Seniores*, & post multam conquisitionem, seu disputationem, Petrus tulit sententiam. Itaque prima Synodus Apostolorum fuit pro Ecclesiæ perfectione, secunda ad tollendum dissidium, seu Schisma; tertia pro honore Pontificis, quarta contra hæresim Pharisaicam.

Not. 4.

Not.4. quod multa est Conciliorũ vtilitas; etenim facilius adimplentur per totius Ecclesiæ Episcopos ea, ad quæ præstanda se publicè obligauere, subscribendo Decretis. Magis etiam confunduntur Hæretici, dum vident se à tot Ecclesiæ Patribus damnari, nec vllum patere subterfugium; quippe, si etiam quis dubitaret de Pontificis solius infallibilitate, nemo tamen Catholicus de infallibilitate legitimi Concilij ambigit. Verumtamen ob circumstantias occurrentes non modica possunt obrepere in celebratione Concilij pericula, vt experimento est illud Concilium Basileense; de quo facto Schismatico, & Conciliabulo, aiebat lepidè D.Antoninus Archiep. Florent. Basileam peperisse Basiliscum. De huiusmodi incommodis scribit Nazianzenus ad Procopium,

CONCLVSIO.

Concilia Generalia bona vtique sunt; sed non sunt iam absolutè necessaria. Contra Vigorium.

Prob. quia sine illis periculis, & incommodis præstari potest à Pontifice solo quidquid præstari potest à Concilio nec minoris authoritatis est persona Pontificis, *Cui obedire debet fraternitas Vniuersa*, vt ait D.Cyprianus l.1. Epis. 3. Itaque, si in Concilio damnandæ sint hæreses, multæ item damnatæ sunt per solos Pontifices, vt constat de tribus sæculis ante Concilium Nicænum. Si dirimendum sit schisma, plusquam viginti quinque deleta sunt absque Concilio ante Synodum Constantiensem, quæ vltimum schismatum sustulit; & quidem per solos Cardinales electores potest omne dubium auferri. Si excitanda sint arma in hostes Fidei, felicius id præstitit Innocentius Vndecimus, quam plures Synodi. Si corrigendi sint abusus, potest id fieri per Epistolas ad Prælatos Ecclesiarum. Ita obseruat Scotus 4. d.11. qu.6. in fine; qualiter ad extinguendam hæresim Ebionitarum volentium Christianos iudaizare, adeoque laudantem celebrationem in azymo, quasi quid iudaicum, constitutum est sub Leone Pontifice, vt Ecclesia conficeret Sacramentum in fermentato; *Sed hæresi illa extincta, rediјt Ecclesia Occidentalis ad primam consuetudinem, quæ conformis est institutioni Christi, & promulgationi facta per eius Vicarium Petrum*; Nec tamen ad hoc fuit opus Concilio.

Obij. potest euenire dubitatio de vera Electione Pontificis, vel suspicio de aliqua hæresi in illo; ergo tunc esset omninò necessaria Synodus. Resp. nego antec. de Pontifice iam legitimè publicato; nam tota Ecclesia tenetur de Fide habere illum, vt Pastorem, vtpotè Successorem Petri. Et sicuti ille tenetur Iure Diuino ad illud, *Pasce oues meas*, ita nos omnes de Iure Diuino tenemur illi subesse, vt Pastori; siquidem ex natura correlationis venit, quod inquit Scotus 4.d.17.§.si tertium; *Nulli committitur potestas iudiciaria, vel arbitraria, nisi alicui imponatur necessitas, submittendi se sibi*. Quantum autem ad suspicionem hæresis; data hypothesi, quod publicè profiteretur errorem in Fide, iam de se excideret loco; vnde & procederent Electores ad alterius electionem.

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quis possit, legitimè congregare Concilium Oecumenicum.

NOt. quòd Luther. Caluin. Brent. Magdeburg. Vigorius, prætendunt, id spectare ad Imperatorem. Hinc Molinæus aiebat, Concilium Tridentinum non esse recipiendum, vt potè non ab Imperatore, sed à Pontifice indictum. Hanc inanem rationem obtendebant Protestantes, ob quam in eo Concilio non comparuerunt. Planè mirum cogitatu;quod Caluinus fateatur, esse conuocandum Concilium Nationale à Patriarcha, seu Primate; Synodum item Prouincialem à Metropolita, seu Archiepiscopo; denique Concilium Synodale ab Episcopo; atqui nolit, esse conuocandam Synodum Generalem à Pontifice. His insanijs adde prætensiones ridiculas Lutheranorum relatas apud Boyuin qu. 7. Primò. quòd irritetur Concilium Tridentinum; Secundò, post irritationem fiat Concilium, sed in Germania, vbi lites enatæ sunt: Tertiò, nec illud conuocet, nec præsideat Papa, vtpotè illis aduersarius; Quartò, ex sola Scriptura iudicium feratur, non autem è canonibus, vel traditionibus; Quintò, Papa absoluat Prælatos à iuramento fidelitatis, quo ei adstringuntur; Sextò, non attendatur ad pluralitatem suffragiorum, sed ad Scripturæ allegationem, Septimò, Theologi Principum, & præcipuè sequaces Confessionis Augustanæ ferant suffragia, sicut Episcopi; Octauò, ab Imperatore detur Saluus conductus, nedum personis, sed etiam causæ, ita quod non possit condemnari opinio v.g. Lutheranorum, si illam tueri non valeant. Quis ad hæc insana non rideat?

Not. 2. contra Luther. Caluin. Vigorium dicentes, Imperatoris esse præsidere in Concilio; quòd dupliciter quis dicitur præesse, videlicet, Magisterio, & Ministerio, seu adiutorio. Constantinus in Concil. Nicæno, & Marcianus in Chalcedonen. præfuerunt ministerio, vt Fidei, & pacis Ecclesiasticæ tutores, nè videlicet diffidia Episcoporum obessent. Et proindè monet D. Ambro. epis. 32. Constantinum non se fecisse Iudicem, sed liberum Episcopis reliquisse iudicium. Pontifex ergo præest Magisterio, seu per se, seu per suos Legatos, vt patet in Actis Conciliorum. In Nicæno præsedit Osius Episc. Cordub. à S. Siluestro missus. In Constantinopolitano Nectarius Patriarcha eius loci, at nomine Pontificis, à quo Romam erant conuocati omnes, etiam Orientales, at hi de impotentia se excussarunt; quod si arrogasset Nectarius proprio Iure præesse, non se excusassent profectò. In Ephesino præfuit D.Cyrillus Patriarcha Alexandrin. vt Papæ Vicarius in Oriente, adfuitque Legatus Papæ Philippus Presbyter Romanæ Ecclesiæ. Chalcedonensi præfuerunt tres Legati Pontificis Leonis, ad quem & scribunt Patres eius Synodi in Epist. *Repletum*, his verbis. *Nobis omnibus sicut membris præeras in ijs, qui tuum tenebant ordinem.*

Not.3.

Not. 3. iuxta Scot. 4. dist. 13. quæst. 2. §. *si etiam*; quod dum Iudex Ecclesiasticus committit Iudici Sæculari Clericum reum puniendum, exuit quidem hunc priuilegio Ecclesiastico, sed nil læditur ipsum Ecclesiæ priuilegium, quia *Dum manet priuilegium, potest aliquis Sæcularis in eum esse Minister Iudicis Ecclesiastici*. Est ergo politicus Princeps Minister, seu executor Ecclesiæ. Hinc ad Concilium conueniunt, Episcopi, Theologi, & Principum Legati, sed diuersimodè; nam Episcopi, vt Iudices sub Pontifice cum suffragio decisiuo; Theologi, vt negotij examinatores cum suffragio consultiuo; Legati Principum Sæcularium absque vllo suffragio, vt testes, & executores.

Not. 4. quòd Episcopi habent suffragium quidem decisiuum Iure proprio; vnde Iacobus Episcopus Ierosol. dixit Act. 15. *Ego iudico, non inquietari &c.* sed tamen hoc ius habent à Pontifice illis collatum; qui cum posset solus rem definire, transfundit suum Ius in eos congregatos, quibus ipse vult; ideòque, & potest admittere cum suffragio decisiuo Cardinales non Episcopos. Valdè autem congruit, vt Episcopis conferat Ius definitiuum, vtpotè Pastoribus ordinarijs Ecclesiarum, & ne tanti Patres ad solam consultationem conuenerint, indeque scandalum oriatur. Quòd autem conferri possit etiam non Episcopis, patet ex Concilio tertio Lateran. Vbi subscripsere Abbates duodecim, & multi Priores Conuentuum. Ita etiam in Concilio Nicæno subscripsere Chorepiscopi, qui erant simplices Presbyteri, ex quo casu priuilegij extraordinarij frustrà contendit Vigorius, Parochos habere ius ferendi suffragij.

CONCLVSIO.

AD solum Romanum Pontificem spectat, indicere, seu conuocare Concilium, adeòque in eo præsidere.


Prob. quia soli Petro dictum est, *Pasce oues meas*. Hinc ait Papa Marcellus Primus epist. ad Episcopos Antioch. de Apostolis; *Inspirante Domino constituerunt, vt nulla Synodus fieret, præter authoritatem Summi Pontificis*. Quare in Concilio Chalcedonense Dioscorus Patriarcha Alexandrinus priuatus est loco, quem tenebat in eo consessu, atque coactus in medio respondere Legatis Papæ de temeritate, qua Ephesi conuocarat Concilium absque licentia Pontificis Leonis; vt patet ex Concil. Chalcedonen. Act. 1. quòd autem non sit Imperatoris, conuocare Concilium, aut in eo præsidere, est euidens ex omnibus hucusque actis; dum nullibi habetur subscriptio, aut confirmatio, seu Imperatoris, seu Legati Principis Sæcularis.

Obij. Constantinus conuocauit Synodum Nicænam, Theodosius maior Constantinopolitanam, Theodosius iunior Ephesinam, Marcianus Chalcedonensem; quare, & ait D. Hieronymus Apolog. 2. in Ruffin. *Responde, quis Imperator, hanc Synodum iusserit congregari*. Resp. Conuocarunt, non vt Magistri, sed Ministri Ecclesiæ, & executores Apostolicæ Sedis. Ita aiebat Constantinus Patribus Nicænæ Synodi, vt refert Euseb. in vita l. 4. cap. 24.

cap. 24. *Vos intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam à Deo Episcopus constitutus sum*; quasi diceret *Subepiscopus.* Ita & Concil. Constantinop. primum scribit ad Damasum, & alios Episcopos Romæ congregatos, vt habet Theodoret. l.5. cap. 9. *Et nos vt propria membra conuocastis per litteras Dei amantissimi Imperatoris.* Dabat ergo Pontifex encyclica, idest epistolas, per Orbis circuitum latas, conuocatorias Episcoporum ad Synodum, quas comitabantur epistolæ Imperatoris, vt effectum debitum sortirentur. At quidem tunc ferè tota Ecclesia erat in Orbe Romano; Sed modò quid præualerent ad congregandas tot diuersas nationes, & Regna litteræ Imperiales? At benè possunt Papales quippè æquè sunt Filij Pontificis omnes Catholici Principes. Vide iam catenandos phræneticos; volunt Concilium Generale, & volunt congregandum non à Papa, sed ab Imperatore, extra cuius ditionem tot Principatus existunt. Et Imperatoris Germani præeminentia, titulus, authoritas extra natiuas ditiones, vndè profluxere? nonne à Romano Pontifice?

Collige; qualiter in hoc summo capite Papa stat robur Concilij; adeòque ad eum spectat. Primò, confirmare Decreta & Acta Synodorum, & eo ipso verificatur illud; *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Secundò, irritare, & declarare illegitima Conciliabula; sicque Damasus reprobauit Synodum Ariminensem, & tamen maior pars Episcoporum consenserat. Tertiò, secernere Canones, & pro suo Iure aliquem reijcere; atque ita D. Leo irritauit quoddam Decretum Concilij Chalcedonensis; cui maior pars consenserat, vt ipse scribit epist. 53. 54. 55. Quartò, ambiguitates Conciliorum declarare, vt habetur cap. *Nec licuit* dist. 17. & cap. *Sicut enim* 11. qu. 1. Quintò dispensare super Decretis Conciliorum; vt habetur cap. *necessaria* 1. qu. 7: Sextò, Decreta Concilij abrogare, iuxta cap. *non debet*; de *consangui.* vnde & modo gradus affinitatis aliter præscripti sunt, ac olim.

Dices; ex cap. *sicut* dist. 15. Concilia sunt veneranda instar Euangelij; ergo nequit Pontifex quidquam immutare. Resp. sensus est quo ad credenda, quippè habita Papali confirmatione sunt de Iure Diuino, adeòque inalterabilia etiam à Papa; at verò Decreta de agendis manent semper Iuris humani Ecclesiastici, adeòque mutabilia à Pontifice. Et quidem semel verum, est semper verum pro tunc, quando fuit primò verum, at id, quod aliquando est bonum, potest esse quandoque non bonum, & ita rescindi.



ARTICVLVS TERTIVS.

An Papa sit subditus Concilio.

Not. quòd affirmant, Gerso, Almainus, Panormit. Abulen. & multi Sorbonistæ, putantes Pontificem in Vniuersali Ecclesia instar Ge-

neralis in sua Religione, qui nempe subest Capitulo Generali. Concedunt itaque, esse Papam Superiorem singulis Ecclesijs particularibus, non autem toti Ecclesiæ in vnum collectæ. Oppositum sentiunt communiter Theologi; quorum aliqui censent, esse de Fide; at Boyuin putat puram opinionem, vtique probabiliorem, non autem Articulum de Fide tenendum, nè vt hæreticam damnet præfatorum sententiam.

Not. 2. quòd occasio huius controuersiæ fuit, quia anno 1409. Concilium Pisanum deposuit Benedictum Tertium decimum, & Gregorium Duodecimum, electo nostro Alexandro Quinto, at verò huic citò defuncto successit Joannes Vigesimus tertius; nec tamen illi duo cedere huic, vel inuicem voluerunt; quapropter ad tollendum tam graue Schisma, iam quadragenarium, congregati sunt in Concilio Generali Constantiæ anno 1414. quod durauit quadriennio. In primis Sessionibus declaratum est, Concilium esse supra Papam; etenim nullus alius cernebatur expediens modus tollendo Schismati. Sic ergo sanxerunt; *Concilium Generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem dicti Schismatis.* Ita depositi sunt illi tres, ipso etiam Ioanne sententiam approbante, electusque est Martinus dictus quintus, qui firmauit *conciliariter Acta.*

Not. 3. quòd conciliariter Acta intelliguntur, quæ præuio maturo examine, cohærenter ad alias declarationes Ecclesiasticas à pleno Concilio discussa, & decreta fuere, cuiusmodi fuit damnatio Vuicleffi, & Hussi. Non fuit huiusmodi illa determinatio de Superioritate Concilij, quæ acta est potius politicè, quam Ecclesiasticè, absque fundamento vetustioris Canonis; quarè, & reprobata est in Concilio Florentino, itemque in Lateranensi. At præterea agebatur solùm in casu Papæ incerti, & pro tollendo Schismate. Papa siquidem dubius censetur pro non Papa, sicuti, quod nescitur consecratum, habetur pro non consecrato, & consecratione indiget; cap. *Veniens de Præsbyt. non bapti.* & cap. *solemnitates, de Cons. dist.* 1. & cap. si *duo fortè* dist. 79.

Not. 4. quod Pontifex est Pater, ideoque & appellatur Papa; & dato Concilio totius Ecclesiæ ex vna parte, & solo Papa ex alia, qui tamen sit certus, & publicatus Papa, hic vtique est Pater totius huius Communitatis, & multo magis Pater, quia spiritualis; neque habet authoritatem, vel præsidentiam, vel potestatem ab ista Communitate, sed immediatè à Christo, qui dixit Petro, *Tibi dabo Claues*, & dedit ipse vtique dicens, *Pasce oues meas*, adeoque non resignauit Petrum Christianis, sed Christianos Petro. Quapropter optimè congruit illa Scoti doctrina 4.d.15.qu.2.§. tertia Conclusio; *Est duplex Principatus, vel authoritas, scilicet Paterna, & politica; & politica duplex, scilicet in vna persona, vel in Communitate. Prima, scilicet Paterna, iusta est ex lege naturę; quia omnes filij tenentur Parentibus obedire;* quippè

quippe idem 4. d.29. in fine comparat Papam spiritualem Patrem patri corporali. Quamuis itaque dicatur Pontifex Princeps, & Monarcha Ecclesiæ, magis propriè dicetur Pater totius Ecclesiæ, seù omnium verè fidelium, non quidem Pater origine, sed authoritate sibi collata à Christo.

CONCLVSIO.

Concilium non est supra Pontificem, sed bene quidem Pontifex est supra quantumuis plenissimum Oecumenicum Concilium.

Prob. Tota filiorum congregatio non est supra Patrem, sed viceuersa; ergo si quilibet Episcopus est filius Papæ, nil est Concilium, nisi congregatio filiorum; adeoque nil potest supra verum Papam. Neque enim est, vt Generalis Ordinis, vel Princeps Reipublicæ, in auhtoritatis receptione à subditis volentibus congregatim viuere, & se spontè submittentibus vni; sed independenter à tota Ecclesia habet immediatè Claues à Christo. Sicut ergo non est in potestate totius Ecclesiæ statuere aliam formam regiminis, puta Democratiam, vel Aristocratiam, ita neque suum Monarcham vllo modo iudicare, vtpotè ab Ecclesia quidem designatum, sed recepturum authoritatem à Christo immediatè, & non ab Ecclesia. Hinc in Concilio Sinuessano dictum est Marcellino *Suprema Sedes à nemine iudicatur*; idque declaratum est etiam can. vlt. Concilij Romani sub S. Siluestro, *Nemo iudicabit primam sedem*.

Obij. Appellatur à sententia Pontificis ad futurum Concilium; atqui appellatio fit ad Superiorem; ergo Concilium est supra Papam. Resp. dist. mai. appellatur inualidè, & nefariè, concedo; licitè, nego. Proinde iuremerito excommunicantur sic appellantes; etenim profitentur, se velle esse extra regimen Pastoris; adeoque extra ouile Christi. Appellans enim eximit se à iurisdictione eius, à quo appellat; adeoque appellans à Papa vult nō esse de iurisdictione Papæ, sicque fugit extra ouile Christi datum Petro.

Obij. 2. ex Aug. Epi. 162. vbi habet de Donatistis, quos damnauerat Papa Melchiades; *Ecce, putemus, illos Episcopos, qui Romæ iudicauerunt, non bonos fuisse Iudices; restabat adhuc Vniuersæ Ecclesiæ Concilium*. Resp. sensus est, non de authoritate Pontificis, sed de ventilatione causæ, quæ diligentius quidem potest fieri in Concilio Vniuersali, quàm in particulari. Cæterum de Donatistis ait Optatus Mileuit. l. 1. cont. Parme. *Melchiadis Papæ sententia clausum est*.

Obij. 3. ex Aristo. in Regno ordinato plus debet posse Regnum, quam Rex; aliàs erit, non Regni, sed tyrannidis principatus; ergo debet plus posse Ecclesia, quam Ecclesię Princeps Papa. Resp. nego cons. & disparitas est: quia in principatu Mundano dant subditi potestatem Principi, dū illum præeligunt, vt notat Sco. cit. 4. d. 15. qu. 2. sicque & possunt, ei præscribere ius principatus; atqui in regimine Ecclesiæ habuit Petrus à Christo potestatem, & hoc supra totum Christi ouile.

Obij. 4. ex cap. *legimus dist. 93.* vbi habet D. Hiero. *Si authoritas quæritur,*

Orbis maior est Vrbe; ergo Episcopi Orbis præualent Episcopo Vrbis. Resp. Non loquitur de authoritate iurisdictionis, vel de Pontifice; sed de rationabili consuetudine; quippe abusus Romæ increuerat, vt Diaconi sederent inter Episcopos, quod nullibi in reliquo Orbe cernebatur. Illum ergo abusum reprehendit, idque recto vsu reliqui Orbis; per arrogantiam quippè obrepserat.

Obij.5. Mater est maior filio; atqui de Ecclesia ait Aug. ser. de S.Paulo, *Ipsa genuit Petrum, & Paulum pariebat*; ergo maior est Ecclesia, quam Petrus. Resp. dist. maio. filio paruulo, & adhuc sub cura materna, concedo; filio regnante, nego; idq; patet etiam in matre Regis politici. Papa erat filius, iam non est filius, sed Pater Ecclesiæ, Pater inquam in regimine.

Obij.6. Papa est Minister Ecclesię iuxtà cap. *Omnibus* 24. qu. 1. ergo est sub Ecclesia. Resp. est Minister ministerio sollicitudinis, non autem subiectionis, vel instrumentalitatis. Et licèt ex humilitate velit appellari *Seruus Seruorum Dei*, id non pręiudicat Maiestati, nam etiam Christus dixit Mat.20. *Non veni ministrari, sed ministrare*.

Obij.7. Dixit Dominus Petro Mat.18. *Dic Ecclesię, si Ecclesiam non audierit &c.* Ergo recurrit Petrus ad iudicium Ecclesiæ. Resp. iuxtà dicta ex Sco.4.d.19. a.5. quod si illa accipiantur, vt specialiter dicta Petro, sensus est. Primò, corripe secretò paternè; deinde coram aliquibus; demum adhibe censuram Ecclesiasticam, vt Iudex, atque ita *dic Ecclesię*, vt illum vitet excommunicatum; quod si Ecclesiam tali facto non conuersandi reprehendentem, & castigantem non audierit, sed paruipenderit, sit tibi sicut ethnicus, seù incorrigibilis, neque de eo cures, vt filio, sed reputa, vt ethnicum hostem, & abhominabilem publicanum. Hoc planè sensu D. Gregor. epi. 265. scribit ad Ioannem Episc. Constantinop. ob arrogatum titulum Oecumenici: *Seruamus, quod pręcepit Veritas; si peccauerit in te frater tuus &c. Ego quidem per responsales meos semel & bis verbis humilibus, hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui. Per me scribo; si in mea correptione despiciar, restat, quod Ecclesiam habeam adhibere*. Ita quidem egit; nam Responsalibus suis, idest Nuntijs mandauit, ne in sacris ei communicarent. Idem ergo est audire Ecclesiam, quod est audire Papam per Ecclesiam.

Obij.8. Petrus nominauerat sui successorem Clementem, atqui successit Linus electione Ecclesiæ; ergo hæc præualet Petro. Resp. cum Glossa in cap. *si Petrus* 8. qu.1. quod id factum est de consensu Clementis; qui suo iuri cessit pro pace Ecclesiæ, & ne id traheretur in exemplum. Vtique sicuti Petrus non fuit electus ab Ecclesia, ita potuit ipse nominare successorem, neque id temere fecisset; verumtamen satis fuit, ostendisse potestatem; nàm multa licent, quæ non expediunt.

Obij.9. ex cap. *Item Symmacus* 11.qu.7. vbi Concilium statuit, restituendum Pontificatum Symmacho, & mox examinari eius causam. Resp. Symmachus

machus se sponte subiecit examini Concilij; quo item pacto Leo quartus, vt habetur cap. *Nos si incompetenter* 2.qu.7. Ita & Paschalis primus purgauit se coram triginta Episcopis de imputata cæde, & Damasus de adulterio coram quadraginta duobus, cap. *mandastis*, & cap. *auditum* 2. qu.4. Nec tamen fuit id, facere eos iudices personę, sed testes innocentię. Siquidem non potest Pontifex submittere sese humano iudicio, cum nequeat esse sub Clauibus, qui tenet Claues. Leo quartus cap. *Nos si incompetenter* vult emandari, si quid errauerit; sed vult emendari à se, non ab alio. Etenim superioritas, quam habet Papa supra omnes Christianos, est de Iure Diuino ex Christi institutione, adeoque non potest eam alteri submittere, aliàs eo ipso cedit Pontificatu. Hinc ait D.Tho.4.d.19.quod Papa non potest, alicui concedere authoritatem, illum excommunicandi.

Obij.10. Sicque obganniunt heretici; si Papa est supra Concilium, quid vociferatur, Concilium, Concilium? potius clamandum, Papa, Papa. Resp. Idem est dicere Concilium, ac dicere Papa, & solum additur solemnitas modi certissimi, proferendi ex Cathedra definitiones, & Dogmata Fidei; nullus enim prenotatorum Sorbonicorum dubitat, Papam loqui ex Cathedra, dum loquitur in Concilio, vel approbat Concilia. Hæc satis de, & pro Ecclesiastica Hierarchia; vbi iam vides, irrefragabile Axioma Fidei, normam quoque morum esse doctrinam publicam Vicarij Christi, Summi Pontificis, Papæ, videlicet, Pastoris, & Patris Romanę Ecclesię. Ad caput hoc si conferas quascumque de credendis, vel Christiane agendis controuersias, erit illud, quod in fine Dialogi aduer. Luciferian. profert Orthodoxus Hieronymus, *Omnes propositionum riuulos vno Ecclesię Sole siccare*. Sed iam superest Synodorum Syllabus Oecumenicarum.

CONCILIA APPROBATA.

Primum. Nicęnum anno 325. contra Arianos.
Secundum. Constantinop. an.381. contra Macedonium.
Tertium. Ephesin. an.428. contra Nestorium.
Quartum. Chalcedonen. an.451. contra Euthychem.
Quintum. Constantinop.II. an.553. contra Origenistas.
Sextum. Constantinop.III. an.681. contra Monothelitas.
Septimum. Nicæn.II. an.787. contra Iconomachos,
Octauum. Constantinop.IV. an.869. contra Photium sedis inuasorem.
Nonum. Lateranense an.1122. pro recuperanda Terra Sancta.
Decimum. Later.II. an.1135. contra Antipapas.
Vndecimum. Later.III. an.1179. contra Valdenses.
Duodecimum. Later.IV. an.1215. pro Terra Sancta.
Tertiumdec. Lugdunense an.1245. contra Fridericum Imp. Secund.
Quartumdec. Lugdun.II. an.1274. contra errores Græcorum.
Quintumdec. Viennen. an.1311. contra Begardos & Beguinas.
Sextumdec. Florentinum an.1438. pro vnione Gręcorum.

Deci-

Decimumsept. Lateran.V. an.1517. contra pseudosynod. Pisanam.
Decimumoct. Tridentinum an.1545. contra Luther. Caluin. &c.

CONCILIA REPROBATA.

PRimum. Antiochen. an.345. Arianor.in Diuum Athanasium.
Secundum. Mediolan. an.354. Arianor. in Fidem Nicænam.
Tertium. Ariminen. an.363. in vocem *Omousion*.
Quartum. Ephesin.II. an.459.Eutychianor. in Flauianum Patriar.
Quintum. Constantinop. an.728. Iconomachorum.
Sextum. Constantinop. an.754. item Iconomach.
Septimum; Pisanum an.1512.quorundam Card.in Iulium Secund.

Concilia partim approbata, & partim reprobata.

PRimum. Sardicense an.350. in causa Athanasij actum.
Secundum. Syrmiense an.356. in quo duę oppositæ formulę Fidei.
Tertium. Quinisextum, seu Trullanum an.692. in quo Canones 102. aliqui autem approbati à Papa Adriano, alij reprobati à Sergio.
Quartum Francofordiense an.794. quod approbatur, vbi decernit, Christũ non esse Filiũ Dei adoptiuum, at reprobatur vbi contra Sacras Imagines.
Quintum. Constantiense an. 1415. cuius articulus de Concilio supra Papam reijcitur in Concil. Florent.
Sextum. Basileense an.1431.cuius nil est ratum, nisi quædam dispositiones circa beneficia, quas Nicolaus Quintus pro bono pacis firmauit. Hæc pauca indicasse Introductorij est,

---

CATALOGVS.

Historicotheologicus de Hostibus Ecclesiæ.

TOt inter Apocalypsis mysteria consideratione exigit singularem illud capite 17. vbi in fronte magnę Babylonis nomen erat inscriptum *Mysterium*. Vtique sinonymum est *Antichristus*, de quo apertè Paulus 2. Thes.2. *Mysterium iam operatur iniquitatis*, & *reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui*. Interficienda gladio de Christi ore procedente vtrimq; acuto, per doctrinam Scripturæ, atque authoritatem Ecclesię Babylon Antichristiana, videlicet infidelitas, aptissimè se finxit in fœminam. Effœminatus quippè animus, aut initium est, aut scopus infidelitatis in brutalem vertendus, quarè & bellug insidebat septem capitum denis cornibus Decalogum Diuinæ legis impetentium. Hęc Hydra septiceps hisce attollit se superbiæ ceruicibus, nimirum septenis infidelium sectis, quorum tartareæ sunt phalanges, Athei, Philosophi, Idololatrę, Iudæi, Mahometistæ, Apostatæ; Hæretici. De his omnibus illud proferendum, quod ait Hieronymus ad Ctesiphon. contra Pelagianos; *Sententias eorum prodidisse, superasse est; patet prima fronte blasphemia*. Et quidem, Philosophis exceptis ignorantia inter scientias laborantibus, tales sunt, quas buccis turgentibus effundunt, ineptię; vt pro argumento risus esset

esset satis, ni deplorandam talibus insanijs patrarent Animarum cladem.

Officium ergo Catholici Sacerdotis exigit, vt tamquam bonus miles Christi per arma Virtutis Dei à dextris, & à sinistris, Diuinæ Scripturæ sententijs, atque Ecclesiasticorum Dogmatum regulis instructus, præfatas septem gentes exterminet, olim figuratas Deut. 7. in Hethęis, Gergesæis, Amorrhæis, Chananæis, Pherezæis, Heuæis, Iebusæis. At profectò non patitur opusculi breuitas, vt de errorum articulis digladiemur; quapropter sicuti præcedens tractatus classicum cecinit, hæc ita appendix hostiles copias explorat; cæterum parentur in latis Theologiæ campis certamina. Quemadmodum autem Moyses illum septenum hostilem populum deleturus præmisit exploratores; ita planè nunc agimus, vbi singulas lustrando sectas, de earum conditione, & origine quædam non nesciendà referemus. Præmonitum interea Lectorem velim, in exhibendo Hæreticorum schemate non mediocrem esse difficultatem, idque tum in Catalogo numeri, tum in numero hæresum, atque item in Chronologia; eo quod in his Veteres Scriptores quædam tacitè, alia obscurè, nec omnia consentaneè retulerunt.

Primus, quem habeamus de Hæreticis dissertatorem, fuit D. Irenæus; post hunc Tertullianus, deindè Epiphanius, qui adusque suum æuum octoginta hæreses enumerat. Augustinus quoque de Hæresibus scribit, eique Synchronus paulò senior Philaster Episcopus Brixiensis. Posterioribus Sæculis fuere, Guido de Perpiniano Carmelita Episcopus Elnensis, & Bernardus de Lutcemburgo. Apud hos Catalogorum textores, nec leuis, nec rarò occurrit scrupulus. Nonnunquam enim, notata hæresi, obliteratus est author, eiusque ætas, vt vbi August. & Philas. illum errorem recensent, non licere Christianis calceamenta, ex quo Secta est appellata Discalceata. Quandoque ob vocabuli similitudinem diuersę pro vna secta sunt habitæ, vt Cathari, & Catharistæ, quorum primi ad Donatianos, alij ad Manichæos attinent; alias ex opposito vna multi nomina pro multis est recensita, vt Montanistæ, & Cataphriges. Non rarò inpinguuntur errores vni Sectæ gratuitò, fortassis, quòd aliquis eiusmodi Sectarius quasi casu id protulerit; atque ita non paucis onerat Græcos Guido præfatus, à quibus tamen censendi sunt immunes; cum de huiuscemodi grauissimis, v. g. damnandas esse secundas Nuptias, Confirmationem non esse Sacramentum &c. non sit disputatum contra Græcos in Concilio Florentino, cùm demum vltimò vniti sunt Ecclesiæ Romanæ.

Mirandum quoque pręsertim in Philastriò, posita quædam inter hæreses innocenter, cuiusmodi sunt; Spiraculum vitæ insuflatum Adamo fuisse ipsam Adæ Animam; Corpus Adæ formatum antè animam; incertum esse annorum numerum à creatione Mundi elapsorum; antè ædificationem Babelis vnicam in Mundo fuisse loquelam. Hæc recensita corripit Alphonsus de Castro, nec ipse tamen omninò expers næui; vt vbi Verbo *Imago*,

Epipha-

Epiphanium putat contrarium Sacris Imaginibus, cum tamen sciderit velum præ foribus Ecclesiæ pendens Imagine pictum non Sacra; siquidem inter epis. Hierony. est 60. hæc D. Epiphan. qui scribit; *Cum vidissem hominis pendere Imaginem, scidi illud*, quasi dicat, non scissurus, si fuisset Christi vel Sancti, atqui erat *quasi Christi, vel Sancti cuiusdam*. Non ergo fauet Iconomachis hic locus, quin potius apertè percutit; Si enim erat *quasi Christi*, ideòque scidit, hoc innuit vsum pingendi in huiuscemodi Imaginē ipsam Christi. Hæc idcirco præmitto; vt dum venerim ad recensendum Catalogum Hæreticorum, nemo, aut miretur, si aliquantula mei diligentia non fuerit intentum exactæ narrationis assecuta; aut repræhendat, si non tot infarcinauero Heterodoxorum propositiones, edoctus ex alieno lapsu, procedere sobriùs.

Abstinere item congruentius putaui à narrandis aliquibus, quos in Catalogum hæreticorum trahunt, cuiusmodi sunt apud Prateolum Petrus Ioannis, & Thomas Caietanus; quippè primi doctrina calumniam passa intolerandam ab æmulis, examinata deindè iussu Sixti Quarti inustam euasit notam, & eum satis defendit à censura Lucas Vuadingus. Alter etiam non patitur infamiam hæreseos, quia nec pertinax, nec de hoc condemnatus. Idem esto iudicium de Raymundo Lullo, pro quo etiam lege Vasquem p. p. dist. 133. cap. 4. deque eo dicemus infra. Neque item cum hæreticis alligabo Michaelem Baium Cancellarium Vniuersitatis Louaniensis; quandoquidem etsi eius propositiones 79. damnatæ sint per Pium Quintum, Gregorium Tertiumdecimum, & Vrbanum Octauum; ipse tamen sese retractauit solemni scripto, vt refert Claudius Fraxen in Scoto Academ. tom. 3. tract. 2. fuitque retractatio anno 1580. Sed iam enarrationem Sectarum aggrediamur.

CAPVT PRIMVM.

De Atheis, Philosophis, & Idololatris.

DEus Optimus Maximus verè longanimis, & multum misericors dedit homini mentem, & linguam, nec deest aliquis animalis homo insipienter dicens in corde, vel quandoque ore, non esse Deum. *Atheos* Græcè id est, quod absque Deo, videlicet, negans Dei existentiam ab omnibus Creaturis prædicatam. Quæcunque enim finita natura protestatur, non esse à se; adeòque esse ab alia, quæ sit à se; quare, & habeat necesse esse, & infinita sit. Quod enim à se est, infinitum est. Nam si ens abstrahibile est à finitate, iam finitas est conceptus contrahens conceptum communiorem entis, adeòque & admittit oppositum distinctiuum infinitatis; adeòque infinitas competit enti. Quod si cui competit, vtique enti à se existenti competit, idque voco Deum. Prætereo alias demonstrationes; id tantum

præopto

præopto, vt antequam de Deo quis, aut de Fide edisserat, Mundum ipsum perlustret. Ingrediatur in se ipsum, seque dignoscat animal rationale, adeòque obligatum stare rationi, & cedere veritati. Egrediatur mox, & consideret Cœlos, & Elementa, rerumque tot ordinatas naturas. Pergat postmodum, & examinet homines, eorumque temporales Respublicas. Libret item ipsorum varias de veritate sententias, & maximè de veritate credenda, seu Religionis Diuinę. Demum aut neget quidquid non viderit, nilque à bruto differet, nisi quod monstrorum summum rationale irrationale erit; vel si aliqua ante nos fuisse, & scriptis ea consignata esse concedat; tum demum in Bibliothecam fas est introire, & inter contradictorias hominum assertiones perquirere veritatem.

In Mundo itaque extra Catholicam Ecclesiam reperio Sectas iam prænotatas numero septenario, quarum prima est Atheorum. Hujusmodi fuere Diagoras Milesius, ab Atheniensibus ob Atheismum vrbe pulsus, & Theodorus Cyrenæus, de quibus Cicero primo de Natu. Deo. Talis item Lucianus, & nouissimè à Machiauello euomita, & clam fætens Secta Politicorum; qui non credentes animæ immortalitatem, immò nec Dei existentiam, solum prætextum induunt Religionis, & Fidei, ne odio sint communitati hominum. Qua in re admirandum, & sensibile est argumentum; nullam vnquam esse potuisse humanam politicam, seu Rempublicam absque aliquo Deitatis cultu; ad id videlicet pondus naturæ insitum etiam nolentem trahit voluntatem.

Philosophos pono post Atheos; quia naturali discursu demonstratam agnoscunt primam Causam, seu Primum Ens; at omni Religionis ritu destituti. Nil mirum, si in multos inciderint errores, quos videre, & ridere licet apud Plutarcum l. 1. de Placitis Philos. Siquidem Philosophia inter euidentias cæcutit, atque in obscuro Fidei illustratur. Nil ergo dicendum de errore Aristotelis adstruentis Mundi æternitatem, ac Diuinæ actionis necessitatam ad extra alligationem; de Pythagoræ Metempsychosi, seu animarum transnigratione, ac alijs Sapientum fatuitatibus. Vno ictu prosternitur Philosophia; si nempè cocluseris, insufficientem illam homini esse; quòd egregiè præstat D. Thomas in lib. cont. Gent. & Scotus qu. 1. Prol. & id quidem palam conuicta fatebitur. Iuterrogo enim Philosophum; quid præ cæteris optandum homini? Quodue est supremum nobis cogitandum negotium? Quis vltimus, & summus finis? Respondebit; Fœlicitas, seu Beatititudo. Repeto iam; & in quo hæc consistit? aut quibus medijs assequi licet? Ecce statim in Philosophis controuersia. Respondet enim Aristoteles, Beatitudinem esse in cognitione Metaphysica, de Deo præsertim; at Epicurus eam ponit in voluptate hilaritatis; Zeno autem eiusque Stoici in virtutibus moralibus reddentibus hominem pro quauis fortuna tranquillũ.

Hoc loco duo statim patent contra Philosophiam in hoc dissidio Philosophorum. Primò, quod contra conscientiam humanitatis posuere in tali-

bus humanam fœlicitatem. Supponimus enim cum Philosophis, eam esse possibilem, atqui Philosophi eam fingunt cum impossibili. Nam quomodo Aristotelica Beatitudo speculari, vbi quo plus cogitas, eo magis elongatum te cernis à clara veritate? Et quæ perfectio fœlicitatis, te dumtaxat videre imperfectum, & per studia nil aliud addiscere, nisi tuam ignorantiam? Quæ autem Beatitudo Epicuræa, vbi vel delectaris in sensu cum brutis, vel in senectute fractos, & dolentes pateris sensus, velis, nolis, quando magis optanda est Beatitudo, si sit possibilis? Qualis demum Stoica reddet verè imperturbabilem vitam tot aduersis oppugnatam? Dum tua te pertrahit concupiscentia naturalis in voluptatem iniustam, vel sequeris vt captiuus, & miserè vitiosus es; vel repugnas vt bellator, & non es tranquillus, nec est Pax in bello, sed post; quando autem desinet hoc bellum sensus, & rationis? Vtique militia est vita hominis tota.

Secundò perpendo, Philosophos in assignanda nostra fœlicitate esse discordes; ergo non patet, in quo ea sit; ergo si demus, vnum Philosophum attigisse eius veritatem, iam sequitur, & hunc dumtaxat diuinasse, & solum casu incidisse in veram fœlicitatem; alterum verò se putare fœlicem falsa opinione, atque ita esse fœlicem, quia sua sorte tranquillum, infœlicem autem reuera, quia deceptum. En tota clamat Philosophia, se esse cęcam, & insufficientem ad id, pro quo instituta est, videlicet ad bonum, ad perfectionem, ad fœlicitatem hominis. Ergo indiget Fide à Deo reuelata, seu lumine supernaturali.

Iam nunc venit prima hominum series profitentium Religionem Diuinam; atqui deformiter tribuit Deitatem Idolis. Ipsa autem naturalis Philosophiæ euidentia omninò conuincit hunc errorem, seu ponendi plures Deos, seu concedendi formalem Diuinitatem Idolis, seu venerandi in statuis homines non hæroicæ Virtutis, immò per excessum vitij detestabiles, vti fuerant Saturnus, Mars, Venus &c. Cœpit Idololatria, multiplicatis hominibus post diluuium circa tempora Nembroti. Negligentis Mundi Verbum Dei, quod ab Adam ad Noe, & per hunc ad Nepotes traditione dabatur, cacozelus peperit idola, vt esset modus aliquis Religionis; quippè sine cultu aliquo impossibile est, homines obedire Principi, & ciuiliter viuere. Increuit eousque ea superstitio, vt Romani cæteroqui adeò docti, & prudentes tot diuersæ rationis Deos collegerint, qui triginta sex millium attingerent numerum, teste Varrone. Optimè de hac Vrbe D. Leo Ser. Sanct. Apost. *Magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem.*

Euangelium tot monstra deleuit; sed neque adhuc totus purgatus est Orbis, vbi videlicet Apostolatus non penetrauit, vt inter Indos vlteriores Americæ, in Indijs Orientalibus, apud Tartaros remotiores, eorumque conterminos Chinenses, in Iapponia, & alibi. Inexcusabiles planè sunt vel ipso rec lamante inhumano ritu. In multis hoc sæuum referam. Anno 1532.

scripsit

scripsit ad nostrum Generale Capitulum Fr. Ioannes de Zumarraga primus Mexicanorum Archiepiscopus, in Vrbe Mexici, vbi Diabolus colebatur, offerri tunc solita quotannis vltra viginti millia corda è puerorum, puellarumuè pectusculis extracta viua. Hic iam noscamus Diuinum beneficium, quod nati simus hoc tempore, & loco, videlicet de Matre Ecclesia; idque magis, magisque placebit recogitando sequentia.

CAPVT SECVNDVM.

De Mahometistis.

IAm venerat in carne Deus, iam toto Romano Imperio perditis Idolis, vbique Crucis Vexillum fulgebat; cum in fine sexti Sæculi Christiani expuit Orcus putidum catharma Pseudoprophetæ Mahomet, quod vtique nomen congruit, siquidem Arabicè idem est, quod furor, vel indignatio, vt refert Quaresmin. in Theat. Ter. Sanct. ex quo etiam promo sinopsim mortiferæ vitæ. In Arabia fœlice infœliciter natus est, patre idololatra Abdula Ismaelita, & matre Iudæa. Adolescens camelarium egit diuitis viduæ Tadigæ, mox eiusdem maritus. In Palæstinam profectus, à Iudæis, & Christianis multa didicit, quibus abuteretur. A Dæmone correptus, & comitiali laborans, fingebat vxori, non esse morbum caducum, sed Gabrielis Archangeli conspectu, & colloquio prosterni; idque confirmabat Sergius Monachus, ibi exul ob hæresim Arianam, ac Tadigæ amicus. Cœpit ergo se Mahomet iactare Prophetam, adhęseruntque ei decem Iudæi, suspicati expectatum Messiam suum, eo quod Circumcisionem approbaret, ipsumque in Christianos concitauere. At videntes edentem de cameli carnibus Lege Mosaica vetitis, deseruere.

Ille verò adiutus à Baheria hæretico Iacobita, atque à Iudæis, Abdala, & Phinees, legem conscripsit Alphurcam, seu Alcoran, ex omni Secta aliquid capiens; idque fuit anno 622. Inter alia hæc suffarcinauit. Cum idololatris Arabiæ Venerem colentibus, teste D. Hieron. in Hilario. diem Veneris festiuum retinuit, reiecta alioqui idololatria. Cum Iudæis admisit Circumcisionem, & fassus est, Moysen Sanctum, aliosque Patriarchas, & vetus testamentum à Deo datum; vtque eis non displiceret, prohibuit esum porcinæ carnis. Cum Sabellio negat Trinitatem; cum Ario docet Christum Sanctum quidem Prophetam, sed meram Creaturam; cum Manichæis ait, Christum non fuisse crucifixum, sed quamdam Christi vmbram; cum Donatistis omnia Ecclesiæ mysteria refutat; cum Antropomorphitis Deum fingit corporeum; cum Iconomachis abigit Sacras Imagines; cum Cerintho beatitudinem statuit in delicijs carnalibus, & turpibus; cum Tatiano vinum execratur. Reliqua pertranseo centum tredecim fabellarum, quas ex ea ridicula, & detestanda colluuie enumerat Enodius Monachus.

Porro tantus impostor additis opinioni armis, dum Imper. Heraclius negligit obuiare, quasi paruipendens paruam Arabum vilium commotionem, occupauit Arabiam, Regnumque posuit Sarracenorum, seu potius Agarenorum, & Sectam Alchorani promulgauit. Facile id fuit ex occasione, quod Oriens Monothelitarum erroribus turbidus iam nesciebat, quid crederet. Impiam exhalauit animam anno 630. apud Mecham; mox translatus in aliam Arabiæ vrbem Medinam Tamalbi habet ardentes, vt referunt, sex mille lampades. Insanæ illius doctrinæ discipulos reliquit vltra viginti millia, quorum capita, Homer, & Haly, istumque sectantur Persæ, dicti obinde ab alijs Schismatici,eo quod Alchorano addiderit Haly suam expositionem. Qua in re iterum cernis,nullam præter Catholicam nostram esse Religionem, quę duo disparata Regna teneat. Cęterum quam sint inexcusabiles, attendentes tam brutali dogmati, ex ipso patet; dum vetat de Fide disputari,iubetq;solo gladio tueri.Profectò Veritas nō veretur examen.

Liranus, Ioannes Annius, Genebrardus hunc putant illum Antichristum in Scriptura prænuntiatum. Et quidem suadet opinionem tam brutalis lex, & quod post Christum nemo sit ausus iactare Legislatorem, nisi Mahomet, idque tanto successu. Aduersatur huic sententiæ Pererius in Apocal. & obijcit aliquid boni in Mahometistis, vt eleemosynas, & ieiunia. At dico; numquid non est prædicta hypochrisis Antichristi? Futurus erat populi seductor, quod quidem exigit laruam pietatis. At præterea, qualis religio ieiunij integro mense Bairam nil gustare diu, sed noctu ad nauseam, & vomitum se ingurgitare, quasi noctu non videat Deus?

Concurrunt, & alia signa in Mahomete, nam colitur eius nomen bestialis pseudoprophetæ in ipso loco Templi Dei in Ierusalem; quippe ibi est modo Mesquita. Se extulit supra omne id, quod dicitur Deus, supra Mosen dictum Pharaonis Deum, & super verè Deum Christum, vbi asseruit, se à Deo missum, vt legum præcedentium correctorem. A Iudæis habitus est in exordio pro Messia. In capite, & in manu signat, dum commendauit legem manibus armatis sæuitia, neque in capite gestare turbantem viridem licet cuique, nisi Mahometicis. Miracula de eo narrant, qualia profectò deceant; nam aiunt, asinam voce humana eum compellasse sigillum Prophetarum. Necromanticus Propheta Balaamo deterior canonizandus fuerat ab asina; & fortasse ita impletum est illud Apocal. 13. *Datum est illi, vt daret spiritum imagini bestiæ, & vt loqueretur imago bestiæ*.

Aliud consideratione dignum est in Apocalypsi ibidem, vbi prædicitur Antichristi nomen, *Numerus eius sexcenti sexaginta sex*. Liber hic editus primò est Græcè; atqui Græci litteris vtuntur pro numeris, itaut *Alpha* det vnum, *Vita* duo, & ita vsque ad decem, mox viginti, triginta &c. vsque ad centum, deinde bis centum. Ita planè nomen Mahometes Græcè scriptum dat 666. Immò, & latinè, si in Alphabeto ponas suo loco K, & paritèr processeris, atque scribas *Makumetus*. Denique videtur impossibile, alium

alium fore nebulonem in Mundo, per quem & Diabolus vltimas euomat contra Ecclesiam furias, cuique aptius, quam Mahometi quadret illud D. Hieronymi Epis. 140. *Christus totus in dextris est, Antichristus in sinistris.* Cæterum hæc dicta sunt salua opposita de Antichristo futuro opinione.

CAPVT TERTIVM.

De Iudæis.

ISraeliticæ stirpi Deus promiserat, de ea nasciturum Mundi totius Regem, dicendum Messiam, vtpotè missum; de quo moribundus Israel Gen. 49. *Ipse erit expectatio Gentium*, in quem nempè erant credituri Gentiles. Id quidem patet impletum in nobis, qui Iesum Christum adoramus; & quidquid de Christo Messia prædixerant Veteris legis Oracula, id totum in isto Saluatore nostro cernimus adimpletum. Et certè inexcusabiliter Iudæus arguitur hoc miraculo patentissimo; quod tempore fęcis Iudaicæ, iam destructa funditus ea Republica, vilissimè habitis vbique Iudęis, dispersisque, vt stercus terræ, potuerint pauculi, & pauperculi Iudæi in Christum Crucifixum credentes, conuertere, & subijcere Mundum vni homini Iudæo, absque fauore, absque armis; non occultando, sed statim deprædicando mortem turpissimam Crucis inter Latrones; & proponendo hunc Crucifixum, credendum, & adorandum verum Deum Mundi Creatorem.

Qua in re cooperabantur per secretissimam Dei Prouidentiam ipsi hostes Iudæi, qui iam dispersi notificauerant Sacros libros Prophetarum, itaut non posset esse in Apostolis suspicio de fraude; quare ait Aug. ser. 67. de diuer. *Sparsi sunt vbique Iudæi portantes Codices, quibus Christus prædicatur.* Prophetatum vtique fuerat de Messiæ Natiuitate ex Matre Virgine Isa. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet*; de loco Natali Mich. 5. *Et tu Bethlehem ex te egredietur Dominator in Israel*; de prædicatione Isa. 61. *Spiritus Domini ad annunciandum mansuetis misit me*: de Miraculis Isa. 35. *Tunc aperientur oculi cæcorum &c.* de Passione Isa. 53. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras*; de Resurrectione Isa. 11. *Et erit Sepulcrum eius gloriosum*; de Ecclesia Malach. 2. *A Solis ortu ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus.* Hæc ergo prædicta de Messia, sunt adimpleta in Christo; de cuius aduentu ter clarissimè prænotatum est tempus.

Primò Gen. 49. *Non auferetur Sceptrum de Iuda, & Dux de fęmore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Hæbraicus textus habet, *Non auferetur Virga*; Vnde contorquent Rabbini, sensum esse de tribulatione. At sequitur, *& Dux*; adeoque patet sensus de Virga Dominij. Erat ergo venturus Messias antequam tribus Iuda amitteret dominatum. Iam nunc quæro, vbi est principatus Iudaicus? Ergo euidens est iam venisse Messiam. Et quidem

quidem venit tempore Herodis Idumæi à Romanis intrusi, & qui denique susceptus est in Regem ab ipsis Iudæis. Ob aliquas Iudæorum tergiuersationes in textu allato, accipe claram explicationem. Non auferetur, seu non amittetur regimen supra Tribum Iuda, seù super Regnum Iudaicum Ierosolymæ, neque Dux, videlicèt aliquod Caput gerens personam publicam in Republica eius Populi, descendens de Tribu Iuda, donec veniat Messias. Atqne ita clarus sensus est in summa, venturum Messiam adhuc integra Republica Iudaica; atqui hæc omninò deleta est à Tito Vespasiani; ergo ante iam venerat Messias.

Neque obijcias; in captiuitate Babylonica etiam desijsse regimen Iudaicum; nam insto clarissimè. Quia desijt tunc; nè putarent, iam venisse prænunciatum Messiam, Deus prædixit periodum captiuitatis, nempè septuaginta annos, & dedit tunc maximè Prophetas plures; at modo neque dispersionis huius tempus est limitatum, neque post ruinam Reipublicæ datus est eis vllus Propheta; immo desiere Prophetæ statim post captiuitatem Babylonicam.

Secundò prędictus est aduentus Messiæ tempore secundi Templi à Zorobabele instaurati Malach.3. & Agæi 2. vbi prædicitur fore maior Gloria eius secundi, quam primi; atqui hoc secundum à Tito est funditus euersum. Tertiò autem clarissimè Dan.9. prædicitur venturus Christus, & occidendus hebdomada septuagesima post datam Nehemiæ licentiam, vt reædificaretur Ierusalem. Id intelligendum de hebdomadibus annorum eo modo, quo Leuit.25. habes, *Septem hebdomadas annorum*; & quidem facilè est computare annos quadringentos octoginta septem à dicto tempore Nehemiæ ad Christi nostri mortem; Vtcumque sit; iam præteriere septuaginta hebdomades, seù dierum, seù Mensium, seù annorum; quid expectat Iudæus? Nunquid hebdomades nusquàm nominatas seculorum?

Obijcit; non esse impletum illud signum Isa.40. *Omnis Vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur*; & illud *Habitabit lupus cum agno*. Item, quod prædicitur Messias venturus cum Maiestate. Denique à Deo præceptam Circumcisionem, & Sabbathi cultum, quod tamen Christiani non seruant. Resp. illa sunt metaphoricè dicta, quòd nempe omnes Christiani erant coæquandi in hoc; quòd, tum humiles valles pauperum, tum sublimes montes principum, æquè sunt filij Ecclesiæ, ijsdem legibus adstricti, de eadem Christi communione refecti. Sic ergo in Ecclesia vna habitaturus erat lupus cum agno, nempè nationes cæteroqui discrepantissimæ. Ita vtique est figurata locutio, vbi dicitur Deus Deut.4. *Ignis consumens*. Et quidem si omnis vallis impleatur, & montes coæquentur, iam aqua Maris totam cooperiet tellurem, reddetque inhabitabilem, elatis vallibus aluei marini. Quod dicitur de aduentu in Maiestate, vtique sic erit in secundò aduentu ad iudicandum Mundum; & ex parte impletur nunc, vbi Christo iam seruiunt incliti tot Reges.

Qnan-

Quantum ad Circumcisionem, & Sabbathum; quæcumque erant Mosaica purè, erant abroganda; nam futurus erat Messias Legislator, vt prædixit Moyses Deut.18. *Prophetam de gente tua, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies*. Quid est illud *sicut me*, nisi Legislatorem? Ergo mutaturus erat legem Moysi. Stat Decalogus in his, quæ non Mosaica, sed naturalia sunt, at Mosaica erant abroganda; alias frustra venturus fuisset Legislator. Et quidem abrogandam legem veterem pręnunciauit Deus Eze.20. *Dedi eis pręcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent*.

CAPVT QVARTVM.

De Apostatis, & Hęreticis.

PEruenimus iam ad illos, qui aliquando fuere in Christi Ecclesia, & eius deinde facti sunt inimici. De iure subsunt Ecclesiæ, quia in ea renati per Baptismum; at de facto se subtraxerunt, desertores, & rebelles. Distinguendum est schisma ab hæresi. Duplex est in Ecclesia vnitas, per Fidem, & per Charitatem. Schisma idem est, quod scissio, & propriè significat scissuram Charitatis, videlicet, est diuisio, seù subtractio ab obedientia Ecclesiæ. Hæresis autem est scissura Fidei, videlicet, est error intellectus contra Dogma Catholicæ Ecclesiæ. Si non adsit pertinacia, est hæresis materialis; si autem cum pertinacia sit, est hæresis formalis, & facit formaliter Hæreticum, atque ab Ecclesia præcisum. Duplex autem potest esse schisma contra Ecclesiam; vel enim est schisma à Pastore hoc tali Pontifice, non obediendo, aut nolendo recognoscere, vt caput Ecclesiæ; vel à Cathedra Romanæ Ecclesiæ, prætendendo eam non habere primatum; de quo schismate Aug. *Nullum schisma est, nisi aliquam hæresim confingat*. Hoc modo sunt schismatici Pseudogræci, de quibus in sequenti; priori autem modo fuere vltra viginti quinque schismata in Ecclesia Romana, cõpetentibus videlicèt Antipapis; at verò absq; læsione Fidei.

Hoc igitur capite restat considerare Apostatas, videlicèt desertores, & hæreticos. Nil refert disputare, numquid apostasia, quę est totius Fidei omnimoda abnegatio, & hæresis, quę est negatio alicuius, vel aliquarum Fidei veritatum, sint duæ diuersæ species infidelitatis; vt tenent Turrecrem. in Sum. Eccle. l.4.p.2.cap.13. & Syluester de Prierio; an verò eadem vna species solo gradu dispar, vt tenet Castro in noua editione l.1.cap.9.ex D.Tho.2.2.qu.10. a.5.dum tres dumtaxat assignat infidelium Classes, Paganos, Iudæos, Hæreticos. Quidquid hac in re dicatur, habes exemplum, hæresis in ea pessima turba infra recensenda, Apostasiæ autem in Iuliano Imperatore, cui præiuere tres alij, nec pigebit infamem recensere horum memoriam.

Circa annum 110. fuit Lucianus Samosatenus Sophista ex Christiano euadens Atheus, à canibus demum discerptus. Circa 130. Aquila Ponticus

ex

ex Gentili Christianus, at ob Astrologiam iudiciariam excommunicatus, transijt ad Iudaismum: isque est author vnius versionis Bibliorum, de quo alias erit sermo. Circa 250. Porphyrius, cuius est apud logicos liber Vniuersalium, natione Siculus, Athenis Philosophus, Origenis olim sub Plotino condiscipulus; baptizatus Fidem eiurauit rancore, quòd Cæsareæ à quibusdam Christianis vapulasset; factusque, vel Idolatra, vel Atheus, calamum acuit in Christum, carpens Euangelia. Demum Iulianus Galli Cæsaris frater, nepósque Magni Constantini Clericatu initiatus inter Monachos, factus Apostata à Monasterio, dictusque per obitum Constantij anno 361. Imperator, anno sequenti Apostata à Fide persecutionem mouit in Christum, instaurata Idololatria, & imitatus Porphyrium scripsit aduersus Euangelistas. Iam verò antequam dicamus de hæresum monstris, atque lupis ouina Christianismi pelle ad perdendum Christi ouile laruatis, aliquid præmittendum de Ecclesia Græca; quæ ob errores Orientalium, numquid Ecclesia sit, dubium est.

In Turcico Mahometismi Dominio præter Christianos Catholicos aliquos, præcipuè in Terra Sancta Minoritis nostris Sacrosancta Præsepis, Sepulchri, aliaque Christi loca custodientibus, degunt hæ Sectæ, vt recenset Quaresmius in Theat. Ter. Sanct. Syri naturales eius Prouinciæ, qui in angulo, vel antè lapidem soli Deo peccata confitentur, Ministrum absolutionis nolentes. Videntur hi eamdem originem habere cum Iacobitis à Iacobo Syro Antiochæno Eutychiano circa an. 450. porrò si differunt Iacobitæ, hunc habent proprium pseudoritum, quod in Liturgia vtuntur pane fermentato cum sale, & oleo. Nestoriani descendentes è Secta Nestorij, de quo infra suo loco. Cophti natione Aegyptia retinentes quidpiam de Sabellio, seu Patripassianis. Abyssini Afri ex Aethyopia, qui vltra Baptismum suscipiunt Circumcisionem; id tamen, vt aiunt, in memoriam Circumcisionis Christi. Addunt etiam adustionem, formando in Corpore Crucem ignito ferro. Censendi tamen sunt Catholici, vt & Maronitæ, quippè Romanum Pontificem agnoscunt.

Maronitæ incolunt Montem Libanum, olim hæretici à Marone quodam Monothelita, vt habet Baron. in Martyrol. ad 21. Octobris, modo Catholici reducti demum à Fratre Grifone Minorita, quem & anno 1475. Innocentius Octauus constituit illis Patriarcham. Superest iam dicere de Græcis Schismaticis, non agnoscentibus in Ecclesia Superiorem Patriarchæ Constantinopolitano. Huiusmodi sunt per Græciam, & Asiam minorem, atque etiam in Dominio Poloniæ, ac Venetorum non pauci; Moschouitæ quoque, & plurimi qui reliquo Turcarum tractu degunt. Item qui appellantur Georgiani ex Iberia ad Mare Caspium in interiori Armenia, nuncupati eo vocabulo ob patronatum D. Georgij. Armeni quoque, vtpotè in Concilio Florent. cum Græcis reconciliati Ecclesiæ Romanæ, & cum ijsdem relapsi.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

De Schismaticis Pseudogræcis.

PEr octo sæcula iam debachatæ hæreses in Oriente, videbantur veluti lassatæ concidisse. In illis fuerat ea Macedonij negantis Diuinitatem Spiritus Sancti, quarè acto Constantinopoli Concilio, editum est Symbolum, in quo dicebatur, *Et in Spiritum Sanctum ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio coadorandum*; ac pronuntiatum est anathema addenti quidpiam. Fuit id anno 381. sub Damaso Papa; at verò sub Leone Magno Pontifice acta est Synodus Toleti anno 447. in qua & additum in Symbolo *Filioque* iuxta doctrinam directam ab ipso D. Leone epist. 91. ad Turibium Episc. Asturicen. Inde transijt in totam Ecclesiam Latinorum, vt diceretur *Qui à Patre Filioque procedit*. Quadringentis annis audierunt Græci decantari hoc à Latinis, nec aliqua fuit querela; quia idem dixerant, Athanasius in Symbolo *Quicumque vult saluus esse*, Cyrill. in epistol. ad Nestor. Chrysost. ho. de Incar. Gregor. Nazianz. ho. 4. in Pater noster, Basil. cont. Eunom.

Anno 858. Photius intrusit se in Sedem Constantinopolitanam, deturbato Sancto Patriarcha Ignatio; dumque Papa Nicolaus Magnus acta Romæ Synodo adiudicat restitutionem Ignatij, Photius, vt se subtrahat sententiæ, insimulat hæreseos Nicolaum, totamque Latinam Ecclesiam, eo quod contra Decretum primi Concilij Constantinopolit. profiterentur processionem Spiritus Sancti à Filio quoque. Successit Nicolao Adrianus Secundus, sub quo restitutus est Ignatius, attamen iterum depulsus fraudolenter sub Ioanne Octauo Adriani Successore. Itaque Photius congregato Conciliabulo declarat, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere; atque ex tunc error iste Græciam inuasit. Circa annum autem 1050. sub Leone nono Michael Cærularius Patriarcha Constantinopol. adauxit scissuram, asserens in solo pane fermentato posse celebrari, damnans azymum, & obindè erroris insimulans Ecclesiam Latinam. Cærulario adhæsere, Leo Bulgarus Episc. Acridæ, & Nicetas Pictoriates; qua in re neque ipse Photius fuerat ausus, nos repræhendere.

Hic itaque à tempore Magni Papæ Nicolai per prætextum additæ particulæ *Filioque* in Symbolo cœpit effutire contra Sedem Romanam, & arrogare primatum Ecclesiæ, quasi Romanus Pontifex cum amisisset ob hæresim de processione Spiritus Sancti, adeòque proximè primus, videlicet Constantinopolitanus euasisset in primum Patriarcham totius Ecclesiæ. His præfatis erroribus, nescio, qua via se alij miscuerint, præsertim, quod non existat locus vnus Purgatorij, & Sanctorum animæ non videant Deum ante Iudicij diem. Animaduerto rem planè admirandam. Vsque ad Photium fuere in Græcis tot hæreses, & præsertim illo æuo proximo efferbue-

re Monothelitæ, & Iconoclastæ; atqui post Photij schisma, & Cærularij additamentum non reperio nouos in Græcis Hæresiarchas; quasi satis sit Diabolo in Schismate detinere. Vniti fuerunt in Concil Lugdun. Secundo, & noui sime in Florentino, at relapsi sunt denuo, turbante Marco Metropolita Ephesio commoto inuidia, quòd Græcus Bessarion, & non ipse, factus fuerit S. R. E. Cardinalis.

Quinque prænotati errores præcipui adhærebant illis; videlicet, Spiritum Sanctum à solo Patre spirari; solum panem fermentatum idoneum esse consecrationi; Purgatorium non esse vnum certum locum ignis; Animas Sanctorum antè diem Iudicij non beatificari; Romanum Pontificem non esse caput Ecclesiæ, sed amisisse primatum. His omnibus abiurarunt in Concilio Florentino; at contradixit pertinax Marcus Episc. Ephesius, qui rediens in Orientem, datis quaquauersum epistolis, eos firmauit in erroribus, qui abfuerant Concilio, alios verò abduxit à Fide Concilij. Facinori fauit Mors Catholici Imperatoris Ioannis Paleologi, cui successerit errorum fautor eius Frater Constantinus Dagrases; at pœnas dedit vindici Deo, qui euertit per Turcas illud Imperium, Constantinopoli capta ipsis ferijs Pentecostes, anno 1453.

Quoad Græcos itaque ob præfatas hæreses difficultas est, an sit apud eos Ecclesia. Negat Bellarm. to. 1. l. 4. & censet formaliter hæreticos, vtpotè de prædictis publicè conuictos in Concilio, & proteruè relapsos. Azorius putat, non esse hæreticos, quatenus hoc habent effugium, vt dicant; se credere, vt Apostoli, & Sancti Patres, Basilius, Chrysostomus &c. ac Sancta prima Oecumenica Concilia. Certum est, non esse denuntiatos, seu publicè ab Ecclesia excommunicatos. Cæterum, vt benè differamus; post schismatis, & errorum detestationem, distinguere oportet in Græcis hæc tria, nempè Sacramenta, Ritus, & Abusus. Quoad Sacramenta; non dico de Baptismo, vtpotè de quo certum est esse verum, à quocumque etiam infideli conferatur; adeòque esse æquale Baptisma, etiam per hæreticum, immò & Atheum, si intendat facere, quod fuit institutum à Christo. Neque de Matrimonio ago, vbi legitimus Minister potest esse ipse contrahens. At difficultas est de Ordine, & reliquis ab Ordinatione pendentibus.

Apud hæreticos quidem Occidentales non est Ordo, adeòque nec Confirmatio, nec Eucharistia &c. quia Sectarum talium authores non fuere Episcopi, adeòque nec valuerunt ordinare alios, & propagare characterem, seu Episcopalem, seu Sacerdotalem. At verò Schismatis Græcanici primordia fuere in ipsis Episcopis; quare non est in illis deletus character, nec ius consecrandi alios Episcopos, & Sacerdotes. Hinc est, quod redeuntes ad Ecclesiæ Romanæ vnitatem non reordinantur, vel etiam sub conditione, sed solum reconciliantur; atque in Florentino agniti sunt, vt verè Episcopi. Habent ergo veram Ordinationem, Confirmationem, Eucharistiam. Quoad absolutionem autem pœnitentum in Confessione, puto,

hanc

hanc quoque pœnitenti, alias non indispositо, esse validam ex tacito consensu Romani Pontificis non denegantis hac in re iurisdictionem, eo pacto quo dicimus in articulo mortis. Circa Ordinationem autem est etiam adnotandum decretum Innocentij Quarti apud Quarant. vt Episcopi Græci conferant septem Ordines, cum eousque dicerentur, neglexisse tres de minoribus.

Quoad ritus item sciendum, esse legitimos, & pro ipsis approbatos ab Ecclesia Romana; atque ita Græco licitum est, immò debitum celebrare in fermentato, vt ita seruet Concilij Florentini dispositiones. At de ritu Ordinationis est difficultas; nam Græci absq; vnctione, vel porrectione materiæ, puta Calicis &c. ordinant per solam impositionem manuum Episcopi; ex quo sequitur illa Arcudij conclusio l. 6. cap. 7. quod sit sufficiens Ordinis materia manuum sola impositio; qua de re plures habitæ sunt Romæ Congregationes iussu Pauli Quinti, & Vrbani Octaui; & quidem eos Ecclesia recipit, ac reconciliatos habet pro validè, & licitè consecrantibus, nulla suppleta ordinatione. Quod denique spectat ad abusus, aliqui damnantur, alij tolerantur facti vsus.

Tollendi abusus hi sunt. Primò, quidam mos seruandi Eucharistiam consecratam in die Cœnæ Domini per totum annum, prætextu communicandi infirmos; quasi esset maioris efficaciæ. Itaque Innocentius Quartus solum seruari permittit Eucharistiam apud Græcos per dies quindecim, nè videlicet acescant species vini. Secundò, quod Presbyter infantem baptizans, eum in fronte inungit Chrismate. Id prohibet prædictus Innocentius in Bulla de Ritibus Græcorum; quippè solius Episcopi est conferre Sacramentum Confirmationis. Hinc statuit, vt pueros à Græcis Presbyteris baptizatos confirmet Latinus Episcopus. Quod si dubitetur, an sit quis à Græco Episcopo baptizatus, adeòque verè confirmatus, dandam sub conditione Confirmationem à Latino, statuit Clemens Octauus. Tertiò, quod in causa fornicationis soluatur Matrimonium, quarè idem Clemens anno 1597. ea diuortia prohibuit, & anteacta irritauit. Quartò, quòd Græcus Latinè, vel Latinus Græcè celebret; vndè B. Pius Quintus omnes, etiam à Sede Apostolica datas, licentias reuocauit. Quintò illud omninò irrationale, quod vir, & vxor simul eidem Sacerdoti confiteantur; idque damnauit Clemens Octauus apud Quarant.

Tolerantur autem ista. Primò, instillatio Eucharistiæ in os infantis baptizati; id enim aliquando factum esse etiam inter Latinos, habetur apud Hugonem Victorin. de Sacr. lib. 1. cap. 2. Verumtamen fatetur Græcus Arcudius l. 3. de concordia Oriental. & Occident. Ecclesiæ, melius consultum, si etiam Græci hunc vsum dimitterent. Secundò, absolutio Latini à Græco in casu necessitatis; dum tamen vtantur forma præscripta in Concilio Florentino. Tertiò, Matrimonij vsus in Græcis Presbyteris Sæcularibus antè Subdiaconatum coniugatis, at absque bigamia; &

ita, vt abstineant saltim triduo, quoties celebraturi sint. Quartò, celebratio Episcopi cum pluribus Presbyteris, etiam extra casum ordinandi ipsos. Quintò, esus carnium Sabbatho ab ipsis tantum, & in ipsorum loco, atque sine scandalo, vt præscribit Clemens Octauus; nam pro Sabbatho obseruaut feriam quartam. Itaque si Græcus lucraturus sit Iubilæum, potest sibi ab Episcopo Diœcesano assignari pro Sabbatho ieiunij alius dies, vt concedit Clemens præfatus.

Conceditur Matrimonium inter personas Latini, & Greci Ritus; ita tamen, vt vel vterque deinceps latino ritu viuat, vel quiuis in suo ritu, sed Catholicè, atqui proles latino ritu educetur. Denique ad tollendum, vel cauendum Schisma, constituit Pius Quintus an. 1564. vt Ecclesiæ Græcorum, eorumque Prælati, & administratores subijciantur visitationi, ac superioritati Ordinarij latini talis domicilij.

CAPVT SEXTVM.

De Origine Hæresum, & Schismatum.

PErtinax impugnatio veritatis vnde sit, explicatur à Christo Ioan.8. dicente in eos perfidos contradictores Iudęos, *vos ex Patre Diabolo estis.* Et quidem primus Schismatis author fuit Lucifer caput Sectæ Angelorum Apostatarum; primus item hæresiarcha persuadens suis asseclis in Cœlo, & conatus docere nostros Protoparentes in terrestri Paradiso per eum serpentinum sibilum, *Cur præcepit vobis Deus?* hanc hæresim, etsi Adæ non receptam, quæ est origo omnium hæresum, videlicet, pro libito credendum: Non obediendum Deo: Non sese humiliandum. Hinc nota euidens filiorum Dei, Obedientia, & Humilitas; atque ita clarissimè dignoscitur hypocrita, discernitur hæreticus; si obediat Ecclesiæ, quam bona præcipere constat; si honorem vaneglorię fugiat; idque verba, scripta, facta facilè, & clarè testantur. Hic iam, & patrem hæresis, ac schismatis Luciferum depræhendimus, & matrem superbiam, ac nutricem inobedientiam, seu conscientiæ libertatem; fautricem denique adde negligentiam, de quibus aliqua dicere non erit inutile.

Superbia gignit hæreses; atque vt ait optimè August. *diuersis locis sunt diuersæ, sed vna mater superbia omnes genuit.* Id perspice in aliquot exemplis. Post Christi Ascensionem primum Schisma in Ecclesia motum est à quodam Theobute, de quo Euseb. 4. hist.22. *Theobutes, quia repulsam meruit Episcopatus, cæpit initio turbare omnia, & corrumpere.* Simon Magus antesignanus Sectarum hæreticalium affectabat Act. 8. famam miraculorum. Valentinus *quia sperauerat Episcopatum*, Inquit Tertul. lib. con. Val. spe frustratus in hæresim prorupit. Arius videns, Alexandrum sibi præferri in Alexandriæ Ecclesia, *inuidiæ stimulo percitus est*, ait Theodore. 4. de hæres.

:ref. atque contra Verbum æternum, verba blasphemiæ protulit. Alios ultos prætereo; Lutherus exarsit contra Indulgentias, quia ipsi non fuet commissa Indulgentiarum publicatio; Caluinus in Papam latrare cœpit, ia non obtinuerat Episcopatum Geneuensem. Ita si omnes examinaues, perspicies hæreses ortas è superbia.

Pessimam autem sobolem lactauit inobedientia, seù conscientiæ libertas; quapropter licèt aliquæ fuerint hæreses austeritate superstitiosa palatæ; cuiuscemodi Encratitarum vino abstinentium; tamen ferè omnes in arnales libertates duxerunt. Id patet in Gnosticis, Iouiniano, & alijs, ac emum Luthero, & Caluino; atque insana Henrici Octaui libido, & refractaria contra Ecclesiasticas leges peruicacia dissecuit Angliam ab Ecclesia. Incontinentiam impunè placitam enutrijsse hæreses, audi à Hieronymo ad Ctesiph. adu. Pelag. *Simon Magus hæresim condidit, Helenę meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit fæmineos. Marcion Romam pręmisit mulierem, quę decipiendos sibi animos pręipararet. Apelles Philomenem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi Spiritus prædicator, multas Ecclesias, per Priscam, & Maximillam nobiles, & opulentas fœminas, primum auro corrupit, deinde hęresi polluit.* Sed quæ notioria perquirimus exempla, quàm Lutheri, Caluini, Carlostadij, Zuinglij, Volphgangi, Butceri, aliorumq; huius farinæ, qui publicè in Ecclesia Catholica emissam Castitatis professionem eiurantes, coniugio constuprati sunt?

Quod denique fouit hæreses fuit Negligentia; & hæc maximè triplex; neglectus inquam triplex Ecclesiasticæ disciplinæ. Primò quidem in disciplina Iustitiæ Principum; quarè nil mirum, si tribus primis sæculis tot spinæ hæresum enatæ sint, quando Ecclesia carebat gladio Principum. Arianismus inualuit, tum nimia lenitate Constantini Magni, tum patrocinio Constantis, & Valentis, atque Gothorum Regum. Perijsset in semine Mahometismus, si obstitisset Heraclius tempestiuè. Anglia, & Germania, non tam à Caluino, & Luthero, quàm à negligentia Rectorum perditæ sunt. Secundò, in disciplina vitæ Ecclesiasticæ, eorum præcipuè, qui super candelabrum positi, sunt cæteris magis conspicui. Sic Huss, & Lutherus, facilè seminarunt hæreses in populis diu aratis per scandala Catholicorum. Tertiò, in disciplina studij doctrinæ. Deplorandum planè illud, de quo Hieron. adu. Lucif. *Ex litteratis quicumque hodiè ordinantur, id habent curę; non quo modo scripturarum medullas ebibant, sed quo modo aures populi declamationum flosculis mulceant.* Et profectò ad hoc denique caput res ducitur; vel paruipendere Sacram Scripturam, vel eam pro libito citra Ecclesiæ doctrinam distorquere. Sed iam sermo peruenit in campum Sennaar, vbi cernantur ædificatores Babel.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

De Hæreticis in lege veteri.

CAinum fuisse primum in terra Schismaticum, testatur Abelis fratris occisio. Illum eumdem fuisse primum item hæreticum videtur innuere D. Iudas Thaddæus, vbi de sui temporis hæreticis Nicolaitis inquit, *Væ illis, quia in via Cain abierunt*. Hæresis illius erat desperantium, asserens peccatum graue esse irremissibile, quippe dixit Gen. 4. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*. Negabat ergo Dei infinitam Misericordiam, vnde intulit; *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar*. Hinc Hieron. ad Ocean. epi. 83. vocat Cainam hæresim illam, quæ asserebat, quædam esse irremediabilia peccata. *Consurgit Caina hæresis, atque olim emortua vipera contritum caput leuat, quæ non ex parte, vt ante consueuerat, sed totum Christi subruit Sacramentum. Dicit enim esse aliqua peccata, quæ Christus non possit purgare sanguine suo*.

Quosdam dictos hæreticos Cainos constat, quos Aug. vocat Caianos, Tertull. autem Caldæos, si tamen ijdem sint, quos referunt adorasse Cainum; eosque cum Ophitis, & Sethianis ponunt noui Scriptores circa annum salutis 140. At Philaster has sectas recenset in hæresibus Iudaicis ante aduentum Christi. Infra res magis patebit; interim puto Cainam hæresim fuisse Montanistarum, de quibus Hypocritis ait Hiero. ad Marcel. epi. 54. *Ad omne penè delictum Ecclesiæ obserant fores*; atque eum errorem vocat denuo consurgentem, quia excitatus est à Vigilantio; vnde ait adu. Vigil. *Caina hæresis multo tempore dormiens, vel sepulta, nunc à Dormitantio suscitata est*. Dixi hæc pro aliquo indicio nominis Hæresis Cainæ, de qua nil præterea liquet. Cæterum quemadmodum in Veteri Testamento fuit Dei Ecclesia, ita non defuere in Mundo hæreses. Dimissis aliorum positionibus, hæc pro mea tenui, sed non indiligenti indagine videtur veritati conformior; atque ita fuere sequentes in hebraismo sectæ.

Beelphegoritæ.

VIdelicet Hæbrei illi, qui adorauerunt Phogor, de quibus Num. 25. Turpissima hæc secta prænuntia Nicolaitarum, & Gnosticorum adorabat Idolum Priapi; nam Phogor hæbraicè id significat, vt inquit D. Hiero. & patrabat glorianter turpitudines. Instaurata est ex occasione Idolorum à Salomone concessorum; adeoq; durauit, vt 3. Reg. 15. Maacha mater Asa Regis Iuda fuerit Priapi sacrificula, & princeps in illo infando ritu. Vide analogiam vtriusq; testamenti; vtrobiq; per libidines fatiscere cœpit Fides.

Astarothitæ.

COlentes Astaroth, seù Astartem, de qua Idololatria Iudic. 2. Augustinus capit Astartem pro Iunone, Liranus pro Luna, alij pro Diana. Idolum erat Sidoniorum, & in hanc hæresim 3. Reg. 11. cecidit Salomon, durauitque

:que superstitionis templum ad tempora Iosiæ 4.Reg.23.Fortasse ijdem it illi Syderitæ, seù stellarum adoratores, de quibus Sophon.1. quod orabant super tecta militiam Cœli, videlicet sydera.

Molochitæ.

ADorantes Moloch idolum Ammonitarum, quod erat Saturni voratoris filiorum, vt ex Macrobio colligitur. Omnium feralissima superstitio; quippe ænea erat statua concaua, vt ait Liranus, Regis throno insidentis, capite vitulino, brachijs protensis. Ignem intra eam ponentes accendebant, atque ita innocentes paruulos candentibus statuæ manibus superponebant, ac tam diro torméto necabant. Huiusmodi etiam Idolo ...um construxit Salomon; atq; eius cultores notantur in scriptura iurantes in Deo, & in Melchom, hęretici colentes Deum, & tam ferale idolum.

Adonistæ.

VIdelicet, colentes Adonidem Veneris amasium; de cuiusmodi mulieribus plangentibus supertitioso ritu Adonidem habetur Eze.8. Di...is est Adonis hebraicè Thamuz, vt habet Hiero.ad Paulin.epi.13. fuitque ...ula de pulcherrimo iuuene amasio Veneris, & pro Sole interpretatur Cy...lus Adonidē, scribens in Isai. Prędictę Idolotheitarū sectæ fuere ante Ca...iuitatem Babylonicam: quibus, si placet, addere potes ex Philastrio Mu...itas, adoratores murium, & Heliognostos, adoratores Solis, si hi differ...t ab Adonistis; at ex Sacra Scriptura satis est præfatos notasse. Cæte...n post captiuitatem factam à Nabucodonosor non sunt vltra in Idolola...am prolapsi; nec tamen defuere hæretici.

Samaritani.

PRimò schismatici hac occasione. Erat Ierosolymis Pontifex Manasses, quem Iosephus dicit fratrem Iaddi Alexandro Magno coæui. Cō... legis præscriptum duxit vxorem ex Gentilitate Nicasiam filiam Sana...llat Præfecti Samariæ. Cum ergo deberet, vel eam vxorem, vel digni...tem dimittere, hoc alterum prælegit; at in Samariæ monte Garizim ...truxit Schismaticum Templum, abductis è Ierosolyma non paucis adhæ...ntibus. Durauit Templum ad tempus Hircani Ierosolymę Pontificis, ...uo dirutum est; sed inter Iudæos Samariæ incolas adhuc durare eam se...m tradit Ioannes Morinus. Post schisma desciuit in hæresim; quippè ...o retento Mosis Pentateuco, Prophetas, reliquamue Scripturam repu...iuerunt, contra patentia Dei testimonia in Prophetis Ecclesiæ ministris, ...ta Elia, & Eliseo, & contra Pontifices docentes.

Sadducæi.

DE præcedenti secta prognati. Princeps hæresis Samaritanorum abijcientis scripturam, retento solo Pentateuco, fuit quidam Dositheus, ...notat Hiero adu. Lucif. at Sadducæorum author Sadoc cum Baietho, vt ...fert Genebrardus; qui erant prænotatæ sectæ, atque Atheismum addide...nt, negantes animæ immortalitatem, & rei alicuius spiritualis existentiā;

dura-

durauitque hæc secta ad Apostolorum tempus, vt patet ex libro Actuum Apost. De Sadducæorum porrò Atheismo habetur censura Math.22. Cœperunt, vt tradit Iosephus æuo Pontificis Hircani, quem & illorum fautorem scribit, sed quidem absq; fundamento; quinimmo Ioannes Hircanus, cum quo finit Sacra Historia veteris Testamenti, laudatur in fine primi Machab. vt Vir *bonarum virtutum*, videlicet perfectæ virtutis.

Pharisæi.

PRimò Religiosi exemplaris vitæ sub eodem Ioannis Hircani Pontificatu exorti; & nuncupati à voce *Phares*, quæ diuisionem significat, quasi essent à sæculari conuersatione diuisi, vt notat Hiero.adu. Lucif. Paulatim verò desciuere in sectam hæreseon facti hypochritæ, & specietenus obseruantes, exteriori dumtaxat habitu longiori fimbrias amplianres, at pleni dolis. Ita erant circa tempus Christi docentes, non licere comedere non prius lotis manibus, & alios huiusmodi pueriles scrupulos; reliquum Dei legem minimi pendentes. Hi fuere potiores, & potentiores hostes Christi, vt patet in Euangelio.

Herodiani.

DE quibus prænotatus Hieron. *Herodem Regem suscepere pro Christo*. Non vereor eius sectæ in Euangelio nominatæ authorem dicere ipsum Herodem, qui alienigena Idumæus, & fraude intrusus, vt dominatum firmaret, curauit habere, qui eum prædicarent Messiam illum à Deo Patribus promissum; nam & Iosephus refert ab ipso instauratum, atque exornatũ Templum Dei Ierosolymis, affectante ita putari Rex Messias. Iam satis de sectarijs in lege Mosaica, nunc de eorum germanis in lege Christiana.

CAPVT OCTAVVM.

De Hæresiarchis per singula Sæcula.

HIc facit optimè prouerbium illud Hieronymi epi.61. in rebus factu difficilibus, *Lupum auribus tenere*. Quicumq; legerit hæresum enumerationes, intelliget, quantum sit ambiguitatis in linea rectè ducenda pro aliquot prioribus sæculis. Hinc si alicubi in serie trahenda deuiauerit calamus, non erit culpandus; vbi pro modica mea virili satago, exactissimum eorum, quos viderim, texere Catalogum.

SÆCVLO PRIMO.

CHristus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum Ecclesiæ suæ Catholicæ, tanto excellentius Synagoga, quanto præstat vmbris lux, Ecclesiam ipsam in Discipulis suis fundauerat. Firmissimum quidem ædificium, ipso summo angulari lapide sustentante; sed non ita, quin de parietibus possent diuelli quandoq; malè cohærentes aliqui lateres; cuius miseræ sortis fuere hæresiarchę secum non paucos tracturi; estque hæc Babylonis inde constructæ historia.

Iudas

Iudas Iscariotes.

POntifice ipso primario Iesu Christo; anno 32. Fuit Schismaticorum, & hæreticorum antesignanus; maximè contra Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod noluit credere; vt ex Io.6.colligunt, Chrysost. ho.46. in Io. & Aug. trac.27. in Io.6. atque ibidem Theophylactus. Hæreticus ille Sacramentarius euasit in proditorem Filij Dei; demum laqueo se suspendit, & crepuit medius. At Christus pro sua Ecclesia salutiferè mortuus, & de morte triumphans, in Cœlos ascendit; atque nauiculam Petro regendam inter fluctus commisit; nec diu siluere procellæ,

Theobutes.

POntifice Vicario Christi Petro; anno 35. Primus post Christi Ascensionem Schismaticus turbatot Ecclesiæ, vt refert Nicepho. l.4. ob repulsam in petitione Episcopatus; videlicet, quando Ierosolymæ Diæcesanus fuit institutus S.Iacobus Minor Apostolus; Theobuti adhæsere, Cleobius, Dosithæus, Gorthæus, Masbothæus. An hæresim aliquam ediderint, latet; sed facile est, addidisse vires sequenti, qui est,

Simon Magus.

EOdem Pontifice, & tempore. Samaritanus patria, & secta, videlicèt, Dositheanæ Iudaicæ hæresis, vt scribit Clemens Rom. 2. Recognit. Magicis artibus tantum nominis assecutus, vt ex vetustis Authoribus referat Prateolus in Elen. hęret. illi erectas aras cum epigraphe *Simoni Deo Sancto*; baptismum suscepit à Philippo vno septem Protodiaconorum Act. 8. Cum autem venisset Petrus in Samariam Sacramentum daturus Confirmationis, in quo actu fulgor cælestis visibiliter descendebat, vt tradit Aug. l.3. de Bapt. hæc videns Simon ille neophitus, famæ, vel æqualitatis Simonis Petri cupidus, oblata pecunia petiuit, eam miraculi virtutem sibi vendi; repulsus, & exprobratus à Petro. Hinc origo Simoniæ in Nouo Testamento, quod fuit nuncupatorum Giezitarum crimen in veteri. Hęc ergo post Ascensionem Christi emersit prima hæresis; esse vendibilem Gratiam Dei. Impœnitens, diuisus ab Ecclesia vexillum hæreseon erexit; eiq; adhæsere, Theobutes, & alij prænotati; necnon, vt opinor, veteres Pseudoapostoli, de quibus infra; ac demum Nicolaitæ.

Disseminatis per se, Helenamque meretricem, & socijs in Iudæa erroribus, Romam venit anno circiter 44.siquidem ante aduentum Petri; nam vt Hieron. in Catal. loquens de Petro. *Ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit*; adeoque sub Imp. Claudio; cuius successor Nero multum mago delectatus est. Dum verò semel tentat volare Dæmonibus elatis, orante Petro, decidit coram Nerone, atque confractis cruribus extinctus est; cumque casum etiam Suetonius describit, sub Icari volantis nomine Magum Simonem indigitans. Ea fuit vna occasio Cæsari, vt Petrum, & Paulum in vincula conijceret, atque demum necaret. Hic gloriosus fuit Simoni Petro in Cruce, ille Simonis Magi inglorius in stercore finis.

L Hære-

Hęreses illius Samaritæ diabolici fuerant istæ. Ex Act.8. Gratiam Spiritus Sancti posse venundari. Ex Irenæo, quod ipse Simon esset Deus, qui descenderat, vt Pater in Samaria, vt Filius in Iudæa, vt Spiritus Sanctus in Gentilitate. Angelos, & Archangelos ab eo genitos ex Helena meretrice præfata. Animas de corpore in corpus transmigrare. Non esse curanda bona opera. Ex Clem. Rom. Multos esse Deos sub vno ignoto, & ex ijs multis vni forte obtigisse, vt Iudæorum Deus esset. Non esse liberũ arbitriũ, sed omnia fato euenire Ex Epiphan. Resurrectionem non esse futuram. Ex Aug. Legem non esse Dei, sed sinistræ virtutis. Licitum vsum promiscuum fœminarum. Ex Philast: Christum non fuisse verè hominem, nec verè passum. Pręterea Simonis Sacrificuli libidinosè viuebant, atque incantationibus vtebantur. Imagines illius, & Helenæ tanquam deos adorabant, vt refert Irenæus l.1. cap.20. Et ecce iam apparuit primum hæresum posteriorum Seminarium. Præfata recenset Sanderus l.7. at alij addunt prognatam à Samarita Simone aliam etiam hęresim; Mundum fuisse ab Angelis creatum; eamque à Paulo Colos.2. appellari religionem Angelorum. Hæc fortè eadem est ea secta Angelicorum, de qua Aug. hær.39. qui Angelos adorabant; de qua Nicolaus Sanderus, & alij multo postea circa an. 180. at ego puto hoc loco notandam; & eosdem ipsos Sectarios dictos Archonticos, de quibus Epipha. hær.40. & Theodoret. de hæret. fabul.

Pseudoapostoli.

EOdem Pontifice, & tempore. Hos immediatè ponit Sander. post Simonem Magum; & iure optimo, quippe, vt de isto fit mentio in Actibus Apostolorum, ita de illis in Epistolis Pauli. Apertissimè 2. Cor. 11. *Pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.* Inter hos fortè fuere: Alexander ærarius, de quo 1.Tim.1. & 2.Tim.4. persecutor Pauli, à quo Apostolo est excommunicatus, & Hymenæus, ac Philetus, item ab eodem excommunicati, negantes mortuorum resurrectionẽ, de quo 1.Tim.1. & 2.Tim.2. Pseudoapostolorũ errores conijce cum Sandero ex ipsa Scriptura. Prædicabant, Circumcisionem obseruandam Actor. 15. obseruabant dies, menses, annos Gal.4. itemque Iudaicè discrimen ciborum Colos.2. dicebant, sibi à Deo datam Gratiam vocationis Christi ex meritis debitam, eo quod essent de stirpe Iudaica Rom.2. Iudicij diẽ in proximo futurum 2.Thess.2. Corrumpebāt autem Scripturas 2.Pet.3.

Cerinthus.

EOdem Pontifice, anno 40. Fuit Ephesius, ex Iudæo Christianus. Miror, quod Ricciolus eum ponat ad annum 70. adeoque sub Papa Cleto; cum ob Cerinthi hæresim putetur anno 51. coactum Ierosolymis Conciliũ illud Actor.15. Et quidem narrat Ricciol. Cerinthum restitisse Diuo Petro ob Cornelium ab isto baptizatum; quippe Iudæi conuersi noluissent, participari à Gentilibus Fidem Christi. Porrò fuit Cornelij Baptismus anno 38. Itaque Schismaticus Cerinthus prorupit in hæresim; esse obseruanda

à Chri-

Christianis Legalia Mosaica, maximè Circumcisionem; addidit deinde, hristum nondum resurrexisse; ac pro Cathecumeno mortuo posse bapti-ri in eius nomine aliquem viuum, vt refert Epiph. hęr.28. Aiebat præte-a fuisse Christum purum hominem Iosephi filium; atque esse impossibile, irginem habere filium, vt tradit Irenę. l.1.cap.25. Coniectura mihi est, Cerintho commotos, & factos hæreticos illos, quos prænotauimus Pseu-oapostolos, quippè conueniunt in quibusdam erroribus, & videntur illi ddidisse Ce:inthianis; at eos præmisi, quia latet author.

Nazaræi.

EOdem Pontifice, anno circiter 50. Hos ponunt Scriptores Catalogo-rum vno ferè sæculo iuniores; at ex D.Hiero. ad Aug. epi.89.hæc no-. *Vsque hodiè per totas Orientis Synagogas inter Iudæos hæresis est, quæ dici-r Mineorum, & à Pharisæis nunc vsque damnatur, quos vulgo Nazareos uncupant; qui credunt in Christum, Filium Dei, natum de Virgine Maria, & um dicunt, qui sub Pontio Pilato passus est, & resurrexit, in quem & nos edimus; sed dum volunt, & Iudæi esse, & Christiani, nec Iudæi sunt, nec hristiani*. Ex his colligo, non fuisse baptizatos, sed hæreticos Iudaicos, on deferentes Synagogam, ideoque à Pharisæis Iudæis appellatos hęreti-os, eo quod Christum Messiam confiterentur, atq; hoc actu credendi vo-uisse esse Christianos, cum cæteroqui essent Iudæi.

Supererant ergo tempore Diui Hiero. qui non semel meminit Euangelij Iazaræuorum; quod erat Euangelium Diui Matthæi hæbraicè ex ipso hę-raico autographo descriptum, sed alicubi variatum. Refert ipse in Cata-ogo *S.Matthæus*, obtinuisse à Nazaræis Berçæ, posse illud eorum Euange-um transcribere; quod quidem non puto fuisse acturum, si Nazaræi fuis-nt hæretici hristiCanismi; sed potius editis libris eos confutasset, vt fecit ı Heluidium, Iouinianum, Pelagianos, & alios.

Nicolaitę.

EEdem Pontifice, & tempore. Hos dico Synchronos antedictis, quia latet initium hæresis; nisi quatenus Apocal.2. damnatur; ac notantur eluti Balaamitæ, docentes, edere, bibere, & fornicari. Traditur enim, de-isse Balaam consilium Regi Balac Moabitæ, vt si vellet superare Israelitas, itteret in eorum castra mulieres, quæ allectos libidini, traherent in ido-olatriam, sicque omnipotenti protectori odiosos redderent. Occasio Ni-olaiticæ hęresis fuit Nicolaus Antiochenus ex Proselyto Christianus, & nus de septem Protodiaconibus Act.6. Numquid autem ipse fuerit hære-archa, incertum est. Nicephorus l.3.cap.15. ex Clemente Alexan. asserit uisse virum probum, atque ita rem processisse. Pulchra illi erat vxor, nec euis in eo zelotypia; quare à quibusdam redargutus, perduxit ante Apo-olos, & veluti renuntians, dixit, eam vt caperet, quicumque vellet. Hoc liqui interpretantur, vt purgationem famæ de zelotypia; sed Epiphanius ær. 25. aliter enarrat; videlicet, Nicolaum etiam in Diaconatu intempe-

L 2 ran-

rantem, ideòque repræhensum, cępisse dicere necessarium ad salutem, quotidie Venerem exercere; quare & suam ipsam vxorem alijs communicabat.

Baron. ad an. 68. Nicolaum vendicat à nota hæreseos; at Diuus Hiero. clarè ait adu. Pelag. ad Ctesiph. *Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, Choros duxit fœmineos*. Item epist. 48. ad Sabinian. *Nicolaus Antiochenus Nicolaitarum hæreseos author extitisse refertur*. Horum itaque hæresis erat, licitum esse vsum promiscuum fœminarum, neque esse fornicationem illicitam. Contra hæc iam disseminata zizania coæua Cerinthianis de necessitate Circumcisionis, editus est ille Canon Concilij Actor. 15. *Vt abstineant à contaminationibus Simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis. & sanguine*. Notatu dignæ sunt quatuor partes huius Canonis. Prima est contra Pseudoapostolos dicentes, licere vesci carnibus Idolo immolatis, etiam cum scandalo, de quo 1. Cor. 8. Secunda contra Nicolaitas, facientes licitam fornicationem. Tertia, & quarta contra Cerinthianos, & Nazaræos, qui adstruebant necessitatem legalium, quasi calumniantes Ecclesiam Catholicam, quod damnaret vetus Testamentum. Ad eluendam ergo eam calumniam, & demonstrandum, nos quidem fateri, à Deo vero fuisse veterem legem, prohibuere Apostoli esum suffocati prohibitum in lege Naturæ Gen. 9. vbi prohibetur esus carnis cum sanguine, & in lege Mosaica Leu. 17. itemque esum sanguinis magis explicitè prohibitum Deut. 12.

Cęterum quod spectat ad Nicolaitas, August. citatus à Castro Verb. *Idololatria* refert, ab ijs ortum habuisse Ophitas, qui aiebant, Serpentem Euæ deceptorem fuisse Christum; ideòque seruabant in spelunca Serpentem, cui dum sacrificabant, egrediebatur vi Magica, & ascendebat Altare, ac de Sacrificio libabat; idcircò dicti Ophitæ, quasi serpentini, nam Græcè *Ophis* significat serpentem. Alphonsus prædictus de Castro dubitat, an Ophitæ, vt & Caini, & Sethiani, dicentes Şeth Adami Filium fuisse Chrristum, exstiterint in Sectis Iudaicis Synagogæ, an verò tempore Ecclesiæ. At D. Hiero. adu. Lucif. Ophitas recenset inter eos, *qui Euangelia laniauerunt*; ideòque huc spectant ad Nicolaitas, vt & illi alij, quorum latent primordia; vel ad Gnosticos infra notandos.

Menander.

POntifice Lino circa an. 70. Discipulus Simonis Magi, vt ait Hieron. loco cit. & ipse Samarites patria, itemque exercitio Magus. Cœpit se iactare suo Magistro maiorem, inquit Epiph. hær. 22. seque dicere Mundi Saluatorem. Baptismi nouam formam adinuenit: dicebat suos discipulos eo ritu baptizatos non esse morituros, vt refert Iustin. Apol. 2. Circa id tempus videtur fuisse ille Diotrephes schismaticus lacerator famæ D. Ioannis, qui de eo habet epist. 3.

Basilides.

Basilides.

P Ontifice Cleto circa an. 80. Hoc tempore eum figno, nam D. Hiero.
. adu. Vigil. meminit *Basilidis antiquissimi hæretici, & imperitæ scientiæ.*
onit Ricciol. ad an. 117. at non videtur probabile. Fuit enim discipulus
monis Magi, qui perierat saltim anno 66. nec verisimile est, discipulum
perbiæ silere voluisse vltra quinquaginta annos. Fuit patria Alexandri-
ıs, *Magister luxuriæ, & turpissimorum amplexuum,* ait Hiero. 2. adu. Ioui.
: quo Iren. l. 1. cap. 23. ait, finxisse tot Cœlos, quot in anno dies, nu-
ero 365. quem numerum hac voce *Abraxas* complectebatur. Aiebat,
eum esse inclusum in sphæra Solis, vt refert Hiero. in Amos, ac Deum
sum portentoso eo nomine appellabat Abraxas, vt idem ait epistol. 29.
este Philastrio dixit, Christum vmbraticè passum, quippè loco eius fue-
t crucifixus Simon Cyrenæus. Dabat enim iuxta Simonem Magum
hristo corpus non reale, sed phantasticum. Hinc fatuos appellabat Mar-
res, vt qui paterentur pro non passo. De Basilide scribit D. Hiero. in
atal. §. Agrippa. *Mortuus est autem Basilides, à quo Gnostici, in Alexandria
mporibus Hadriani;* videlicet, circa an. 120. adeòque patet Riccioli error,
ım ait Basilidem sub Hadriano Imper. cæpisse blasphemare, nam planè
b eo Cæsare desijt.

Gnostici.

E Odem Pontifice circa an. 85. Hoc loco ponendi, vtpotè orti à Basili-
de, vt ait D. Hiero. ad Ctesiph. adu. Pelag. & à D. August. soboles
ıcolaitarum putantur. Dicti Gnostici, seu Gnoitæ, idest gnari, quia
solos esse sapientes, & scripturas penetrantes iactabant; adeòque vel ipsi
appellarunt Gnosticos per superbiam, vel alij eos ita dixerunt per iro-
am. Dicebant animam esse de Dei substantia. Bruta esse intellectiua, vt
omo. Nullum fore Iudicium. Duos esse Deos, bonum, & malum, atque
ɔ hoc esse creaturas, adeòque ex se esse malas. Turpitudines Nicolaita-
m admittebant, vel fortè peiores, dicti obinde Borboriani græcè, idest
enosi, vt habet August. Adeò fœdi vitijs, vt ipsis ethnicis horrendi, es-
nt occasio odij in nomen Christianum.

Saturninus.

E Odem Pontifice, & tempore. Latet siquidem eius ætas; nisi quate-
nus perhibetur discipulus Simonis Magi, & Sectæ instaurator. An-
ochenus patria. Mundum à septem Angelis conditum dixit; aliasque
tuitates, de quibus Epiph. hær. 23. Addebat, nubere, & generare esse
Sathana, vt narrat Iren. lib. 1. cap. 22.

Carpocrates.

E Odem Pontifice, & tempore. Aut socius, aut successor Basilidis fun-
datoris Gnosticorum, vt habet Iren. l. 1. cap. 24. quarè Hiero. adu.
ıcif. appellat *Gnoitam Carpocratem.* Magus fuit, teste Niceph. l. 4. cap. 2.
xit autem, Christum purum hominem, & de Iosepho conceptum. Sa-
crifi-

crificabat imaginibus, tanquam dijs, vt habet Epiph. hær. 27. eiusque filius Epiphanes adorabatur vt Deus, teste Clem. Stro. 3. A Carpocrate ortos Gnosticos ait etiam Sanderus, atque horum sobolem facit Ophitas, Cainos, Sethoitas: quos ideò ad Nicolaitas refert August. quippè & hos Gnosticorum stipitem putat. Cæterum Gnosticos fuisse Cainos, facilè creditu est ob infandam professionem adorandi Cainum, Sodomitas, & Iudam Iscariotem, quem laudabant, vt Mundi benefactorem in proditione Christi; vt habetur ex Iren. Tertul. & Epiph.

Chiliastæ.

EOdem Pontifice, & tempore; nisi sint antiquiores; quippè eorum authorem August. hær. 8. assignat Cerinthum. Dicti Chiliastæ, id est Millenarij ab hac hæresi, quod Christus in fine Mundi cum alijs resurget, atque ita per mille annos erunt in terris vacantes voluptatibus carnalibus. D. Hiero. in Catal. §. *Papias* ait, Papiam Ioannis Euangelistæ discipulum authorem Millenariorum, quem secuti sunt, Irenæus, Tertul. Victorinus Pictau. & Lactant. At isti ex occasione textus Apocal. 20. *regnauerunt cum Christo mille annis*, in hac opinione fuerunt, tunc nondum damnata, Sanctos cum Christo in terris regnaturos mille annis; non autem turpiter victuros, ita vt tunc pro vna dimissa vxore sint reddendæ centum, vt notat D. Hieron. in Mat. 19. Hinc turpes Chiliastas refero cum Sandero ad hanc primi Sæculi ætatem.

Ebion.

POntifice Clemente circa an. 95. Ponitur à Ricciolo an. 70. & à Sandaro ante 77. sed mihi videtur ponendus paulò ante centesimum, quoniam anno 100. scripsit D. Ioannes Euangelium *aduersus tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt, Christum antè Mariam non fuisse*. Erat ergo tunc recens Ebionismus, vt constat ex his verbis D. Hiero. in Catal. §. *Ioannes*. Erat Ebion facundus, at scelestus. Recipiebat solum Matthæi Euangelium; volebatque seruari legalia, Paulum appellans Apostatam legis, eo quod prædicasset, non esse necessariam Circumcisionem. Deitatem Christi negabat, quare coactus est D. Ioannes describere, quid erat Christus *In principio*, nempè *erat Verbum, & Deus erat Verbum*. Fortè etiam Ebionitæ sunt illi, quos Sanderus hoc æuo appellat Sacramentarios, negantes præsentiam Christi in Sacramento, vt refert Ignatius apud Theodoretum Dial. 3. Et hinc est quod Euangelium Ioannis maximè agit de Eucharistia cap. 6. Ebionem vocat D. Hiero. adu. Lucif. Cerinthi successorem.

HÆRESES SÆCVLI SECVNDI.

PEtri ergo iactata inter fluctus horrendos, at nequaquam periclitans nauicula, frementes, & sæuientes patiebatur aquilones, ab hæreticis fallentibus, ab Idololatris, & Iudæis persequentibus. Nec leuiores erupere turbines tempore sequente.

Sampsei,

Sampsei, & Elcesei.

Ontifice Alexandro circa an. 120. Elceseitas, quos Sampseos appellat ab Elxai Iudæo prognatos, ponit Ricciol. plusquam integro Sæculo iores. At quia Epiphanius ab Ebionitis ortos vna cum Ebionitis recen-, inculcantes obseruantiam veteris legis, videntur hoc loco referendi.

Valentinus.

Ontifice Thelesphoro circa an. 145. Fuit Aegyptius, plus Pytagoricus, quam Christianus, vt ait Philaster, vel Platonicus, vt ait Tertul. & tonicam doctrinam commiscens Dogmati Christiano; multa delira-; inter quæ hoc ridiculum, Mundi duo principia, Profundum, & Si-tium: atque Profundum esse Patrem, Silentium matrem; deque his pro-isse Veritatem; & indè Aeonas, ideſt Sæcula, in quibus numerandis in-it. Eius fuere Sectatores, *Ptolemæus*, *Secundus*, *Marcus*, *Colarbasus*, *racleon*, vt refert Tertull. de præscrip. atque fatuitatibus Magistri suas iderunt.

Bassus enim, alias dictus Colarbasus, ponebat rerum omnium perfe-onem in litteris alphabeti, aiens ideò Christum appellatum *Alpha*, & *ega*.

Ptolomæus dixit, Deum impossibilia præcepisse, præsertim indissolubili-em Matrimonij, vt refert Epiph. hær. 32. qui ait, illi successisse Secundum. *Marcus* fœminis Sacerdotium conferebat, vt inquit Epiphan. hær. 34. que potestatem conficiendi Eucharistiam. Hic tamen fortè fuit multo e, si non est diuersus ab eo, de quo Hiero. ad Theod. epist. 49. vbi re-t de Basilide prouenisse, & Galliæ multam partem maculasse ad Rho-num, & Garumnam, *maximeque nobiles fœminas, quedam in occulto, my-a repromittens*. Indè etiam pergens in Hispanias, magijs, & hæresi itas nobilium domos infecit, demum in turpidines alliciens. Si ergo t, non Valentini, sed Basilidis discipulus: recense in sæculo præceden-insuperabilis quippè est pro his duobus Sæculis difficultas Chronologię.

Cerdo.

Ontifice Higino circa an. 155. Sub Higino Romam venisse, testatur Irenæus l. 1. cap. 28. Bis quippè venit è Syria, sub Thelesphoro, & gino, abiurans hæresi, at denuo relapsus. Fuit magus, vt ait Hilar. 6. n. asseruitque duos Deos, vnum iustum, alium iniustum; ab hoc fuisse stamentum vetus, ab illo iusto Christum, qui tamen non realiter, sed antasticè sit natus, & passus. E' Scripturis nil admittebat, nisi partem angelij D. Lucę.

Marcion.

Ontifice Aniceto circa an. 165. Sinopensis in Ponto filius illustris, pro-bique viri, facti postmodum Episcopi. Ob stupratam puellam impę-ens excommunicatus à patre venit Romam sub Aniceto; vbi non rece-is inter Ecclesiasticos dedit se Cerdoni; cum quo duos Deos admitte-

bat,

bat, mox tres, denique nouem: Nuptias damnabat: Mortuos baptizabat, respondente de sub feretro vno viuo, & dicente, se velle baptizari. Eum Romæ reperit D. Polycarpus, & dicenti, cognoscis me? respondit, *Cognosco primogenitum Diaboli*; vt refert D. Hiero. catal. §. *Polycarpus*.

Quartodecimani.

EOdem Pontifice, & tempore. Horum ponit Ricciol. authorem Blastum ad an. 180. sed reuera, quamuis hic propugnaret Romæ eam hæresim, tamen in Oriente natam, constat ex D. Hiero. cit. dicente, Polycarpum venisse in Vrbem tempore Aniceti *propter quasdam super die Paschę quæstiones*. Prætendebant quippe Episcopi Asiæ, celebrandum esse Pascha in lunæ quartadecima eadem die, qua Iudæi suos azymos celebrant. Hinc dicti *Tessaradecaditæ*, id est *Quartadecimani*. Polycrates Ephesiorum Episcopus circa an. 195. contumaciter se gessit ob hoc aduersus Papam Victorem, vt refert Hieron. cit. §. *Polycrates*; atqui anno 198. Victor, Concilio Romæ habito, damnauit errorem præfatorum Iudaizantium. Primò autem mota fuerat Laodiceæ quęstio, & schisma enatum de Paschate sub Pontifice Pio, circa 160.

Apelles.

EOdem Pontifice, circa an. 170. Discipulus Marcionis, condiscipulus *Lucani*, *Basilisci*, *Pontini*; at per Philomenem dæmoniacam, quam in delicijs habebat, incitatus, euasit hæresiarca, dictus præterea hæreticissimus. Ita errorem de duobus principijs auxit, vt diceret, malum Deum à bono Deo factum. Dixit, præter multos præcessorum errores, Christum sumpsisse carnem, non de Matre, sed de elementis, quibus in morte solutis, absque corpore Cœlum conscenderit; vt referunt Tertull. Epiphan. August. Post Apellem recensentur à Sandero sequentes tres Sectæ, quarum non reperio situm alium, videlicet.

Alogi, idest absque Verbo, quippè Verbum æternum negabant, ideòque, & Euangelium D. Ioannis respuebant; de quibus Epiphan. hær. 51.

Adamiani, qui in Ecclesia nudi stabant, aientes se imitari statum Adæ in Paradiso innocentis. Condemnabant nuptias, vt inuentum diabolicum, ac in Ecclesia, factis tenebris, se mares fœminis promiscuè commiscebant; de quibus Aug. hær. 31. Horum authorem Ricciol. ait Prodicum ad an. 176.

Ascodrogytæ; qui vtrem inflatum sub velamentis ornatum circumibant, per Ecclesiam clamantes dictum Saluatoris, vinum nouum in vtres nouos mittendum; de quibus Philastrius.

Artotyritę hoc loco addantur, exorti in Galatia. Hi sacrificium ea pane, & caseo peragebant, vndè & nomen sortiti sunt. De his, vt de plurimis prædictorum, ac dicendorum habetur mentio cap. *Quidam* 24. quæst. 3.

Hermogenes.

EOdem Pontifice, & tempore. Africanus patria, pictor exercitio; factus ex Christiano Stoicus; materiam dixit Deo coæternam; Christi corpus in Sole; aliaq; absurda; teste Tertull. *Mon-*

Montanus.

PONtifice Sothero an. 173. quo ab Episcopis Asiæ, & Græciæ damnatus est, vt hæresiarca. Natus in Ardaba pago Phrygiæ, vnde & sequaces dicti sunt Cathaphrygæ; vel vt alij aiunt in Vrbe Pepuza, ex quo item appellati sunt Pepuziani. Seuerissimam Sanctitatem affectans, damnabat secundas nuptias. Aiebat, lapsos numquam posse in gratiam redire. Fuisse Prophetas arreptitios, nec intellexisse, quæ scribebant. Sibi, non autem Apostolis infusum fuisse Spiritum Sanctum. Rebaptizabat, vtens alia sua particulari forma. Duas diuites fœminas Priscam, & Maximillam à suis viris abductas sibi copulauit; eoque adegit insaniæ, vt sese Prophetides, & Spiritu Sancto plenas crederent. Denique se ipsum suspendio necauit.

Induxerat suis tres Quadragesimas, quasi tres passi fuissent Saluatores, vt refert Hiero. ad Marcell. epist. 54. Porrò Cataphrygum non vna fuit doctrina; alij enim secuti sunt *Proclum*; alij *Aeschinem*. Hic aiebat, Christum ipsum esse Filium, & Patrem. De Montano ortos Artotyritas ait Sanderus.

Bardesanes.

EOdem Pontifice circa an. 175. tempore Antonini Imp. ad quem scripsit librum de Fato. Natus Edessæ in Mesopotamia. Eruditissimus Græcè. & Syriacè,; sed Valentini erroribus corruptus, & iuxta metaphoram D. Epiphanij factus instar pulcherrimæ nauis, quæ onerata diuitijs in proximum portum infringitur. Asseruit humanas actiones fato stellarum tribuendas, vt notat August. hær. 35.

Encratitæ.

POntifice Eleuterio circa 180. Ita dicti græco vocabulo, nempè abstinentes. Author Tatianus Syrus ex Philosopho Platonico Christianus, & Discipulus Iustini Martyris; sed post magistri martyrium infectus erroribus Valentini, alios etiam addidit, inquiens; Adamum, & Euam æternè damnatos; non licere bibere vinum, aut carnes comedere; ac talia esse à Dæmone creata. Execrabatur præterea nuptias. Secutus est hunc magistrum *Seuerus*: vnde Encratitæ appellati sunt *Seueriani*, contra quos Eleuterius statuit, ne Christiani vllum cibum abhominentur, vt refert D. Irenæus lib. 3. Fuisse Tatianum circa 180. liquet ex D. Hieron. in Catalog. §. *Tatianus*, quippè eum ponit sub M. An. Vero, & Lu. Aur. Commodo. Hinc patet grauis lapsus Alphonsi de Castro v. *Adam, & Eua*, vbi Tatianum ponit sub Imp. Antonino. & Papa Iulio; atqui Iulius fuit an. 336.

Hydroparastatæ, seu Aquarij, qui aqua sola in sacrificio vtebantur, videntur spectare ad Encratitas, vel vt synonimi, vel vt eorum proles; de quibus aquarijs Theodore. l. 1. de hæret. fabul. Et quidem Ricciolus de Tatiano narrat, Sola aqua vsum in Eucharistia sua confecta; vnde miror, quod deindè Aquarios, diù post signet ad an. 255 etsi non nesciam anno 257. habitum in Africa Concilium contra Aquarios, qui, nè ab ethnicis dignoscerentur

 scerentur-

ſcerentur nidore vini, aquam putabant poſſe conſecrari. At hos ignorantia feſellit, adeòq; hæreſis Aquaria non ad eos, ſed ad Encratitas pertinet.

Florinus, & Blaſtus.

EOdem Pontifice, & tempore. Romæ authores Schiſmatis hæreticalis, eo quod in petitione Presbyterij repulſam tuliſſent, vt habet Niceph. l. 4. Aiebat Blaſtus, celebrandum Paſcha more Iudaico luna quartadecima, vt refert Tertull. de præſcrip. Florinus autem præter Valentini hæreſim aſſerebat Deum authorem peccati, vt inquit Euſeb. l. 5. cap. 19.

Antè hos Sanderus ponit *Prodicum*, cuius dogma fuerit; non eſſe orandum; de quo Clem. Alex. 7. Strom.

Theodotus Coriarius.

POntifice Victore circa an. 194. Patria Byzantinus; Coriarius, at valde eruditus. Cum in perſecutione Fidem negaſſet, vt factum excuſaret, cœpit dicere; Chriſtum non eſſe Deum, adeòque ſe non negaſſe Deum. Eius Sectatores Alogos recenſet Ricciol. at fortè is Alogorum ſecutus eſt errorem, cuiuſmodi fuerint *Artemon*, & *Aſclepiodatus*, de quibus Euſeb. l. 5. cap. 27. Cæterum hic Theodotus perhibetur damnatus à Papa Victore.

Melchiſedeciani.

EOdem Pontifice circa 195. Author fuit alius *Theodotus* argentarius, de quo Tertull. cit. dicens Chriſtum aduocatum hominum, Melchiſedecum autem Angelorum, & Chriſto maiorem; nec fuiſſe purum hominem, ſed quamdam Dei virtutem, vel Spiritum Sanctum incarnatum. De hoc errore ſcribit Hier. Euagrio epiſ. 126. ſed primi authoris non meminit.

Patropaſſiani.

EOdem Pontifice, & tempore. Nomen recentius eſt poſt Sabellium; at error cœpit æuo Victoris Papæ à *Praxea*, qui ex Aſia Romam veniens, dicere cœpit; vnicam eſſe in Deo perſonam, quæ paſſa ſit pro nobis. Dicta eſt obindè hæreſis *Manarchicorum*, deindè *Patropaſſianorum*. Damnatus eſt autem Praxeas à Papa Zephirino.

HÆRESES SÆCVLI TERTII.

MOnſtroſa præceſſere duo ſæcula; ſed non minus horrendum ſecutum eſt tertium, tum lapſu virorum illuſtrium, tum incremento errorum, queis iam ſemina praiacta fuerant. Et ecce ſtatim in principio caſus verè deplorandus.

Tertullianus.

POntifice Zephyrino circa 201. ad quem annum agit Baron. De hoc Hieron. in Catal. §. *Tertullianus*. Carthagine natus patre centurione proconſulari; *Vir acris, & vehementis ingenij*, vſque ad mediam ætatem optimus presbyter, & hæreſum impugnator, maximè Montaniſtarum; *inuidia poſtea* percitus ob Papatum à Victore conciue ſuo habitum, *& contumelijs Clericorum Romanæ Eccleſiæ* dedit ſe ipſi ſectæ Montani, dicens inter alia.

Animam

nimam nostram corpoream, & propagatione productam à parentibus. :electorum animas post mortem verti in Dęmones. Secundas nuptias esse upra. Deum esse corporeum, sed nulla figura circumscriptum. Hęreti- orum baptisma esse inualidum. Vixit ad decrepitam ætatem. Post mul- os annos pœnituisse, & Montano abrenuntiasse, colligunt aliqui ex Aug. ap. 86. de hær. at Pamelius censet obijsse hæreticum.

Circa id tempus fuere, *Proclus* Montanistarum propugnator ab eruditis- mo Gaio Romæ confutatus, de quo Euseb. l. 6. cap. 14. & *Beryllus* Bo- rorum Episcopus, dicens Christũ ante Incarnationem non habuisse Diui- itatem: at ab Origene restitutus est sanæ menti, vt refert Euseb. l. 6. cap. 6. Item hæretici *Arabici* in Arabia orti incertò authore, asserentes, ani- nam cum corpore mori, ambo autem resurgere in Iudicio extremo, quos)rigenes item reuocauit ad Fidem; de quibus Aug. hær. 83.

Agrippinus.

EOdem Pontifice circa 217. quo anno Conciliabulum egit *Agrippinus* in Africa, statuens, baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos, uem errorem docuerat Tertullianus. Fuit autem Agrippinus Carthagine :piscopus; atque in eumdem errorem cecidit eius aliquando successor Cy-)rianus indiscretè resistens Papæ Stephano; sed hic, vt inquit Augúst. l. 1. le baptiz. cont. Donat. Martyrio maculam diluit.

Origenes.

POntifice Calisto circa 220. Ab infatigabili studio appellatus Chalcen- terus, quasi Aeneus, itemque Adamantius; Alexandriæ natus, Pa- :re Leonida Martyrium Christi passo, & ordinatus Presbyter à Ierosolymę :piscopo. Eruditissimus in omni litteratura; & adeò pius, vt ethnicos Philosophiam doceret, sic per conuersationem trahens ad Fidem; vtque etiam fœminas absque suspicione erudiret, sese eunuchum fecerit. At ni- mia mentis curiositate sic fœdè prolapsus est, vt iuxta Cassiodorum de inst. diu. lect. *Vbi benè nemo melius, vbi malè nemo peius*; videlicet, optimus Scholiastes Scripturarum euasit in pessimum dogmatistem. Præsertim in quinque libris Periarchon, seu de Principatu; in quibus adnotati sunt à D. Hieron. epist. 61. Pammach. octo errores; videlicet. Patrem Aeternum non videri à filio, nec Filium à Spiritu Sancto. Animas ante corpora fuis- se creatas in Cœlo, & missas in carnem, tanquam in carcerem, eo quod in Cœlo peccauerint. Dæmones aliquando pœnitentiam acturos, & sal- uandos. Tunicas pelliceas Adæ, & Euæ nil aliud significare, nisi corpora, in quæ ob peccatum claudantur animæ, sicque Adam, & Euam extitisse aliquando extra corpus. In Resurrectione non fore sexuum diuersitatem. Paradisum terrestrem nil fuisse; sed nomine arborũ accipi Angelos. Aquas cœlestes nil esse, nisi Angelos; sublunares autem dęmones. Hominem pec- cando amisisse Dei imaginem.

In eo quod dixit, Patrem non videri à Filio, abstulit consubstantialitatem, & semina posuit Arianismi; dictus obinde ab Epiphanio *Pater Arij*; quinimmo seminarium posterorum omnium hereticorum; dato videlicet exemplo explicandi pro suo libito Scripturas, & non ad Ecclesię normam. Hinc Ariani dixerunt se Origenistas, vt de magni Doctoris ductu glorientur. Quare D.Hieronymus curauit, vt per Theophylum Patriarcham Alexandriæ damnarentur Origenistę cum Origenis erroribus. Ioannes Picus per Apologiam vendicat Origenem, tamquam fuerint ab hæreticis falsata eius scripta; at D.Hiero. tanto proximior illi ætati, contendit, planè fuisse lapsum. Idem refert eius pœnitentiam, epis. ad Pammac. & Ocean. eo quod veniam rogauerit per litteras à Papa Fabiano. Quibusdam tamen est suspicio pœnitudinis imperfectæ, quia nullum retractationis librum edidit, cum diu post superuixerit. Obijt lue contagiosa Tyri annorum sexaginta nouem sub Gallo, & Volusiano, vt habet D.Hiero. in Catal. videlicet anno 252.

Thalmudistæ.

EOdem Pontifice, & tempore; quippe *Thalmud* initium habuit anno 150. post cladem Ierosolymæ, vt refert Sixtus Senen. l.2. verbo *Traditiones*. Pessimè impia ea doctrina non est hęreticorum, sed Iudæorum, at verò in hæresibus conferenda ob infandas, quas habet, blasphemias in Christum, & in Deum. *Thalmud idem* sonat, quod *disciplinatio*, seù *instructio*. Primus author fuit *Iudas* Simonis filius, qui doctrinas veterum Rabbinorum collegit, ac *Misna* idest, repetitionem appellauit. Adauxit opus Rabbi *Ioannam* anno 370. Ierosolymis, dictumque est *Thalmud Ierosolymitanum*; deinde alij Babylone Aegypti, nempe Cayri. anno 506. appellatumque est *Thalmud Babylonicum*, innumeris confertum ineptijs, ac impietatibus. Proinde iure merito flammis damnata sunt ea volumina à Gregorio Nono, & alijs Pontificibus. Sixtus Senen. carpit nostrum Petrum Galatinum, quod susceperit defensionem librorum Thalmudicorum lib. 1. de Arcanis Cathol. Relig. at Galatinus non quidem de toto pernicioso volumine agit, sed de Rabbinorum libris, qui præcessere aduentum Christi, cuiusmodi sunt Rabbi Hillel, Pater Simeonis iusti, & Christum videntis, Rabbi Haccados, & alij, de quibus Galatinus præclara in Iudęos habentibus testimonia; neque sensus est de toto Thalmud, sed de parte nobis proficua, vt ipse Galatinus l.1. cap.7. ait *Thalmud recipiendum, non tamen in omnibus, nisi in ijs tantummodo, quæ bona sunt*. Quis enim, non dico doctus, & pius Sacerdos, vt Galatinus, sed vel leuiter homo rationis compos laudauerit eas insanas, & bestiales ineptias, quæ sunt in libro Thalmudico?

Valesiani.

POntifice Fabiano circa 240. Appellata est etiam secta *Eunuchorum* orta à *Valesio* Arabe. Hic imitatione Origenis sese mutilauit; cœpitque docere,

)cere, saluari non posse qui sic non existeret exsectus. Eapropter Vale-
:ni, quotquot hospitio suscipiebant, aut captare poterant, sic mutilabant;
quibus Epiphan. hær.58.

Cathari.

EOdem Pontifice circa 250. per sui arrogantiam dicti *Cathari*, idest, *puri*; vnde & candidis vestibus induebantur. Dicti etiam Nouatia- ab origine, & Donatistæ ab incremento. Author fuit *Nouatus* Presby- r D.Cypriani, vt scribit Hieron. in Catal. §. *Nouatianus*; atque error pri- ò fuit, nolle recipere ad pœnitentiam Apostatas, qui nimirum idolis sa- ificassent. Nouatus author item fuit primi Schismatis in Ecclesia Ro- ana, incitans *Nouatianum* Romanum Presbyterum, vt aduersus Papam ornelium anno 254. se gereret Antipapam; quippe Cornelius benignè d pœnitentiam suscipiebat lapsos. Non pauci ergo seducti, denegata obe- ientia Cornelio, sectarios Nouatiani se fecerunt; prætendentes, penes se- se Ecclesiam. Rebaptizabant in suam partem migrantes, & se ipsis Apo- olis puriores iactabant.

Noetus.

EOdem Pontifice, & tempore; nam D.Epiphanius, qui floruit circa 370. scribit hær.57. Noethum præcessisse annis plus minus 130. Ephe- us fuit; seque appellabat Moysem, fratremque Aaronem; *Patropassiano- um* hæresim instaurauit; paulo post miserè mortuus cum fratre, qui ambo ullo sunt funeris honore sepulti; vt ait Epiphan.

Sabellius.

POontifice Sixto circa 260. Pentapolitanus è Ptolemaida Lybiæ. *Patro- passianorum* ampliator; vnde & hi dicti sunt *Sabelliani*: Tollebant ita- que Trinitatem, aientes, vnicam Deum esse personam multinomiam; ita quod, vt Creator dicatur Pater, vt Incarnatus, & passus appelletur Filius, vt anctificans animas dicatur Spiritus Sanctus. Ad hunc annum Baron. ponit *Angelicos*, at puto non extitisse alium authorem præter iam dictum Simo- nem Magum. Item ponit *Apostolicos*, qui se appellabant *Apotacticos*, idest, *Renuntiatores*, Encratitarum, & Catharorum germen iuxta D.Epiphan. hær.61. Porrò circa id tempus inualuere *Chiliastæ*, per *Nepotem* Aegypti Episcopum; & *Coracionem* Monachum.

Paulus Samosatenus.

POntifice Dionysio circa 265. Ex Vrbe Syriæ Samosatena, Zenobiæ Palmirenorum Reginæ præceptor, Episcopus Antiochenus. Ebionis- mum reuocauit, dicens, Christum non esse Deum. Trinitatem negans, vtebatur propria diuersa forma in Baptismo; quapropter in Concilio Ni- cæno cauetur, vt eius sectarij venientes ad fidem baptizentur, vt habetur cap. *Paulianistæ*. 1.qu.1. De eo plura Baron. an.266.

Mani-

Manichæi.

PОntifice Eutychiano circa 277. Author vilis *Curbicus* Persa, seruus cuiusdam vetulæ, mox hæres bonorum, in quibus libri erant delirantium quorumdam hæreticorum. Hinc animus extollendi se in hæresiarcham; voluitque appellari *Manes*, quod Persicè *Vas* significat, sed quia Græcè sonat maniam, idest insaniam, sui Sectarij nuncuparunt duplici non *Mannichæum*, quasi Manna fundentem. Duodecim Socios adscitos misit per Orbem, quasi simulans Christum, ait Euseb. l.7.cap.25. cum, ne Christianus esset, sed solum Cathecumenus, teste Cyrillo Hierosol. cathec. 6. Multa è præcessoribus more Sectariorum mutuatus, aliqua etiam de suo superstruxit. Aiebat, duos Aeternos Deos, vnum bonum, alium malum; & ab hoc factas creaturas, adeoque esse per se malas. Hinc ex pane, vtpotè malo non posse fieri sacrificium. Infando autem ritu admiscentes farinæ humanum semen, eam purificari, & aptam reddi sacrificio aiebant, teste D.Aug. apud Prateol.

Gualterus in Chronograph. colligit 85. capita Manichæismi; inter alias porrò blasphemias aiebant. Peccata non posse vitari, eo quod procedant à mala mente; duas quippe mentes in homine adstruebat Manes; concupiscentiam carnis appellabat mentem malam,& à malo principio productam; animam autem rationalem dicebat mentem bonam; peccata, non ab anima, sed à concupiscentia prouenire dicens. Matrimonium,& ciuilē potestatē esse illicita, vtpotè à malo Deo deriuata. Ponebant animarum transmigrationem. Tollebant liberum arbitrium; at non permittit breuitas longiorem enarrationem. Hydrę Manichęę multa exorta sunt capita; *Audiani*, *Apocaritæ*, *Brachitæ*, alij, de quibus in iure ciuili C.de hæret. Ad an.288. Baron. ponit *Hieracem* Aegyptium eruditum, at prolapsum, qui inter alia explicabat Mysterium Trinitatis ita, vt Essentia esset,veluti lucernæ oleum, & Personæ essent, vt tres lychni, seù lampades eiusdem olei.

HÆRESES SÆCVLI QVARTI.

EVaserat demum tempestates tyrannorum Ecclesia, sed non quieuere hæreticorum typhones, immo facti hoc sæculo sæuiores; ex quo facilè depræhendas, quam longiùs à Veritatis finibus distet hæreticus, ac Idololatra; hic quippe plus ignorantia, ille plus perfidia separantur. Hi ergo fuere hoc sequente sæculo errones.

Donatistæ.

PОntifice Marcello an.306. quo factus Carthagine Episcopus Mensurij successor Cæcilianus dirum Schisma passus est. Fuerat is ibi Archidiaconus, ac semel diuitem fœminam Lucillam repræhenderat ob cultum exhibitum ossi, non dum probati Martyris. Electionem Cæciliani indignè ferens *Donatus* Episcopus in Numidia, concitatus etiam à Lucilla venit Carthaginem, ac de multis accusauit Cæcilianum, sed frustra. De-

prę-

ʒhensus calumniator ordinauit Pseudoepiscopum Carthaginis *Maiori-m*, & Schisma conflauit. Vt subsisteret, addidit heresim, quod Ecclesia ei toto Orbe defecisset, & dumtaxat apud Sectarios Donati extaret; que Ecclesiam solis bonis constare. Habuit deinde successorem Maori-is alium *Donatum*, disertum peruersorem, à quo multa pars Africę cor-pta est, vt habet D.Hiero.in Catal. §. *Donatus*; qui tres personas Diuinas ıcedebat consubstantiales, sed Filium Patre minorem, & vtroque mino-m Spiritum Sanctum, vt innuit D.Hiero. Cęterum additis Catharorum ıim:is, de prioris Donati, & huius posterioris nomine, secta Donatistarum mualuit incredibilium turbationum fax.

Ipso Anno 306. *Meletius* Lycopolitanus in Thebaide Aegypti Episco-is nolebat, tam citò ad pœnitentiam admitti; quapropter schisma fecit ntra suum Primatem S. Petrum Patriarcham Alexandriæ. Non docuit eresès, sed tamen eo schismate pessimè nocuit; quippè inde Arius occa-nem, & asseclas aucupauit; Meletiani quippe iuncti sunt Arianis.

Arius.

) Ontifice Siluestro anno 325. in Concilio Generali Nicæno damnatus. Alexandrinus Presbyter, Meletiani Schismatis fautor; corpore paruo, ecie subtristis, blandus eloquio; inuidia tabescens ob sibi prælatum in piscopatu Alexandriæ Alexandrum, compinxit, socio adhibito Collu-o, hæresim; esse Verbum Aeternum creaturam, & Patre minorem; erat tem item *Colluthus* Alexandriæ Presbyter simplex; at adeo arrogans, vt pro Episcopo gerere, & ordinare Presbyteros non sit veritus. Excom-unicatus Arius, & degradatus ab Alexandro, confugium habuit ad Eu-bium Episcopum Nicomediæ. Cœpit Arius diffundere virus anno 315. c potuit effectum sortiri ea Sancta Synodus, crescentibus, & deludenti-is per integra sęcula Episcopis, & Principibus hæresim patrocinantibus. se interim anno 336. vt habet Baron. Constantinopoli fingens emissurũ atholicam Fidei professionem coram Constantino; dum stipatus sodali-pergit versus Ecclesiam, in via prope forum Constantini subita ventris cessitate pulsus in publicam latrinam, ibi egestis cum stercore intestinis nnibus, dignum hæretico finem habuit.

Antropomorphitæ.

) Ontifice Iulio circa 341. quo anno agit Baron. de eorum Authore *Audæo*. Dicti sunt etiam *Vadiani*, sed fortè dicendi *Audæani*; Antro-orphitæ autem ab hæresi tribuendi Deo humana membra sunt appellati, ım grεcè *Antropos* hominem *morphos* figuram significat, seù formam. ıit Audæus è Mesopotamia, secutus præfatum errorem Tertulliani de rporeitate Dei, itemque sectam Quartodecimanam; ac pręterea dicens icitas Ecclesiasticis diuitias; quarè ob Episcopos diuites se ab Ecclesia ıararunt, vt ait Epiphan. hær.70. Antropomorphitas autem fuisse multos ıtriæ Monachos, tradit Nicephorus, præsertim quatuor Longos cognomi-

natos

natos à statura corporis, Ammonium, Dioscorum, Eusebium, Ethymium, quos expulit Theophilus Alexandrinus.

Photinus.

EOdem Pontifice an.347. damnatus est in Concil. Sardicen. Fuit is è parua Galatia Episcopus Sirmij in Illyrico. Dixit, Christum esse purum hominem, augensque Arij impietatem, filium Dei, nedum diuersæ substantię à Patre, sed neque Patris imaginem, aut Patri similem. De eo Baron. An.357.Hæc hæresis asserentium dissimilitudinem inter Patrem, & Filium dicta est hęresis *Anomianorum*. Hi pariter appellati sunt *Exucontij*, videlicet, filium ex nihilo creatum statuentes. Quo loco nota, plures diuersas pullulasse Arianismi species ex ea pessima prima radice negante consubstantialitatem. Hinc *Photiniani* præfati; hinc *Acaciani* purè Ariani; duce Acacio Cæsareæ in Palestina Episcopo; hinc *Aetiani* ab Aetio Syro nuncupati; &, vt alios omittam, *Cyrtiani*, & *Duliani* dicentes Filium Seruum Patris, de quibus Baro. an.360. At quomodo nuncupatus est ille Aetius acutus sophista ex Aurifice Episcopus Antioch. cognomento Atheus, ita planè hęc omnem hæreticum decet nomenclatura; nam & sequens ita dictus est à D.Hiero. epi.61.

Eunomius.

POntifice Liberio circa 360. in Galatia natus, in Cappadocia nutritus Arij discipulus, corpore etiam leprosus. Aiebat Filium Dei æquiuocè appellari, quomodo homo pictus dicitur homo. Addebat, Deum nil plus scire de sua substantia, quam nos ipsi, vt refert Socrat. l.4.histo. &, vt scribit Epiphan. rebaptizabat omnes, seù ab Arianis, seù à Catholicis baptizatos. Ad an.361. apud Baron. recensetur *Eustathius*, seù *Eutactus*, ex Monacho Episco. Sebastæ in Armenia, damnans vestes Episcopales, & fœminarum vestes muliebres, adeoque volens cunctos amictu eodem incedere. Damnabat item omnia ecclesiastica ieiunia, asserens esse ieiunandum solis Dominicis diebus. Circa id tempus inter Ariana monstra locus est, ponendi *Metangismonitas*, ita dictos quasi *Inuasantes*; quippè dicebant, Filium esse in Patre, vt vas minus in vase maiore.

Messaliani.

EOdem Pontifice, & tempore. Dicti etiam *Euchitæ*, seù *Orantes*, itemque *Psalliani*, necnon *Enthusiastæ*, quasi Deo afflati. Sese appellabant *Spirituales*. Sacramenta omnia inutilia, etiam Baptismum asserebant, aientes solam orationem sufficere ad salutem. Dicti sunt pręterea *Proclianitæ*; eorumque duces fuere, *Dadoes*, *Sabas*, *Adelphius*, & alij, de quibus histor. tripar. lib. 7.cap.11. Euchitarum videntur soboles *Pattalorynchitæ*, quod idem sonat, quasi palum naso applicantes, quippe superstitiosè silentium seruantes, incedebant manu sic ori applicita, vt digitum naso apponerent, veluti palum nari addentes, vt custodiã labiorũ.De his Aug.& Philas

Aerius.

Aerius.

Odem Pontifice & tempore. Fuerat cum Eustatio Monachus, vterq; Armenus, vterq; hæreticus; sed Eustatius solo motiuo vanitatis profe-is, vt habet Socrat. l.2.cap.45.Sanctos nec adorandos, nec orandos; ad esse templa, ideoque diruenda; Spiritum Sanctum, nec Deum esse, nec aturam. At Aerius inuidens Eustatio facto Sebastensi Episcopo, licèt hoc factus Presbyter, tamen socij prelationem ægrè ferens, cœpit dice-, Presbyterum Episcopo nil minorem esse, aliosque errores effutire.

Luciferiani.

Odem Pontifice, & tempore. Occasio fuit fraus Arianorum in Congregatione Ariminense; in quos adeo feruenter excanduit Lucifer laritanus in Sardinia Episcopus, vt extra metas abierit; dixit enim, non : ab Ecclesia recipiendos in Præsules eos Episcopos, qui ex Arianismo issent ad rectam Fidem, etiam sub pœnitentiæ satisfactione; idque mor-:us sustinebat contra decretum Concilij Alexandrini habiti à D.Athasio præsentibus Liberij Papæ legatis, ipso nempè Lucifero, & Eusebio is. Vercellense. Cum enim esset eligendus Antiochiæ Episcopus, suffra-batur Lucifer Paulino spectatæ Fidei, & probitatis viro; at Eusebius lectio nuper conuerso de Arianis; quod vbi cæteros obtinet approbato-, prorumpit Lucifer in iram, & errorem; ex quo dicti Luciferiani, in os D.Hieronymus Dialogum scripsit. Ibi laudat quidem Luciferum, ans Beatum, & dumtaxat excessum zeli arguens; sicque fuerit, *bonus dem ipse Pastor, sed multam prædam bestijs relinquens*; at ab Aug. in hæicis recensetur.

Agnoitæ.

Ontifice Damaso circa 370. Author *Teophronius* Cappadox Eunomij sectator. Aiebat Deum in scientia mutabilem, nec semper æquè sci-Ad hęc tempora referuntur; *Paterniani*, dicentes, à Diabolo factas tes corporis inferiores, vt tradit Aug. hęr.85. videlicet, vt omnis libido ret; proinde etiam appellati *Venustiani*. *Patriciani* etiam aiebant, carn à diabolo esse; quare & aliqui se occidebant, vt carne carerent, teste g. hęr.61. Patricianorum discipuli à Philiastro relati *Symmachiani. Rheus* omnes laudabat hereses, & bene sentientes, ac rectè incedere assere-; de quo Aug. hęr.72. *Bonosus* Episcopus aiebat, Christum Dei Filium ptiuum; de quo Innocent. Primus in epis. ad Martian.

Apollinaris.

Odem Pontifice & tempore, damnatus à Damaso in Synodo Rom. anno 373. Laodicenus fuit Episcopus, eumq; Antiochiæ audiuit D. ronymus, postea vt hæreticum reijciens epis. 78. Filium habuit item *ollinarium*, itemque hæreticum. Aiebat, Spiritum Sanctum magnum, um maiorem, Patrem maximum. Verbum assumpsisse carnem sine ma, conuictus autem eo se recepit, vt diceret, assumpsisse quidem ani-

N mam,

mam, sed sine mente, atq; adeo munus mentis Diuinitatē præstitisse, vt refert Aug. hær. 55. quā hæresim secutus est quidam *Timotheus*. Circa id tēpus ponuntur *Seleucus*, & *Hermas* Galathę, asserentes materiam Deo coęternam, & improductam; Baptismum igne peragendum; & alia; de quibus Aug. hær. 59. Fuere etiam *Collyridiani*, Deiparam adorantes vt Deum, eidem sacrificantes collyridam, idest placentam: de quibus Epiphan. hær. 78. emersit autem hic error in Arabia. Item *Agapetani* post Priscillianum reponendi, de quorum origine D. Hiero. ad Ctesiphon. adu. Pelag. ait; *In Hispania Agage Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foueam; præcessoremque suum Priscillianum habuit.* Habitabant vir, & mulier absque matrimonio sub specie spiritualis fraternitatis, at opere impudico. Hinc Hiero. epi. 22. ad Eusto. in huiusmodi inuehitur acriter.

Mecedonius.

EOdem Pontifice an. 381. damnatus in Concil. Gen. Constantinop. Iam viginti annis ante per Arianos adeptus Episcopatum eius vrbis, depulso Catholico Paulo, orsus est hanc hæresim, quæ appellata est *Semiariana*; videlicet, Filium Dei esse quidem Patri consubstantialem, at non Spiritum Sanctum, vtpote iste sit Filij seruus, non secus ac Angeli. Huius sectarij dicti sunt Pneumatomachi, idest Spiritus hostes.

Priscillianus.

EOdem Pontifice, & tempore. Abilæ in Hispania natus, diues, magiæ addictus, ab Agape, & Helpidio præfatis Gnostici Marci Aegyptij Discipulis malè instructus, vt quidam aiunt, sed iuxta D. Hiero. præcessor Agapis; per hæreticos in Conciliabulo Cæsaraugustano factus Abilæ Pseudoepiscopus, *ex omnium hæreticorum sentina hæreses hausit*: inquit D. Aug. hær. 70. Cum Origene dixit, animas ante ad corpus vnionem peccasse. Cum Encratitis, carnis esum esse immundum. Cum Gnosticis, & Manichæis, duos esse Deos, bonum non creatorem, & malum, à quo res creatæ. Cum Sabellio, vnicam in Diuinis personam. Cum Bardesane, hominem fato stellarum subesse. Suæ sectæ illud erat primum mandatum; *Iura, periura, secretum prodere noli*, quod deinde alij eiusmodi vsurparunt.

Heluidius.

EOdem Pontifice, & tempore. Discipulus Auxentij Mediolanens. Episcopi anno 382. Romę cœpit negare perpetuam Mariæ virginitatem, dicens, eam post Christi ortum genuisse ex Iosepho illos, qui in Euangelio Fratres Christi appellantur. Addidit etiam, paris esse meriti matrimonium, ac sit virginitas. Eum Romæ confutauit, edito libro D. Hiero. Heluidiani dicti sunt *Antimarita*, seù *Antidicomariani*.

Iouinianus.

EOdem Pontifice, & tempore. Nobilis Romanus, quem D. Hiero. dixit *Epicurum Christianorum*, primò Mediolani Monachus D. Basilij, opera D. Ambrosij, qui non nouerat, cum nebulonem è monasterio olim rapuisse,

isse, Annam, Saram, Susannam moniales. Excucullatus asseruit: quo-is cibos semper licere; Beatos omnes pares in merito, & præmio; pecca-omnia paria esse; Gratiam semel acceptam non posse amitti; nec Iustos a tentatione superari posse; ieiunium nullius esse meriti; virginitatem on esse maioris, ac nuptiæ. Confutauit eum eruditissimè D. Hieronymus, i pulchrè cōcludit apostrophe; *Ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphe-iam, Christi confessione delesti. Vrbs potens, Vrbs Orbis Domina; interpre-re vocabulum tuum. Roma; aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut su-imitatis iuxta Hebræos. Serua quod diceris, virtus te excelsam faciat, non oluptas humilem. Caue* Iouiniani *nomen, quod de* Idolo *deriuatum est.* In almatiæ insula relegatus inter epulas mortuus est.

HÆRESES SÆCVLI QVINTI.

NEmo non obtupescet portenta malitiæ ab hæretico ingenio fœta. Nec aliud admirationem temperare poterit, nisi cogitare; perditos omines id optasse, quod ille Ephesi indignus memoria nominis, quem fert D.Hiero. in Heluidium. Videlicet, Dianæ templo ignem iniecit, tque clamare cœpit, se fuisse facinoris authorem; sciscitantibus autem phesi principibus, quam ob causam id patrasset, respondit; *Vt qui benè on poteram, malè omnibus innotescerem.* Sed idem hic præcessorum ta-es est, & sequentium. En statim.

Vigilantius.

POntifice Innocentio circa 405. Dicendus planè *Dormitantius*, vt in eum ludit D.Hiero. Fuit natione Gallus; Archipresbyter Burcilo-ensis in Hispania. Ierosolyma redux in Galliam, cœpit docere; non esse onorandas Martyrum reliquias; eleemosynas Ierosolymam non esse mit-endas; nil esse cælibatum, paupertatis professionem, Monasticam vitam. cripsit in eum D.Hieronymus. Per id tempus fuere; *Ioannes* Episc. Iero-ol. Origenista, in quem scribit idem Hiero. *Fortunatus, Faustus, Secundi-nus*, Manichæi; in quos agit D.Aug. Item *Felix* Manichæus ab eodem ug. disputatione fæliciter victus, & conuersus ad Fidem. *Petilianus* quo-ue Donatista, qui laudabat occidentes se ipsos in delictorum vltionem. nde *Donatistæ Circumcelliones*, alias dicti *Circuitores*, qui sese aquis, præ-ipitio, ignibus perimebant; hoc genus sui homicidij appellantes Mar-yrium. Alia quoque fuere Donatistarum genera, *Assurani, Montenses, Parmenianistæ, Rogatiani*. Ad an.412. Baron. agit de *Rufino* Presbytero quileiense, in quem scripsit per Apologiam D.Hiero. obseruatio autem nnalistæ est, fuisse Ruffinum Pelagij præcursorem.

Pelagius.

EOdem Pontifice an. 413. apparuit manifestè hæreticus. Natus in Scotia, inde in Africam profectus, & in Aegypto factus Monachus asilianus, iam senex, sed voluptuarius, hæresim adinuenit contra diui-

nam Gratiam; adhibitis Socijs, *Iuliano* Episcopo Capuæ, & *Cælestio* monacho sui Ordinis. Aiebat, nos non Dei Gratia, sed nostra virtute naturali iustificari. Adam mortuum non ob culpam, sed conditione naturæ; adeòque fore vt moreretur, etiam si non peccasset. Filios non contrahere originale peccatum, adeòque nec indigere Baptismo. Semel iustum non posse amplius peccare. Ignotum esse Deo numerum prædestinatorum. Contra Pelagianos triplicem agit dialogum D. Hiero. scripsit quoque profundè S. Augustinus. Post. Augustini obitum orti sunt Massiliæ *Semipelagiani* dicentes, Gratiam à Deo dari, non tamen gratis, sed merito boni desiderij à libero arbitrio naturaliter eliciti.

Theodorus Mopsuestenus.

EOdem Pontifice, & tempore. De eo Baron. an. 427. quo mortuus est. Monachismi desertor, & frustra à D. Ioan. Chrysost. inuitatus ea epist. ad *Theodorum lapsum*, factus est Episcopus Mopsuestiæ. Negabat, esse quidpiam in veteri Testamento quod ad Christum spectaret sensu litterali. Asserebat Christum conditorem quidem Vniuersi, sed non esse vnum de Trinitate, ponens proinde Quaternitatem, vt notat Sanderus. Per id tempus fuere; *Maximus* Episc. Arian. Gothorum in Africa militantium, confutatus à D. August. *Abeliani* dicentes, necesse esse in Virginitate permanere, alienosque filios adoptare; de quibus D. Aug. hær. 87. *Diodorus* Tarsensis Episcopus præcursor Nestorij, asserens in Christo duas personas, Diuinam, & humanam, atque istam dici Filium Dei sola dignitate, & honoris æqualitate.

Nestorius.

POntifice Cęlestino an. 431. Damnatus in Concil. Gen. Ephes. Fuit, non ex Germania oriundus, vt ait Ricciol. Sed Germanicia vrbe Syriæ; nepos Pauli Samosateni; Discipulus Theodori Mopsuesteni, & Diodori Tarsensis; factus Episcopus Constantinop. an. 428. biennio bonus, mox blasphemus. Cœpit propugnare errorem Anastasij Presbyteri asserentis, Mariam à nemine vocandam *Theotocos*, idest Deiparam; sed *Christotocos* tantum, vt refert Socrat. l. 7. cap. 32. Secutus est proinde errorem Diodori adstruentis duas in Christo personas; ita quod esset Diuina persona in Christo per inhabitationem, velut in Templo, absque hypostatica vnione. A Theodosio Imp. pulsus in exilium, lingua à verminibus consumpta extinctus est an. 440.

Fuere per id tempus hæretici *Prædestinatiani*, quos recenset Sigebert. ad an. 415. qui ex libris D. August. male intellectis aiebant, nec piè viuentibus prodesse bona opera, si ad mortem prædestinati fuerint; nec impijs obesse peccata, si prædestinati fuerint ad vitam. In hoc errore fuit *Lucidus* Presbyter, quem Faustus reddidit sanæ menti, de quo Baron. an. 490.

Eutyches.

Eutyches.

PONtifice Leone circa 448. Patria Constantinopolit. ibique Monachorum Archimandrita, nempè Abbas. Olim bonus; nam in Concil. Ephesino plurimùm egit damnando Nestorio. Tumens impegit in alterum extremum; & quemadmodum fuit priori Caribdis dualitas personarum in Christo, ita posteriori fuit Scylla vnitas naturæ in Christo. Dixit siquidem, humanitatem esse conuersam in Deitatem; adeòque Deitatem passam. Euthychem suscepit Dioscorus Patriarcha eiusdem Vrbis, obindè pulsus per Concil.Gen.Chalcedon. an. 451. & missus exulatum in Paphlagoniam. Eutychianismus in duodecim Sectas exundauit relatus à Nicepho. l. 18. cap. 45. quarum aliquas Nestorianas reputat Sanderus. Sunt autem, *Aegyptij*, *Armenij*, *Aphtartodocitæ*, *Angelitæ*, *Chrystolitæ*, *Cazizarij*, *Cononitæ*, *Monophysitæ*; *Theopaschitæ*, *Iacobitæ*, *Acephali*, *Schematici*, & alij multi apud Sanderum numerati. De harum aliquibus possumus aliquid addere.

Acephali, id est, absque capite; non quia sine duce, quippè is fuit *Seuerus* Antiochiæ Episcop. Sed quia post huius mortem ab omni se Episcopo subtraxerunt, vt colligitur ex Niceph. cit. *Aegyptij* videntur illi, quorum adhuc in Palestina sunt, & *Cophti* dicuntur. *Armenij* habuere in Armenia ab Eutychianis originem sub Imperat. Phoca, vt refert Nicephorus, adeòque circa 605. Peculiares habuere errores. Aquam vino Sacrificij non miscebant, teste Niceph. Dicebant, Beatos Deum non videre; omnes homines ante passionem Christi damnatos fuisse; non esse Purgatorium; & alia à Sandero notata.

Aphtartodocitæ sunt propago *Iulij Halicarnassei*, de quo infra. *Angelitæ* sic dicti à loco Alexandriæ dicto *Angelio* in quem conuenientes prędicabant vnicam in Diuinis subsistentiam, vt tradit Nicepho. l. 18. cap. 49. *Christolytæ* sic dicti, quasi *Christum dissoluentes*, vt refert Damascen. de hæres. aiebant, Christum, relictis in inferno anima, & corpore, ascendisse in Cœlum sola Diuinitate. *Cazizarij* Armeniorum pars Nestoriana solam Crucem, nec alias Sacras Imagines adorabant. Ieiunium obseruabant dictum Vrtziburzi in memoriam canis à dæmone inhabitati, quo Sergius eorum Author præcursore itineris vtebatur, vt refert Sanderus. *Monophysitæ*, & *Theopaschitæ* infra ponentur. *Iacobitæ* à Iacobo Syro orti, de quibus alias diximus.

Theopaschitæ.

PONtifice Felice Tertio circa 483. Author *Petrus Fullo* cognomine, seu Gnaphæus, Episcop. Antioch. intrusus. Addebat in Trisagio post *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immotalis* hæc incongrua verba, *qui passus es pro nobis*; dicebat enim Diuinitatem Filij passam, alias non posse verificari, quod sit passus Deus. Proindè sectatores dicti *Theoposchitæ*, & damnata est hæresis in Concil. Secundo Constantinop.

Icono-

Iconomachi.

EOdem Pontifice circa 485. Ita dicti, videlicet Sanctarum Imaginum hostes. Author ad prænotatum annum *Xenaias* Persa vilis laicus, qui neque baptizatus, & fingens Clericum, exceptus ab Antiochiæ Pseudo-episcopo præfato Gnaphæo ad Episcopatum vsque Hierapolitanum promotus est. Dicebat porrò Gnaphæus, pro Baptismate esse consecrationem. Iam verò Xenaias cœpit docere, Sanctorum Imagines non esse venerandas. Leo postmodum Isaurius Imperat. an. 726. bellum atrox contra easdem mouit, dictus obinde Iconoclasta, quam impietatem prosecuti sunt Constantinus Copronymus, & Leo Porphyrogenitus.

HÆRESES SÆCVLI SEXTI.

CAtholicis dogmatibus perhibebat Deus testimonium euidentibus prodigijs; & tamen lumini rebelles viam veritatis declinabant hæretici. Hoc loco memorabo, quod refert Nicephorus, & est apud Baron. an. 506. Constantinopoli Demetrius Episcop. Arian. cum vellet baptizare quemdam Barbatem; dum profert Arianam formam; *Baptizetur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto*. statim è Colybetra, id est Sacro Fonte disparuit aqua. Videbant ergo hæretici miracula, nec tamen Deo per ea loquenti credebant. Sed videamus alia sectariorum monstra.

Phantasiastæ.

POntifice Ioanne circa 515. Author *Iulius*, vel *Iulianus* Episcop. Halicarnasseus; asserens, Corpus Christi à principio Incarnationis fuisse impassibile, adeòque nec dolores, nec mærores veros fuisse in Christo, sed solum apparenter, & phantasticè. Dicta obinde hæresis de Impassibilitate; in quam incidit etiam Imperat. Iustinianus, inductus à Theodoro Episcopo Cæsareæ; sed tamen in fine pœnituisse, tradit Nicephorus. Per id tempus fuere. *Seueriani* à Seuero Monacho mago, & Episcopo Antioch. asserente; Christum passum ex naturali conditione corporis, non autem spontanea permissione. *Petrus Apameensis* hostis Sanctarum Imaginum, & tamen venerator Imaginis Dioscori, de quo Baron. ann. 518. *Agnoitæ* recentiores, authore *Themistio* Alaxandrino diacono; qui aiebat absolutè, Christum nescire diem futuri Iudicij.

Tritheitæ.

POntifice Agapito circa 535. Author *Ioannes Grammaticus* Alexandrinus cognomento *Philoponus*. Negauit resurrectionem in ijsdem corporibus; asseruit, duas naturas Christi factas vnam naturam; dixit tres in Deo personas esse tres Deos; proindè asseclæ appellati *Tritheitæ*, vt refert Niceph. l. 18. cap. 48. Baron. ad ipsum an. 535. habet de *Iacobo* Syro authore Iacobitarum, itemque Armeniorum, quæ Sectæ conflatæ sunt ex erroribus iam tum in Oriente grassantibus, maximè Euthychetis.

Mono-

Monothelitæ.

Pontifice Vigilio circa 540. Author primus *Eutyches*: primò dicti *Monophysitæ*, ideſt vnam in Christo naturam adſtruentes. At quidam poſtmodum concedentes duas diſtinctas naturas, ponebant tamen vnicam in Christo voluntatem, ac operationem, appellati idcirco *Monothelitæ*; namque *monos* vnum; & *thelos* voluntatem ſignificant. Magiſtri erroris noui fuere; *Sergius* Epiſcop. Conſtantinop. *Cyrus* Epiſcop. Alexand. & *Pyrrhus* Sergij ſucceſſor, qui ſpectant ad ſequens Sæculum.

HÆRESES SÆCVLI SEPTIMI.

Pauciores adinuenit Sectas hoc ſeptimum centenarium; ſatis enim Orco fuit aliquas è prænumeratis fouere, & Pſeudoprophetam Mahometum veluti vnum pro mille proferre. Fuerunt itaque.

Gnoſimachi.

Pontifice Gregorio circa an. 600. Ita appellati, quaſi ſcientiarum inimici; damnabant videlicet ſcientiam omnem, ac eruditionem, ſub ſpecie exaggerandi ſtudium bonorum operum. Circa id tempus à Sancto ponuntur *Heicetæ*, aſſerentes, Deum à viris laudandum cum tripudijs in fœminarum cœtu, vt refert Damaſce. cap. 87. Item *Thnetopſychitæ*, dicentes, hominum animas inſtar pecudum interire cum corporibus, teſte eodem Damaſce. cap. 90. Item *Theocatagnoſtæ*, reprehendentes quædam in Deo, vt idem tradit Damaſ. cap. 92.

Quoad Monothelitas. Eam hæreſim promouit *Sergius* Epiſcop. Conſtantinop. an. *629*. *Cyrus* Epiſc. Alexand. an. *633*. *Pyrrhus* Epiſc. Conſtantin. relapſus an. *648*. *Macarius* Epiſc. Antioch. an. *677*. vt habet Baron. *Theodorus* Epiſc. Conſtantinop. an. *678*.

Mahometes.

Pontifice Bonifacio Quinto; an. *621*. cæpit agere Pſeudoprophetam; de quo aliàs dictum eſt. Non fuit quidem hæreticus, quia nec baptizatus; attamen in hac ſerie ponendus, quia ex hæreticis compinxit Alcoranum. Præfatus ſum, meo indicio hunc fuiſſe Antichriſtum; & planè fatetur Gabriel Prateolus, nullum fuiſſe hucuſque, cui magis quadret Antichriſti character; cæterum idipſum repeto meliori ſalua ſententia.

Circa *650*. ponuntur *Lamperiani*, qui teſte Damaſceno vota omnia damnabant; aiebantque, permittendum Religioſis, vti quacumque veſte, ſi placeret, etiam intra idem cœnobium à cæteris alumnis diuerſa. Ad an. *699*. refert Baron. *Maronitarum* olim hæreticorum authorem *Maronem*, è grege Monothelitarum. Circa id tempus apud Sanderum ſunt *Agonychitæ*, numquam in oratione genuflectentes, ſemper ſtantes, de quibus Damaſce. hær. *91*.

HAERE-

HÆRESES SÆCVLI OCTAVI.

QVoties, quotque modis hucusque occiderit Oriens, lacrymantes Ecclesiæ piæ matris oculi viderant: Vltimus adhuc supererat conatus, in hoc per feritates Iconoclastarum Cæsarum,& in sequenti Sæculo per Photij Schisma consummandus. Vltra prædictorum persecutiones in Oriente, emerserunt hæretici in Europa Occidentali, pauci,& instabiles.

Adelbertus.

POntifice Zacharia an. 745. vt habet Baron. Fuit natione Gallus; Hypocrita famosus, aiebat; se nosse peccata pœnitentium ad se accedentium, adeòque tales non indigere Confessionis. Detestabatur prætcrea peregrinationes ad Sacra limina Apostolorum. Ad ipsum annum ponitur à Baron. *Clemens* natione Scotus contemptor Sanctorum Patrum, ac Sacrorum Canonum. Aiebat, posse Christianum ducere vxorem eam viduam, quæ fuerat vxor fratris defuncti, vt olim hebræis Deus ordinauerat. Hic, & præcedens, damnati sunt à Papa Zacharia. Circa id tempus à Sandero ponuntur *Paulitiani*, sic appellati ab Authoribus *Paulo*, & *Ioanne*; qui se appellabant Christianos, at nos vocabant Romanos. Crucem non adorabant. Aiebant, esse dandum Baptismum hac forma, *Ego sum aqua viua*; & hanc esse formam consecrationis *Accipite, & manducate, & bibite*. Ad an. 794. habet Baron.de *Felice* Episco.Vrgelitano, & *Elipando* Archiep. Toletano, qui Nestorianismum in Hispania suscitarunt.

Sanderus hær. 133. notat *Bertramum*, qui scripserit librum de Eucharistia damnatum in Synodo Vercellense; atque hær. 136. recenset *Ioannem Scotum* eadem de causa ob librum præfatum. Vt id benè percipias, aduerte; istum Ioannem Scotum fuisse Monachum, alias dictum *Aerigenam*, de quo Baron. ad an. 878. num. 62. & ann. 883. quo graphijs confossus est à Discipulis in Monasterio Malmesberiensi; adeòque, & honoratur vt Martyr, inquit Ferchius apol. 3. Qua in re crassè deceptus est Volaterranus l. 21. antropol. confundens hunc Aerigenam cum nostro Ioanne Scoto Doctore Subtili, & huic tribuens genus mortis illius. Cæterum quoad librum Aerigenæ damnatum in Concilio Vercell.an.1050.adnotat L. Bail ad eum locum, & in append. ad Concil. Parisien. an. 1053. non constare, cuius sit, num Bertrami, an vero Ioannis Aerigenæ; & addit damnatum librum potius ob incongruum scribendi modum, quam quod definitè sint deprehensi errores. Quapropter nec Bertramus, nec Ioannes Scotus Aerigena erant à Sandero absque cautione admiscendi inter hareticos. Hæc præmaturè discussimus, cum attineant ad sequens Sæculum, at ideò præcucurrit calamus, quia statim post Paulitianos apud Sander. est Bertramus, isque aduocauit causam Aerigenæ.

HAERE-

HÆRESES SÆCVLI NONI.

TEnebrosus ille turbo flans de lateribus Aquilonis, quasi pestilentiores halitus seruaret ab Aquilone per Lutherum soluendos, iam videbatur, veluti exhaustis spiritibus, per hæc tempora pęnè silere. Malacia erat, otius præteritæ, quam præsentis procellæ; nec tamen vacauit etiam hoc æculum ab erroribus: fuere quippè.

Albanenses.

POntifice Leone tertio circa an. 800. Quædam Secta innominati authoris compacta è fæcibus præcedentium hæresum. Aiebant, duos esse Deos; animas non creari à Deo, sed migrare de corpore in corpus; Christum habuisse carnem Cœlestem, & impassibilem; vsuram licitam esse; & alia apud Prateol. Suspicor, *Albigenses* non esse diuersos ab *Albanensibus*, & nomen obuenisse simile ob identitatem originis: quæ fortassis in hoc Seculo cœpit, deinde post tertium Sæculum immaniter eruptura, alijs etiam blasphemijs aucta. De Manichæismo enim habent, seu Albanenses, seu Albiginenses, de quibus infra.

Claudius Taurinensis.

POntifice Eugenio Secundo an. 825. eius Vrbis Episcopus, discipulus Felicis Vrgelitani; nedum Nestorianus, sed Iconomacus, immo Agiomacus, id est, Sanctorum hostis; damnans inuocationem Diuorum, & reliquiarum venerationem, adorationem Crucis, & peregrinationem ad limina Apostolorum. Patria fuit Anglus, eumque Prateolus facit multo posteriorem, videlicet, ad an. 1350. at Baronius de eo loco citato; & quidem fortè Prateolus pari errore anteuertit Albanenses tandiù post recensendos, quippè qui sint ipsi Albigenses.

Godescalcus.

POntifice Leone Quarto an. 848. damnatus in Synodo Maguntina. Quidam aiunt ortum in Gallia, alij Belgam asserunt. Dixit; Deum non velle omnes homines saluos fieri; Christumque mortuum non pro omnibus, sed solum pro prædestinatis.

Photius,

POntifice Nicolao an. 867. quo iam intrusus nefariè in Sedé Constantinopolitanam, ausus est sollicitare Michaelem Orientis, & Ludouicum Occidentis Imperatores, vt Pontificatu deijceretur Nicolaus; obtendens nunquam crimina, quod Clericis interdiceret coniugium, & doceret processionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio. Hinc Schisma hoc Græcanismum, & hæresis contra Spiritum Sanctum.

SÆCVLVM DECIMVM.

PRæ omnibus iam dictis nouitatibus hæresum, admiranda hæc nouitas; aduenisse vnum Sæculum, nec absque grandi Mysterio denarij numeri.

meri, quando non sit præfigendus titulus *Hæreses sçculi decimi*; sed ab anno circiter 870. adusq; annum salutis millesimum steterit prauitas infœcunda noui monstri. Non est in cunctis historiæ monumentis, quod stuporem huic parem immittat. Enim verò per hos centum triginta annos non decerant in Mundo immundi homines; iam caligauerat Oriens, at inmotus in Photij errore, vt illi Aegyptij olim in triduanis tenebris immobiles. In Occidente est incredibile dictu, si omni labe detersus fuerit. Cæterum nullo vnquam Ecclesiæ Sæculo tanta perditis ingenijs occasio, quanta hoc Sæculo decimo; quando Romæ tot emersere in Ecclesiasticis, etiam ipsis Pastoribus, enormia scandala, vt horror sit reminisci, quæ apud historicos describuntur.

Et tamen in tam miserando rerum statu Misericors Deus non dormitauit custodiens Israel, nec permisit vel vnicam vulpeculam enasci in vinea sua; nullus fuit, qui hæresim moliretur; nemo tot Principium, qui Romano Pontifici, quandoque pessimè viso, detrectaret Obedientiam. Qua in re duo mihi se se offerunt; mysticum alterum in numero denario præfigurans, fore denique in Sæculorum consummatione totam vbique pacatam Ecclesiam; aliud litterale, voluisse Sapientissimum Deum obstruere os loquentium iniqua. Futurum erat, vt nonnemo mussitaret, hæreses ortum habere de praua vita, & fœtentibus Scandalis Ecclesiasticorum Prælatorum; quod quam falsum sit, hoc experimento deterrimi Sæculi decimi patuit. Hæresis est virus adeò voluntarium, vt non sit refundendum in aliud principium præter scelestam hæretici voluntatem. Quapropter scitè, & ritè Hieronymus inquit; *Nullus est impius, quem hæreticus impietate non vincat*.

HÆRESES SÆCVLI VNDECIMI.

ERat ergo Petri nauicula nouos non sentiens impetus, ne si intus, & extra commoueretur, pateret naufragio. Sed tamen ipso in limine vndecimi Sæculi quamquam tenues, pertimescendos tamen passa est fluctus. Prodiere quippè hi noui errones.

Lutardus.

POntifice Siluestro Secundo circa an. 1000. Cœpit in Gallia insanire aduersus Crucem, & contra decimas. Eo tempore *Vilgardus* Grammaticus à Dæmonibus illusus, ei apparentibus sub forma Virgilij, Horatij, & Iuuenals, cœpit dicere, credendum esse Poetis. Circa 1017. *Heribertus*, & *Liscius* Manichæismum in Gallia, & Hispania suscitarunt.

Berengarius.

POntifice Benedicto Nono an. 1035. apertè cœpit dicere, Christum in Eucharistia esse tantum figuratè, non realiter. Coactus est abiurare, vt habetur de conse. dist. 2. cap. *Ego Berengarius*; at iterum prolapsus addidit, Christum non esse ingressum ad Discipulos ianuis clausis. Denuo obinde compulsus abiurauit. Obijt anno 1088. propè nonagenarius; incertum,

certum, an verè pœnitens. Fuit autem Turonensis, postmodum Archidiaconus Andegauensis. Circa an. 1054, dum Simonia maximè grassaretur, oborta est hæresis *Reordinantium*, qui asserebant, ordinatos à Simoniacis esse reordinandos. Fuere quoque hæreses *Vrecelinorum*, & *Rossessini*, de quibus Baron. an. 1085. & 1094.

Michael Cerularius.

POntifice Leone, nono circa 1050. Patriarcha Constantinopol. addens erroribus Photij, esse illicitum celebrare in azymo. Adhæsere Cerulario *Leo* Bulgarus Episco. Acridæ, & *Nicetas Pistoriates*; diffususque est error in cæteros Græcos.

HÆRESES SÆCVLI DVODECIMI.

ITerum aperta per paucos nouatores rima perfidiæ cœpit dilatari, atque profusiùs emittere blasphemiarum riuos. En pluta in dies monstra.

Bogomili.

POntifice Paschale Secundo circa 1110. Author quidam *Basilius*, ab Alexio Imperat. Orient. Comneno flammis adiudicatus, teste Zonara. Errores recensentur à Sandero; inter quos, non esse Trinitatem; Mundum à dæmonibus creatum; Archangelum Michaelem esse Incarnatum; Crucem odio habendam; & alia. Addebant Bogomili, dæmones fictè fugere Crucem, vt ea magis honoretur, cupientes. Circa 1117. ponitur *Durandus de Valdach*, aiens, Matrimonium esse occultam fornicationem; obinde igni traditus, vt refert Prateolus.

Marsilius Paduanus.

POntifice Callixto Secundo circa 1120. Asseruit, post Christi in Cœlos Ascensionem non fuisse vllum in terra Vicarium Christi; Pontificem iudicari posse ab Imperatore; immo Imperatorem Sede vacante succedere Pontifici; Ecclesiasticis nulla bona temporalia licere.

Tanchelinus.

POntifice Honorio Secundo circa 1126. Alias *Tandemus* Antuerpiensis laicus. Asseruit, nil esse ministerium Episcoporum, & Sacerdorum; nil prodesse saluti Eucharistiam; adulteria, & stupra publica esse licita. Repressus est à S. Norberto.

Petrobrussiani.

POdem Pontifice circa 1128. Author *Petrus de Bruys*, quem aliqui Narbonensem, alij Arelatensem faciunt, Boyuinus Antuerpiensem. Asseruit, paruulos ante vsum rationis non baptizandos; Eucharistiam non habere Corpus Christi; Crucem abijciendam. Pertinax est viuus exustus. Eius fuit commilito *Henricus Tholosanus* ex Monacho factus apostata, in quem scribit D.Bern. epi.240. Ponunt in Catalogo hæreticorum *Petrum Abailardum*; at lateraliter dumtaxat scribi debet; siquidem pœnituit. Fuit Pontifice Innocentio Secundo circa 1140. Narbonensis, tota

Gallia sparsit errores haustos è lacunis, Arij, Nestorij, Pelagij. Aiebat inter alia, solum Patrem potentem, solum Filium sapientem, solum Spiritum Sanctum benignum. A Diuo Bernardo victus coram Episcopo Senonense, & Ludouico Rege, factus est Monachus Cluniacensis, & catholicè obijt. Circa id tempus ponit Sanderus hær.145. quemdam planè hæreticum *Eudonem*, Ecclesijs, & Monasterijs infestum, qui aiebat, se illum esse, qui venturus est iudicare sęculum per ignem. Discipulos nominauit, Scientiam, Sapientiam, Iudicium. Ardere maluit, quam ab insania reuocari.

Arnoldus de Brixia.

EOdem Pontifice, & tempore; de quo D.Bernar. ait epist. ad Guid. *cuius conuersatio mel, & doctrina venenum*. Discipulus Abailardi; pertinax igni traditus an.1155. Excommunicantur Arnaldistæ in Bulla Cœnæ Iulij Secundi cum Gazaris, Patarenis, Valdensibus, Speronistis, Passagenis, Fraticellis. Aiebat autem cũ Abailardo Arnaldus, Deum non videri in Essentia, sed quamdam claritatem Essentiæ conspici; Deum non agere liberè; non esse authorem omnium bonorum; aliquid præter Deum esse Aeternum; dari aliquid, quod nec sit Deus, nec creatura. Pręsertim clamabat Arnaldus, nefas esse, vt temporalia per Sacerdotes, & Pontifices administrentur. Inde in Vrbe seditio, & Principi negata subiectio, quæ turbatio per quinquaginta annos æstuauit.

Delendus è serie hæreticorum *Gilbertus Porretanus*, vt monet Castro l.1. cap.9. Fuit Pontifice Eugenio Tertio circa 1147. Pictonum Episcopus; doctus Metaphysicus, Author libri sex principiorum, seù de sex vltimis prædicamentis. Aiebat, Diuinas personalitates esse res realiter distinctas ab Essentia, eique assistentes, adeoque ponebat in Deo quaternitatem. Papa Eugenius in Concilio Rhemensi eum damnauit; atqui coouictus biduana disputatione D.Bernardi, se retractauit, quare & redijt ad suam Pictauiensem Ecclesiam; ideo neque adcensendus est hæreticus, quod nimia licentia agit Bern. de Lucemb. repræhensus ab Alphon. de Castro. In eodem Concilio damnati sunt *Pseudoapostolici* quidam, de quibus Sander. hær. 144. Circa id tempus ponit hęr.148. *Correrios*, *& Cotercellos* dicentes, B.Virginem fuisse Angelum; & corpus Christi, nec surrexisse, nec vnquam surrecturum. Item ponit hæreticos de *Barulo*, aientes fuisse creatas animas ante Mundum, & tunc peccasse.

Patareni.

POntifice Alexãdro Tertio circa 1160. Hos Gualterus ait coaluisse ex hęresibus Marsilij, & Arnaldi præfatorum. Sanderus appellat Catharos hær.147. & Alphonsus à Castro ver. *Cibus* vocat *Catharistas*; & addit, Manichæos, olim in tres classes distinctos: *Manichæos* simplices, *Macarios*, & *Catharistas*, idest purificatores; atq; hos extinctos diu, iterato emersisse in Alemãnia sub Imp. Friderico Barbarossa. Sentiebant ergo errores Manichæi; vt etiam puto fęcem Manichæorum fuisse, Gazaros, Speronistas, Passagenos.

Valden-

Valdenses.

EOdem Pontifice circa 1170. Nuncupati etiam *Pauperes de Lugduno*. Author *Vualdo Lugdunensis*, à quo Vualdone traxere nomen. Hic amplo patrimonio in pauperes distributo orsus est, veluti ordinem Religiosum, sed obseruationibus quibusdam ineptis; quare Pontifex noluit eius vitæ institutum approbare, vt refert Sanderus ex Abbate Vrspergense. Inde Cacozelus, & rebellio contra Ecclesiam; negare omnes sacras cæremonias, obedientiam Prælatis Ecclesiæ, Confessionem auricularem, & penè quidquid sacri est in Christianis. Libidines admittebant; & Sacerdotes esse pauperes, deque solis viuere eleemosynis, prætendebant. Contra hos hypocritas, & rebelles Pseudoreligiosos, fuisse à Deo prouisum, & ab Ecclesia confirmatum Ordinem Fratrum Minorum Catholicè profitentium paupertatem, asserit Vrspergensis eius æui Scriptor.

Albigenses.

EOdem Pontifice anno 1176. orti à quodam *Oliuario* in Ducatu Galliæ Tholosano Albiensi, ex quo ipsis nomen. Ijdem aliàs *Albanenses*, nisi fortè prius enata secta extincta, nunc renata sit. Fęx Manichæismi erant; quare & duos Deos ponebant, bonum, ac malum, videlicet Diabolum; hunc corporum, illum animę creatorem asserentes. Cum Sadducæis negabant animæ immortalitatem, adeoque gloriam, & pœnam alterius vitæ. Cum Pythagoreis dabant animæ transmigrationem: Eucharistiam negabant: immo & Baptismum, vt superfluum abijciebant. Contra has pestes prouidit Deus Sanctum P. Dominicum. Adeo excreuerant, vt breui infecerint mille propemodum Ciuitates; videreturque tota Europa fœdanda, ni armis occurreretur.

Prædicatione Iacobi de Vitriaco armati Cruce signati iniere prælium, & hæreticorum concidere septuaginta millia cum auxiliario Petro Tarraconensium Rege. Deinde Catholicus heros Simon Comes Montis fortis cum solis octo millibus interfecit centena millia, qui auxilio vocauerant ex Africa Maroci Regem Memelinum. Is in Hispaniam traijciens, cladem toti Europę minabatur, iactans, fore eius vexillum in fastigio Templi S. Petri in Vaticano. Ita planè, sed contra votum euenit; nam eius exercitu à Catholicis profligato, ipse in Sicilia mœrore extinctus est, eiusque vexillum bello captum, & Innocentio Tertio transmissum appensum est in Vaticano. Innocentio Vndecimo idem obuenit, quando iam paucis retro annis Turca infensissimus confidens Viennam occupare iactabat: Mahometicum vexillum fore in Vaticano, & quidem profligato barbaro, in spolijs fuit vexillum ipsum, quod Deo oblatum pendet in Vaticano.

Abbas Ioachim.

POntificè Clemente Tertio circa 1190. Calaber Abb. Cister. creditus à quibusdam Propheta, alijs putatur illusus à Dæmone. Dixit Rogerio Siciliæ Regi, Saladinum superandum, & Ierosolymam recuperandam, euentu

euentu fallente prædictionem. Eius sententia damnatur ab Innocentio Tertio, vt habetur *de su. Tri.* ponebat quippè tres personas in Deo, vt tres homines numerata natura; vocabatque hæreticum Magistrum sententiarum, quod dixisset, Essentiam Diuinam, nec generare, nec generari.

HÆRESES SÆCVLI TERTIIDECIMI.

PAribus quodammodo passibus processit hoc sæculum post præcedens. At multiplicato Ecclesiæ præsidio in Sanctis Ordinibus Dominici, ac Francisci. Hoc loco mihi incumbit notare Prateolum, qui inter hæreticos ad an.1192.sub Celestino Tertio ponit quemdam *Petrum Ioannis* Minoritam tamquam discipulum Ioachini Abbatis, & asseclam errorum. Omninò mendum est, quippe ordo Minorum cœpit sub Innocentio Tertio ad an. 1208. Quod si de Petro Ioannis Oliui intenderit, Vuadingus ad 1278.& ad 1297. prçclarè eximit hunc à calumnia hæreseos itemque Bayl. tom. 1. ad Concil.Viennen. secundum. In hoc ergo sæculo fuere.

Almaricus,

POntifice Innocentio Tertio circa 1204.Carnotensis patria, Doctor Parisiensis. Aiebat, peccatum mortale, si in Charitate fiat, non esse peccatum; Deum non videri in se, sed in creatura, vt lumen in aere; Adam, & Euam in statu innocentiæ non habuisse differentiam sexuum. Addebat aliàs fatuitates iste çquiuocus Doctor, vt merito in eius damnatione dixerit Concil. Later. *eius Doctrina, non tam hçretica, quam insana est censenda.* Eius discipulus *Dauid Diantius* addebat & hoc,Deum esse materiam primã.

Guillelmus de S.Amore.

POntifice Innocentio Quarto circa 1251. Natione Burgundus, professione Theologus, sed Regularium,maximè verò Mendicantium hostis. Aiebat esse peccatum viuere de Eleemosyna; & Religiosos teneri acquirere victum de labore manuum; neque esse licitam paupertatem voluntariam,& possessionis omnis abdicationem. Hunc confutauit D.Bonauentura; sicut & D.Thomas *Desiderium Longobardum* Guillelmo adhærentem.

Sanderus hçr.157. recenset *Raymundum Lullium*, estque idem Raymundus de Tartagna an.1311. damnatus; qui libellum scripsit de inuocatione dçmonum magiæ plenum; oppugnauit etiam Sanctæ Trinitatis vnicam Essentiam, & Personarum æqualitatem. Profectò non est silentio dimittenda ingens çquiuocatio de Raymundo Lullio, & Raymundo Lullo. Fuit Raymundus Lullus post an.1300. Tertij Ordinis S.Francisci,Zelantissimus Catholicæ Fidei, pro qua lapidatus à Sarracenis occubuit Bugiæ in Africa. Abraham Bzouius, quia scripsit Raymundum Lullium circa 1260. aperuisse Scholam erroribus, fuisseque perditæ memoriæ hominem; Hugo Cauellus nil distinguens Lullum à Lullio, excandescens digladiatur apologeticè in Bzouium; sed immeritò. Nam etiamsi hic aliàs parum fraternè, & minus fideliter quædam prodiderit de Franciscanis, hac tamen vi-

ce mihi videtur prorsus innocuus; quippè dum notat sæcularem hominem, & multis annis nostro Tertiario anteriorem, suffecisset Cauello præcauere æquiuocationi, ne *Lullus*, & *Lullius* idem putentur. Nec verò id semel contigit; nam Eusebius Marcellinum, & Marcellum pro vno Pontifice sumpsit, similitudine vocis deceptus, vt refert Baron. an. 296. Corrigendi sunt ergo; qui inter hæreticos adcensent Lullum, vt scribant Lullium; neq; opus erit hunc excusare: nec vltra hærebit anceps Bellarminus l. de script.

Flagellantes.

POntifice Gregorio Decimo circa 1273. Hypochritæ Valdensium lepra infecti; orti ex Ethruria per Sacerdotem impostorem; dilatati in Germania, & Gallia, demum ferro tollendi. Incedebant albis induti talaribus cum caputijs; seque per vias flagellabant, clamantes *Pax*, *& Misericordia*, cantantesque hymnum, *Stabat Mater dolorosa*. Flagellationem istam appellabant martyrium, & Baptismum sanguinis; aiebantque, desijsse Baptismum aquę.

Fraticelli.

POntifice Nicolao Tertio circa 1278. Aliàs etiam dicti Fratres de paupere vita. Erant, vt ait Aluarus Pelagius l. de planc. Eccl. maiori ex parte, *porcarij, armentarij, cæmentarij, fabriferrarij*, *aut alijs operibus mancipati*. Dicebant se de tertio Ordine S. Francisci, cum ad eum minimè spectarent. Immo per Minoritas profligati sunt, vt clarè demonstrat Vuadingus ad an. 1317. eosque demum abstulit S. Ioannes de Capistrano. Author fuit *Hermannus* Ferrariensis, cuius cadauer ibidem à suis adoratum, combustum est anno 1297. iussu Bonifacij Octaui; & inde in eum Pontificem insurrexere talium pestilentum obloquia. Fallitur itaque Baronij continuator Raymundus Taruisinus, vbi scribit; authores Fraticellorum fuisse duos Minoritas apostatas, Petrum de Macerata, & Petrū de Forosempronij.

Item Eimericus dum ait, Angelum Clarenum fuisse Fraticellorum caput. Decipitur quoque Blondus in Chronol. vbi inquit, Fraticellos fuisse sobolem Antipapæ Corbarij. Demonstrat vtique Vuadingus, vt notat etiam Bellar. authorem extitisse sæcularem præfatum Hermannum; at cupiebat diabolus maculare nomen fratrum Minorum. Errores porrò plurimi erant, inter quos à Christianis non esse Respublicas administrandas.

Gerardus Sagarellus.

POntifice Bonifacio Octauo circa 1296. Patria Parmensis; author nouorum *Pseudoapostolorum*, qui species erant Fraticellorum. Dicebant, se Christo soli esse subiectos; decimas non esse soluendas; matrimonium dissolui posse; omne iuramentum Christianis illicitum; & alia. Igni tandem adiudicatus est. Huic adhæsit *Dulcinus* Nouariensis; qui specie charitatis, & veluti in laudem vitæ communis congregarat in Alpibus sex millia vtriusque sexus hominum. At vita erat pecuina impudicissima, vt & Pseudoapostolorum, & Fraticellorum. Et hic denique cum Vxore Margarita instar magistri sui conbustus. *HAE-*

HÆRESES SÆCVLI QVARTIDECIMI.

FInis sæculi præcedentis, vt visum est, atque multa sequentis pars turbauit non leuiter Ordinem Minorum; non semel enim curauit sator zizaniorum suffogare segetes agri Seraphici, in peculium Ecclesiæ à Deo prouisi. Pullularunt itaque in mundo.

Begardi.

POntifice Clemente Quinto circa 1311. Horum duces dicuntur, *Iacobus Iusti*, & *Bogonatus*; de Valdensium secta. Prateolus censet esse eamdem Fraticellorum sectam, quæ in Germaniam diffusa nomen habuerit Begardorum in masculis, & Beghinarum in Fœminis. Sanderus distinctas duas enumerat sectas hær. 160. Begardorum, & 162. Beguinorum; addens inter cœtera horum dogmata, Papam non posse dispensare in Regulam S.Francisci. Adeoque perfidi isti transfigurabant se in Franciscanos, ita satagente Dæmone, exosum reddere Seraphici instituti nomen. Quantum ad ea vocabula, prout coniectura est ex Alphonso de Castro v. *Beatitudo*, appellabantur in Germania Begardi, & Beghinę deuoti sæculares piam societatem colentes, qualium est Florentiæ specimen in his, qui vulgo *Bachettoni* dicuntur. Hoc ergo honestum nomen sibi vsurpauere peruersi illi Alemanniæ Fraticelli hæretici infandæ vitę.

Dicebant inter alios errores, hominem posse in hac vita reddi impeccabilem; naturam intellectualem beatificari naturaliter, & non ex Dei Gratia; hominem in statu perfectionis, & spiritu libertatis constitutum ad nullam legem humanam obligari; deosculari mulierem esse peccatum, eo quod ad id natura non inclinet, vel impellat, vrente verò libidine coitum non esse peccatum. Turpissimi ergo, & pleni flagitijs Religionem simulabant; siquidem, vt ait Aluarus Pelagius, emittebant tria vota. Capti eorum innumeri ab Imperatore, & Parisios ducti, ex ijs pertinaces 114. flammas viui subiere.

Templarij.

EOdem Pontifice, & tempore. In Concilio Viennensi damnati, & extincti sunt, eorumque bona equitibus Rhodijs nunc Melitensibus attributa, alijsque Religiosis. Genus erat sacræ militiæ institutę in Palæstina, vt peregrinos per ea loca sancta comitarentur, & aduersus latrunculos, aut Arabes tutarentur. Habitabant prope Templum S.Sepulchri, & inde Templariorum agnomen. Ordinem hunc equitum instituerat S.Stephanus Ierosolymorum Patriarcha, & approbarat Honorius Secundus circa 1125. Cœperunt ingratè esse refractarij Patriarchis illis, à quibus ditati fuerant; mox Sarracenis amici cum iactura Christianitatis; demum inter se docere fœdissimos errores, innominandum crimen, idololatriam occultam esse licitam, renunciationem fidei; proinde iustissimè deleti.

Ad an. 1317. Ricciolus ponit in Catalogo, in quo *Hæresiarchæ, & hæretici*

tici

tici famosi Michaelem de Cesena, & Gulielmum Ocham excommunicatos à Ioanne Vigesimosecundo, quod dicerent, Discipulos Christi nil debere habere suum, neque particulariter, neque in communi. Memini illius dicti à D.Hieronymo epi.61. Pammac. *Nolo in suspicione hæreseos quemquam esse patientem.* Quoniam Michael fuit aliquandiu Generalis Minister Ordinis Minorum, cuius item fuit Ocham, nostra interest, de suspicione hæreseos liberare nostrates. Nil aliud prætendebant, nisi quod Nicolaus Tertius in decretali *Exijt qui seminat*, & Clemens Quintus in alia *Exiui de Paradiso*, docuerant; quare post Ioannem alij Pontifices huius Constitutionem resciderunt, vt tradit Vuadingus ad an.1322. In illa ergo quæstione de paupertate Christi non fuerant hæretici, nec asserebant, quod refert Ricciolus; sed dumtaxat, Christum, & Apostolos nil possedisse; idque Sanderus piè explicat; videlicet, non possedisse secundum sæculi consuetudinem in iure proprietatis, at formaliùs nostri explicant de Christo, pro quando docuit vitam perfectionis talis. Quod si excommunicationem subijt Ocham, id quidem iustissimè, at non ob vllam hæresim, sed ob schisma; quippe ad hostem Ioannis Ludouicum Bauarum se recepit. Cæterum etiam hic absolutus piè obijt, vt narrat Vuadingus ad an.1347. porrò Michael quoque non est reputatus hęreticus, licèt aliàs ceruicosus, & sui nimium tenax; qua in re à nullo nostrum laudatur. Verumtamen pœnitentem decessisse scribit Vuadingus ad 1343.

Lollardus.

EOdem Pontifice circa 1315. Gualterus nomine, à quo secta *Lollardorum* in Belgio; crematus Coloniæ an.1321. Inter alias impietates dixit, Luciferum iniustè detrusum è Cœlo; adeoque & illuc rediturum, atq; è contra Michaelem Archangelum cum suis damnatum iri. Per id tempus fuit *Ioannes de Poliaco* Doctor Parisien. docens, confessionem peccatorum faciendam suo Parocho; & inualidè fieri ante Religiosos Mendicantes; atque stante Canone illo *Omnis vtriusque sexus*; nedum Papam, sed neque Deū posse dispensare in obligatione annuæ Confessionis proprio Parocho faciendę. Damnatus est à Ioanne Vigesimosecundo, & coactus retractare.

Richardus Armachanus.

POntifice Innocentio Sexto circa 1360. Primas Hibernię, hostis infensissimus Fratrum Minorum, sed neque Ecclesiæ matri parcens. Asseruit, indignum Christianis mendicare; & absente Episcopo, quemlibet Sacerdotem posse obire munia Episcopalia. Circa id tempus ponitur à Sandero impius *Bertoldus de Rorbac* Begardus, aiens, in Passione Christum adeo derelictum, vt dubitauerit de salute. Ad an 1372. ponuntur *Turelupini* Begardi; asserentes, non pudendum de ijs, quę à natura accepimus; vnde nudi incedebant, & in propatulo coibant. Addebant præterea, non ore, sed solo corde orandum.

Ioannes Vuicleff.

Pontifice Vrbano Sexto circa 1380. Anglus Oxoniensis, Sacerdos, qui dum scriptis Valdensium delectatur, ea lepra inficitur; dumque non obtinet Episcopatum Vigoriensem, effutit; in Eucharistia esse, non Christum, sed panem; per peccatum mortale amitti potestatem, ordinandi, consecrandi, & baptizandi &c. post Vrbanum Sextum non esse aliquem recipiendum in Summum Pontificem; contra Scripturam esse, quod Ecclesiastici bona temporalia possideant; Dominos temporales posse pro libito suo auferre bona Ecclesiastica; subditos posse pro arbitrio suo Dominos delinquentes corrigere, institutores Religionum peccasse in Ordinum Regularium erectione; Constantinum errasse, dotando Ecclesiam, eamque esse synagogam sathanæ. Alia etiam euomuit ad vsque quadraginta quinq; enumerata in Concilio Constantiensi; quod inquisitione facta de finali eius impœnitentia, decreuit, ossa effodi, & in profanum proijci.

HAERESES SAECVLI QVINTIDECIMI.

Habet hoc sæculum in Catalogis pauca nomina, sed multa scelera, quorum flamma necdum extincta est. Fuere nimirum.

Hussitæ.

Pontifice Gregorio Duodecimo circa 1407. Author *Ioan. Hus* Bohemus, Sacerdos sæcularis, Professor Vniuersitatis Pragensis, ex villa Hus non longè à Praga. Lectione librorum Vuicleffi infectus, cœpit prauè dogmatizare, & per pigritiam ignaui Regis Vuenceslai toto Regno errores propagare. Inter alios: indulgentias nil esse; articulos Vuicleffi esse veros; Papalem dignitatem à Cæsaribus ortam; obedientiam Ecclesiasticam esse contrariam Scripturæ. Socium habuit iste *Hieronymum de Praga*, magis Vuicleffistam, quam Hussitam; atqui ambo in Concilio Constantiense pertinaces exusti sunt. Propagatores item fuere, *Petrus Dresdensis*, & *Iacobellus* Pragensis curatus, à quibus prodijt articulus, de præcepto iuris Diuini dandam cuilibet Eucharistiam sub vtraque specie.

Violentus protector adstitit monocolus *Ioannes Zischa* tyrannus, qui occupato montano fortalitio, eoque valdè munito, adiunctis asseclis ferrum in Catholicos excitauit; eique munitioni indito nomine Thabor, sectam voluit appellari *Thaboritarum*. Hi post loci expugnationem, & Ducis necem se nuncuparunt *Orphanos*, vel *Orbitas*, quasi patre orbatos. Hussitarum errores deinde suscitauit *Ioannes à Rochzan* Ciuitate Bohemiæ. Tres prænarrati pseudoiannes compressi sunt ab vno Dei Seruo Seraphico Sancto Ioanne de Capistrano.

Pichardus.

Pontifice Ioanne Vigesimotertio circa 1414. Oriundus è Flandria in Bohemiam profectus, & se filium Dei nuncupans, instaurauit Adamitarum, seù Turelupinorum sectam. In suis congregationibus nudi, & de

eius

eius tunc licentia promiscuè coibant. Circa id tempus ponitur à Sandero hær. 172. *Ioannes Paruus*, docens, licitè occidi tyrannum à quocumque. Item hær. 176. *Nicolaus Galecus* Vuiclefista, aiens nullum iustè occidi à iudice hoc tempore nouæ legis. Item hær. 179. *Ioannes Benhaim* tympanista, & pecorum pastor; ausus agere dogmatistem, & negare pendenda Principi tributa. Hoc Sæculo *Rutheni*, seu Russiani Schismа fecerunt ab Ecclesia, vt Græcos sequerentur: cumque eos reunire vellet Rex Poloniæ, sese Moscouitæ Duci subiecerunt. Ad ann. 1449. fuit *Matthæus Palmerius* Florentinus, igni adiudicatus ob absurda scripta de Angelis prolata.

Petrus de Osma.

PОntifice Sixto Quarto circa 1475. Theologus Salmanticensis. Asseruit, Confessionem peccatorum esse humanum inuentum. Ad an. 1480. fuit *Hermannus Rissuich* Batauus, prorsus Apostata; irridens totam Fidem, vt fabulosam, & ei præferens doctrinam Aristotelicam, denique an. 1512. combustus. Ad hæc tempora Sanderus hæc. 180. ponit eos, qui in oppido Poli in Aequicolis aiebant, nullum fuisse Pontificem verè Christi Vicarium, nisi eos qui paupertatem Christi imitati sunt, vt refert Platina in Pauli Secundi vita.

HÆRESES SÆCVLI SEXTIDECIMI.

QVo pauciora præteritum, eo plura hæreticorũ nomina habet hoc sæculum, in quo per Lutherum est apertus puteus abyssi, & innumeræ, ac monstrosæ, iuxta Apoc. 9. exiere locustæ in tres precipue turmas dispersæ, Lutheranorum, Caluinistarum, Anabaptistarum; sed quarum singulæ plurimam admittant subsectionem, vt ferè impossibile sit in recensendo ordinem tenere, vbi in Babylone confusissima nullus ordo est, sed contra Veritatem sempiternus horror. Coæuus Luthero, sed errorum prodromus fuit *D. Erasmus*, non Diuus, sed *Desiderius*, cuius nouit Deus intentionem, si voluit suum nomen *Desiderius* vnico D. Signari, quo pacto solemus Doctores *Diuos* denotare. Hollandus fuit patria Roterodamus; litteratura tali, vt iuxta Hieronymi prouerbium, gestaret *litum melle gladium*. Planè hostem Ecclesiæ se prodidit laruatum specie benefactoris in recudendis, & pro libito distorquendis Sanctis Patribus, vt obindè scribat Marianus Victorius in Scholijs D. Hiero. ad epist. 30. *Hæreticus ille omnium pestilentissimus Erasmus omnia ad libitum aut exposuit, aut vitiauit.* Successit itaque.

Martinus Lutherus.

POntifice Leone Decimo; anno 1517. Parens postremorum hæreticorum; Saxo Islebiensis; antea *Ludder* vocatus, nempè prædo, & irrisor; dici voluit *Luther*, idest purus. Acris ingenij, sed indocilis animi; anno ætatis vigesimo factus Artium magister, dum die quadam cum Socio ambulat, qui tunc ictu fulminis interijt, perculsus timore, induit an-

22. habitum S. Auguſt. Erfordiæ ; percharus Friderico Electori Saxoniæ . Anno 1504. Leo Pontifex impetraturus cœleſtem opem in Selimum Turcarum Imperatorem excidia molientem , miſit Orbe toto Indulgentias Cruciatæ , ſpe excitandi Principes ad Chriſtianitatis defenſionem . Eas Indulgentias alioqui ſolitas publicari per Auguſtinianos , dedit Dominicanis Archiepiſcopus Brandeburgenſis Albertus . Hinc in Luthero cacozelus prorumpere cœpit , primò dubitando de Indulgentijs , deindè apertè negando valorem , & concedendi poteſtatem ; idque an. 1517. Ex his præmiſſis , eæ conſequentiæ deuolutæ ſunt ; vt in Pontificem , in Romanam Eccleſiam , penè in omnia catholica dogmata ſit debachatus . Excommunicatus à Leone ; pertinax , excucullatus , vxorem duxit Catharinam de Bore ; totus demum perfidiæ datus an. 1546. repertus eſt in lecto mortuus, cum hilaris veſpere decubuiſſet an. ætatis 63.

Eius hæreſes ad vſque 78. recenſet Gualterus . In his præcipuæ ; Eccleſiam non eſſe viſibilem ; non eſſe homini liberum arbitrium ; non eſſe meritoria opera bona ; impoſſibile eſſe obſeruare Dei legem ; non eſſe differentiam peccati mortalis à veniali ; peccatum originale eſſe fomitem , ſeu concupiſcentiam ; & alia . Damnat Eccleſiæ cœremonias , numerum Sacramentorum, numerum Bibliorum Sacrorum ; Traditiones Eccleſiaſticas, Miſſæ Sacrificium , Purgatorium , interceſſionem Sanctorum &c. Et in his quidem Sectarij nouatores conueniunt ; deque ipſa Lutheranæ peſtilentiæ cathedra vnanimiter ſuſceperunt . At quoniam innumera monſtra de Africa Lutherana prodierunt; diſtinctiuum Lutheraniſmi eſt id , in quo errantibus his errantes alij non conſentiunt; videlicet, humanitatem Chriſti eſſe vbique , vndè dicti Vbiquetarij ; paruulos in Baptiſmo elicere actum fidei; Chriſtum eſſe in Euchariſtia , non per Tranſubſtantiationem , ſed per impanationem , id eſt , manente ſimul ſubſtantia panis. Itaque diſtinguantur.

Lutherani .

Diuiduntur in duas Claſſes, è quibus innumeræ ſubalternæ pullularunt. Alij dicuntur *Lutherani molles* , qui opiniones aliquas Lutheri temperarunt , maximè errorem illum de libero arbitrio . Dux horum *Philippus Melanchton* ad 1530. Natus Brettæ in Palatinatu inferiori . Is conſtituit *Confeſſionem Auguſtanam* tempore Comitiorum Imperialium à Carolo Quinto indictorum ; de eo Florimun. l. 2. cap. 9. Alij dicuntur *Lutherani rigidi* , quales ſunt *Centuriatores Magdeburgenſes* , authore *Matthia Flacco Illyrico* , promulgante an. 1560. Hi abſque moderatione mordicus tuentur praua cuncta Lutheri ; eorumque maximum ſtudium, è lectura antiquitatis calumniari Eccleſiam , & Romanos Pontifices .

Proteſtantes dicti ſunt à proteſtando, ſuntque congeries Lutheranorũ, quę cœpit Spiræ an. 1529. vbi, ſatagente Luthero, conuenere ablegati Ciuitatum Imperialium Lutheraniſmo iam infectarum ; ac ſub iuramento proteſtati ſunt , velle ſe exponere vitam , & omnia pro defenſione ſui dogmatis, quod Euan-

Euangelicam libertatem appellabant. Enimuerò metuebant aduentum Caroli Quinti Augustana comitia celebraturi. Idem nomen Protestantium assumpserunt quidam Angliæ Sectarij sub Regina Elisabetha, sed peculiaribus erroribus differentes.

Vbiquetarij, seu *Vbiquistę* dicti sunt etiam *Semilutherani*; authore *Ioanne Brentio* ad 1540. qui dixit, nullam esse in Eucharistia Transubstantiationem, sed Corpus Christi post Ascensionem esse vbique. Ex hæresi itaque sortiti sunt nomen Vbiquistarum. *Maioristæ* dicti sunt à *Georgio Maiore*, qui voluit, etiam paruulos absque bonis operibus saluari non posse. *Osiandristæ* ab *Andræa Osiandro* primate Confessionis Augustinæ, dicente, Corpus Christi in Eucharistia pati.

Martinus *Bucerus* ad 1530. Patria Argentinas, patre Iudæo desertor S. Ord. Pr. genio indulgendi libidini; spectat ad Lutheranos, & Sacramentarios, quorum frustra vnionem tentauit in dieta Augustana; asserens, Corpus Christi esse in Eucharistia tunc, quando sumitur Sacramentum, alias verò non. Addidit, nullum esse peccatum, præter incredulitatem. Superaddidit moriens, Messiam non dum venisse. *Volphgangi Capitonis* Symmistæ olim sui viduam duxit vxorem, eaque mortua alteram, dein tertiam, vt refert Florimun. l. 2. cap. 11. Timens Cæsarem abijt in Angliam, vbi decessit, nescias an hæreticè, an Iudaicè, eiusq; postmodum ossa combusta sunt.

Lutheranæ sectæ succenturiandi sunt *Adiaphoristæ*, aientes, omnia Ecclesiastica esse adiaphora, idest indifferentia, & posse pro libito suscipi, aut repudiari; orti circa 1546. de quibus Florim. l. 2. cap. 14. quibus cognati sunt *Interimistæ*, sequentes *Interim* Imperatorium, minus infecti cęteris. Denique, vt multos prætercam, acerrimus Lutheranismi propugnator fuit *Martinus Kemnitius* Brunsuiciensis temerarius osor Concilij Tridentini. Damnantur nominatim in Bulla Cœnæ à Paulo Quinto, Hussitæ, Vuicleffitæ, Lutherani, Zuingliani, Caluinistę Hugonotæ, Anabaptistæ, Trinitarij. De horum aliquibus dictum est, de reliquis iam sequor.

Sacramentarij.

Pontifice Paulo Tertio circa 1524. Primus Author *Andreas Carlostadius* è Franconia Archidiac. Vuitembergensis; primus Lutheri discipulus; primus Sacerdotum, qui reiecto Christi iugo coniugem sacrilegè duxerint; primus post Berengarium ausus dicere, in Sacramento non esse Corpus Christi realiter, sed tantum figuratiuè. Is vbique proclamare cœpit Libertatem Christianam; quasi hæc consisteret in licentia libiti, nec differret à libertate Mahometana. Quo die duxit vxorem, seipse canonizauit, estque decantata composita ab eo Missa, quam refert Florimun. l. 2. cap. 7. cuius Introitus; *Dixit Dominus Deus, Non est bonum, hominem esse solum; Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Versus, *Adhærebit homo vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Oratio, *Deus, qui post tam longam, & impiam Sacerdotum tuorum cæcitatem Beatum Andræam Carolstadium ea gratia*

donare

donare dignatus es; vt primus, nulla habita Papistici iuris ratione, vxorem ducere ausus fuerit; da quæsumus, vt omnes Sacerdotes recepta sana mente eius vestigia sequentes, eiectis concubinis, aut eisdem ductis ad legitimum consortium thori conuertantur. Per Dominum &c. Ita iste suimet canonizator nil in virtutibus numeratum habuisse fatebatur, nisi se diù esse concubinarium. Luthero placuit facinus, quod ipse posset impunè prosequi; vndè & ipse vxorem duxit. Cæterum primus hic discipulus fuit item primus Lutheri impugnator; & quomodo Lutherus constituit suæ Ecclesiæ Sedem Vuitembergam, ita Carolstadius Orlemondam; at artibus illius pulsus à Duce Saxoniæ confugit ad Tigurinos, vbi à diabolo suffocatus perijt.

Huldericus Zuinglius Heluetius Canonic. Constantiens. ad annũ 1525. Audiens, à Luthero esse inuentam legem, qua salus promittebatur, absq; Pontificis Obedientia, dicere cœpit; se percupere liberari à iugo Romanæ Ecclesiæ; seque ita Luthero dedit. Dum autem quadam die hæret in explicatione eorum verborum, *HOC est Corpus meum*, videt phantasma, de quo ipse fatetur, non reminisci, album nè, an nigrum fuerit; quod & inquit sic intelligendum, *Hoc significat Corpus meum*, quo pacto exo. 12. dicitur, *est enim Phase*, idest significat transitum, sicque iuit in sectam Carolstadij. Planè phantastica Theologia, qua posset vbique deludi, & de nulla re concedi, quod sit, sed quod significet. Vxorem & iste duxit, extinctusque est an. 1531. in prælio contra Catholicos, atque cadauer postea combustum. Tiguri se fecit nouum Euangelistam, vbi etiam Pelagianismum posuit. De eo Florimundus l. 2. cap. 8.

Ioannes Oecolampadius ex Monaco S. Brigidæ apostata, natione Germanus Visbergensis, Præceptor filiorum Comitis Palatini, trium linguarum peritus, Lutheri discipulus, & eius imitatione vxoratus cum Moniali; errori Sacramentariorum adhærens, cum ad idipsum non posset Lutherum perducere, ab eo disciuit, ac Tigurenι ad Zuinglium concessit an. 1525. Ambo ibi eam hæresim statuerunt, mox iste Basilææ consedit, & seditionibus truculentis fabricatis interijt. Eius fuit discipulus *Bertholdus Hallerus* Helueta Canonic. Bernensi. Ad Sacramentarios quoque attinet *Gulielmus Farellus*, de quo infra; & præcipuè *Henricus Bullengerus an.* 1549. qui scripsit, Antichristum iam venisse in Romanis Pontificibus, & S. Ioannem Euangelistam fuisse idololatram adorando Angelum in Apocalypsi.

Anabaptistæ.

POntifice item Paulo Tertio an. 1534. instaurati per *Balthassarem Pacimontanum*; cum essent decennio ante exorti à *Nicolao Stokio* Lutherano. Sic nuncupati, eo quod iterato baptizent; asserentes, puero non prodesse Baptismum, eo quod nequit habere actum Fidei. Fuit Pacimontanus è Vuestphalia, ac Tiguri abiurauit errorem; at rediens ad vomitum, & in Morauia prædicans Anabaptismum crematus est. Ei successit *Thomas Muncerus* Carolstadij discipulus, Sacerdos Apostata; & hic

hic quoque violenta morte peremptus à Saxoniæ Principe.

Errores Anabaptistarũ sunt præter communes nouatorum, & particularem Sacramentariorum; non contrahi Originale peccatum; non licere Christianis suscipere Magistratum, nec bellum agere, nec iurare; licitam esse polygamiam, Matrimonium ob hæresim posse dissolui; iustorum animas dormire vsque ad Iudicij diem; Baptismum non valere, nisi detur instructis. De Anabaptistis habet Florimun. l. 2. cap. 2. Duodecim Anabaptismi Sectas recenset Staphylus apud Sander. hær. 193. Quidam enim sunt *Adamitæ*, Secta videlicet Pichardi renouata à rudi quodam nomine *Adamo*, cognomine *Pastore*, de quo Florim. l. 2. cap. 15. Alij sunt *Stebleri*, seu *Bacularij* solum gestantes baculum, & aientes, illicita Christianis arma. Alij *Sabbatharij*, orti an. 1539. vt aït Florim. cit. videlicet, diem Sabbathi colentes, & reijcientes cultum diei Dominicæ.

Alij sunt *Clancularij*, præcedentibus his coæui, vt narrat idem Florim. qui asserunt, satis esse, clam tenere Fidem; & licitum esse, palam eam negare. Alij *Dæmoniaci*, qui asserunt, Dæmones in fine Mundi saluandos; quos ideo decies in die adorare, testatur Hosius l. de hær. Alij *communia habentes*, qui Platopolitiam profitentur, nempè omnia communia, etiam vxores, & filios. Alij *Condormientes*, qui volunt, omnes dormire in vna aula, & viros, & fœminas. Alij *Eiulantes*, qui assiduè plorant, ac suspirant, dicentes, nil Deo perindè gratum esse, ac lachrymas. Alij *Dauidistæ* orti à filio Georgij histrionis *Dauide*, patria Hollando, homine plusquam furioso, vt ait Florim. an. 1544. qui iactabat, se habere Spiritum Sanctum; aiebatque, peccatum non esse in anima, sed in corpore; adeòq; omnia corpora fore damnata, omnes animas saluas.

Sunt alij *Mennonistæ* præfatis his coæui, orti à *Mennone* quodam Frisio, dicentes, Christum non filium Mariæ, sed quod de Cœlo suam omnem duxit secum substantiam, vt refert Florim. Videntur ad Anabaptistas spectare *Pseudoaugustiniani* orti à laico quodam Augustino in Bohemia, de quibus citatus Florim. dicentes inter alia, Christum secundum humanam naturam necdum esse in Cœlo. Demum cum Anabaptistis succenseantur *Manifestarij* Clanculariorum oppositi, suam Sectam propalantes. Cęterum non est numerus huiuscemodi specierum putrenascentium; Alij sunt *Tacentes*, alij *separati*, alij *Puri*, alij *Liberi*, alij *Rapti*, de quibus Florim l. 2. c. 6.

Caluinistæ.

Pontifice eodem Paulo Tertio an. 1541. Author *Ioannes Cauuinus*, alias Caluinus, Nouioduni in Picardia natus nobili stirpe. Sacerdos beneficium in Cathedrali Ecclesia ab Episcopo Nouiodunensi, & curam in pago vicino, qui Pons Episcopi dicitur, adeptus, an. 1534. liliatus ob crimen infandum; Lutetia quoque excedere coactus ob errores à *Melchiore Volmar* Lutherano haustos, tota extorris Gallia petijt Italiam; inde Geneuam se contulit, vbi erant *Gulielmus Farellus*, & *Petrus Viretus* errorum

Præ-

Prædicantes. Ita an. 1536. suum Cathechismum Caluinus composuit; at iussus intra 24. horas abire, Basileam, inde Argentoratum petijt. Reuocatus Geneuam an. 1551. ibi suam Sectam stabiliuit, expulitque Farellum. Erat is Vapinci in Delphinatu ortus, Sacramentarius, & præterea Samosatenæ hæresis suscitator. Porrò Caluinus Idelleltam de Bura duxit vxorem, qua an. 1548. mortua viduus permansit. Denique ann. 1564. quinquagesimo quinto ætatis pessimè obijt multis doloribus, calculo, podagra, hæmoroidibus, phtisi, emicrania, vermibusque consumptus Geneuę.

Secta pertinet ad Sacramentarios; at quomodo hæresis Praxeæ ac Noëthi Patropassianorum, dicta est Sabelliana ob propagatorem; ita *Sacramentarij* appellantur in Heluetia *Zuingliani*, in Gallia *Hugonotæ*, in Hollandia *Geusij*, in Anglia *Puritani*, in Germania *Caluinistæ*. Centum hæreses Caluini ex eius, discipulorumque suorum verbis recensentur apud Iacobum Gualterum. Præter communes nouatorum, & speciales Zuinglij, ac Oecolampadij Sacramentariorum, quos duos habuit Basileæ Magistros, dedit Caluinus suas blasphemias; in quibus præcipuè; Fidem non esse vnam, eamque esse coniunctam cum incredulitate, reijciendos libros, Thobiæ, Iudith, Sapientię, Ecclesiastici, Machabęorum, partem Esther, partem Danielis; Fidem amitti non posse, ac solis infundi Prædestinatis; Deum quosdam creare eo fine, vt peccent, & damnentur; Deum esse Authorem peccati; duo tantum esse Sacramenta, Baptismum, & Cœnam Eucharistiæ, in qua non realiter, sed solum figuratè sit Christus. De Christo sic agit, vt obrigeat manus, si velim describere.

Caluinianorum præcipui fuere, instar Lutheranorum duæ Sectæ principales. *Caluinistæ molles*, dicti etiam *Remonstrantes*, & *Arminiani*, orti à *Iacobo Arminio* Ministro Amstelodami, dein professore Caluinismi apud Leydenos. *Caluinistæ rigidi*, seu *Contraremonstrantes*; Præceptore *Francisco Gommaro* antagonista Arminij, & præcessore in Academia Leydena, qui sequebatur rigorem errorum Caluini, de libero arbitrio, de Gratia, de Reprobatione, & alijs. *Petrus Vermillus* Florentin. Can. Reg. apostata circa 1549. qui vbi in Heluetia abiurauit Fidem, quasi vellet prophetare, se multa pro Secta sua passurum, nuncupauit se Martyrem; quare adscititio vocabulo dicitur *Petrus Martyr*, sed addendum esset, *Diaboli*; spectat is quoque ad Caluinum; at prætereа expresse negauit, posse Deum facere, vt Corpus Christi sit in pluribus locis. Idipsum asseruit Caluinianus obscœnissimus *Theodorus Beza* an. 1550. Burgundus fuit natus Vezelij; addiditque; Deum non esse omnipotentem, si non possit impellere ad peccatum. His adcensendus *Conradus Vorstius* Minister Batauus, negans de Deo, Simplicitatem, Infinitatem, Immensitatem, Aeternitatem. Demum è Caluinismo innumeræ in dies prognatæ Sectæ.

Inter deplorandas illas est ridicula prorsus ea *Pacificatorum*, authore *Ioanne Sturmio*; asserens Religionem Caluinisticam à Catholica non differre,

ferre,

ferre, essentialiter. Numquid contradictoria, numquid affirmatio, & negatio non differunt? Et numquid accidentalis est differentia, vbi de substantia Fidei agitur? & non different Catholici à Caluinianis, vbi ipsi Caluiniani inter se etiam dissident? Est in Caluinismo Secta *Sepulcbralium*, quam tuetur Beza, negans Christum descendisse anima ad Limbum Patrum, seu ad Inferos, sed inferorum nomine accipiendum solummodo sepulchrum; atque somnia esse, quæcumque apud Patres de Limbo Patrum habentur; est item alia opposita dicta *Infernalium* In altero extremo, quam docuit Caluinus, & sustinet *Iacobus Smidelinus*; Christum descendisse ad Infernum damnatorum, eorumque cruciatus in anima perpessum, vt refert Sanderus hæret. 225. Vtraque insanit, vtraque à dogmate Catholico abhorret, atque aberrat.

Anglocaluinistæ.

Pontifice præcessore Pauli Clemente Septimo, qui anno 1534. & sui Pontificatus vltimo excommunicauit Henricum octauum Angliæ Regem; vndè euenit, vt Anglia in Africam monstrorum hæreseos facta sit. Fuerat *Henricus* sanæ mentis, impugnator acerrimus Lutheri, editis etiam pro Catholica Fide Libris; at per libidinem Annæ Bolenæ inescauit eum Asmodæus, vt peteret à Clemente Papa dissolutionem matrimonij viginti annorum cum Catharina filia Ferdinandi Magni Regis Aragonum de qua iam etiam prolem susceperat. Renuente Pontifice approbationem facinoris, fit Rex Schismaticus; erigit se in Caput Ecclesiæ Anglicanæ, mouetque in Catholicos persecutionem quæ multos deindè martyres illustrauit. Ita ergo prodijt Secta, quam Sanderus hær. 220. appellat Laicocephalorum, nempè dicentium, Regem esse caput in spiritualibus Ecclesiæ. Paulus Tertius Henricum titulo Regio ademit, sed frustra, iam corruptis cum Rege subditorum plurimis. Mortuo Henrico instar Antiochi eiulans *omnia perdidi*; successit filius impubes Eduardus Sextus ab auunculo suo Zuingliano in sua Secta educatus, sicque nouis erroribus apertus est aditus, & introducta præterea Lutheri Secta sub nomine Protestantium.

Anno 1552. succedente Catholica Regina Maria, redijt per sexennium, quo superuixit illa, Regnum ad Fidem. At succedens impia Elisabetha se dicere caput Ecclesiæ non est verita; atq; inducto Caluinismo per quadraginta annos crudele excidium Catholicorum egit. Non est reticendum, quod narrat Sanderus hær. 222. *Goodmannus* Anglus Caluinista tempore Mariæ præfatæ exulans Geneuæ librum scripsit, adstruens; *non licere mulieribus ad gubernacula Reipublicæ alicuius sedere.* Ea sanctè defuncta, redijt sub Elisabetha in Angliam, prædicauitque hanc fœminam, nedum caput Reipublicæ, sed & Ecclesiæ. Quamuis itaq; Schisma Anglicanum signatum sit an. 1534. Secta tamen Anglocaluinistica initium habet circa 1558. sub Pontificatu Pauli IV. Sectę distinguibiles in maxima confusione sunt istæ in Anglia.

Puritani prætendentes se esse puros ab omni peccato; Secta Caluinistica,

alias dicta *Reformati* seu *Ecclesia Reformata*. Sunt hostes infensissimi, nedum Catholicorum, sed & Protestantium, omnisque Monarchici regiminis. Ortum habuere à *Sansone* quodam Caluiniano Prædicante an. 1565. sub præfata Elisabetha. Errores Puritanorum conueniunt cum Caluinismo. Sanderus hær. 230. recenset in Surria Comitatu Angliæ an. 1570. ex Caluinianorum Secta à quodam Vurito exortos *Vnctos*, aientes non posse iterum peccare eum, cui semel remissa sunt peccata. Hi *Vncti* adeò dura ceruice sunt, vt doctis viris omnem prorsus Fidem abrogent.

Brounistæ authore quodā *Broun* Anglo sub eadem Elisabetha. Odio canino insectantur, & Protestantes, & Puritanos; adeòque hi sunt Caluinistę Antiputitani. Docent, æquanda solo templa sub Papatu ædificata; esse diabolicam Idololatriam recitare Orationem Dominicam, aliasuè certas preces;; hanc vocem, *Sacramentum*, esse à diabolo inuentam; libertatem prophetandi non esse vlli denegandam; Papistas omnes occidendos; & alia horrenda.

Familiaristæ, alias dicti apud Florim. l. 2. cap. 16. *Amoris familia*. Hi sunt Angloadamitę authore *Henrico Nicolai* Hollando, cœperuntque sub eadem Elisabetha. Nocte conuenientes, prolato per Prædicantem, *Crescite, & multiplicamini*, promiscuè concumbunt; is enim Adamitarum est ritus. Cuiusmodi autem hæc Synagoga Familiaristarum sit, conijcere ex hoc vno licet; quod neque Baptismum suscipiunt, sicque moriuntur, vt refert idem citatus Florimundus. Sunt pręterea in Anglia Presbyteriani, Independentes, Trementes, Libertini, de quibus infra.

Residua Congeries.

Libertini ortum habent an. 1525. à *Quintino* sartore Picardo, qui in Brabātia dogmatizare cœpit, Deo placere quamcumq; sectarum Religionem, quomodo diuersis cibis delectantur homines; adeòque liberum cuiq; prolibito Fidem eam amplecti, quæ magis arridet. De his Florim. l. 2. c. 16.

Schuenfeldiani an. 1529. à nobili Silesio *Gaspare Schuenfeld* Lutheri discipulo, at nouæ Sectæ authore; asserente, ad salutem non opus esse Sacra Scriptura, vel vlla Lege, sed contemplari in hoc magno Vniuersi libro; Christum non contineri sub littera Scripturæ, sed sub spiritu; Christum non esse in Eucharistia; Fidem esse essentiam Dei; Christum in Mariæ vtero non fuisse formatum à Spiritu Sancto; nec ipsum fuisse Deum ante Ascensionem; & alia. Hi nefarij audebant se appellare *Confessores Gloriæ Christi*; cum essent Christo tam iniurij. De his Florim. ibid.

Spirituales Schuenfeldianis affines, vt idem subdit, asserentes; sensum Scripturæ litteralem esse inutilem; esse autem necessarium mysticum, seu spiritualem; eiusque cognitionem sibi datam iactant; nec opus esse Sacramentis, aut alijs subsidijs, nisi deuota meditatione.

Antitrinitarij an. 1530. authore *Michaele Serueto* Hispano, de quo Florim. c. 15. Fuit primò Lutheranus, dein Caluinista; mox ex Hispania in Africam traijciens didicit Alcoranum, sectamq; suam instituit è Samosateno, & Mahomete;

homete; negans Trinitatem in Deo, duasq; naturas in Christo. Dixit præterea, Deum in arbore esse arborem, in lapide lapidem &c. Volebat, Baptismum non dari, nisi anno ætatis trigesimo. Audiens reprobari à Caluino ea verba, *Sancta Trinitas vnus Deus*, vt barbariem spirantia, ad eum Geneuam se contulit, sperans habere fautorem. At Caluinus, nè videretur Arianismo fauere, cuius rei iam erat fama, vt ita eam purgaret, fecit ignibus dari Seruetum an. 1555.

Ioannes de Vuestphalia an. 1533. conuinctus 17. heresum perhibetur in Catalogo Riccioli, ex Prateolo, & alijs. Inter has, Spiritum Sanctum non procedere à Filio; incertumq; esse, num Christus fuerit Cruci affixus clauibus, an ligatus funibus; Ecclesiam errare posse; & alia. Alphonsus de Castro v. *Ecclesia* ait, hanc hæresim prænotatam fuisse Ioannis de Vuessalia tempore Friderici Tertij Imper. Numquid sint diuersi, an verò æquiuocationis lapsus sit, nescio; nam Castrius scripsit an. 1545. nec posuisset sub Friderico Tertio circa 1314. hominem sibi coæuum. Diuersus ergo videtur Vessalius à Vuestphalo, sed eum non ante recensui, quia alibi non reperi.

Effrontes circa an. 1534. de quibus Florim. cap. 16. Frontem sibi eousq; radunt, dum sanguis effluat, mox oleo inungunt; sicque se Christianos appellant nullo suscepto Baptismo. Inde nomen Effrontium.

Valentinistæ his coæui, vt ait ibi Florim. authore *Valentino Gentili*; dicente, solum Patrem esse verè Deum; Filium autem ei esse consubstantialem, quasi gratis, & ex mutuatione. Demum is Bernæ Heluetiorū an. 1566. exustus est.

Carolus Molinæus imprudens Iurisprudentiæ professor. an. 1547. de quo optimè adnotat Sanderus hær. 219. *Vide, vt hæresis hæresim pariat*. Quia dicimus, sicut Christus clauso vtero Virginis natus est, ita potest modo simili esse in hostia, adeò vt omnes sui corporis partes eodem loco existant indiuisibiliter; Molinæus, vt eludat paritatem, negat natum Christum absque aperitione vteri, atque adeo inficiatur Mariæ Virginitatem in partu.

Sebastianus Castaleo circa 1550. de quo Sander. hær. 190. Dixit, posse quemquam pro libito sequi suam sectam. Cum Anabaptistis asseruit, librum cantici Canticorum nil aliud esse, nisi lasciuos amores, & cantilenas Salomonis cum sua amasia.

Bernardinus Ochinus Senen. circa idem tempus, ex Apostata olim Gen. Cap. discipulus Serueti, dein Caluini adhuc viuentis Geneuæ asseela, mox Arianismi instaurator in Polonia, adeòq; author *Neoarianorum*; demū Atheus.

Tritheistæ circa 1564. authore *Gregorio Paulo* Ministro Cracouiense. Alias dicti *Deistæ, & Trinitarij*, tres personas tres Deos asserentes, eosq; inæquales, nempè Filium minorē Patre, & Spiritum Sanctum minorem Filio. Symbolum S. Athanasij vocant *Symbolum Sathanasij*. Aiunt, teste Sande. hær. 228. Lutherum diruere Ecclesiæ tectum, nempè Papatum, atqui Zuinglium parietes, videlicet realitatem Christi in Sacramento; ipsos autem fundamentum, nimirum mysterium Trinitatis. Aliqui horum authorem faciunt Gu-

lielmum Postellum aliquando Ies. de quo Daniel Barthol. in vita S. Igna. cum porrò vendicat ab hac nota Florimundus cap. 15.

Functius à Sandero ibidem numeratus hær. 228. profectò summè temerarius, dum in sua Chronologia negat, Petrum Apostolum fuisse Romæ.

Antimariani noui authore *Budneo*, de quo Florim. c. 16. Negant perpetuam Deiparæ Virginitatem, sequentes Heluidium. Aliqui immo peccatum in ea Sanctissima Anima actualiter commissum asserunt.

Antinomi, idest, legis aduersantes, authore *Ioanne* Islebio Agricola. Omnibus vitijs viam sternunt; nullos esse diabolos credunt; de quibus Florim. ibid. eorumque species videntur *infernales*, de quibus dictum est, vbi de Caluinistis sub nomine Sepulchralium; quippè hi Infernales apud Florim. aiunt nullum esse infernum, nisi sepulchrum, sicque de sepulchro accipiunt articulum descensus Christi ad Inferos.

Boquiniani authore *Boquino*, qui docuit, Christum passum pro solis fidelibus, & corpus Domini à solis fidelibus sumi. Fuit Boquinus Germanus.

Hutistæ à quodam Ioanne Hut; se filios Israel appellant. Imaginantur, aliquo tali die fore finale Iudicium, idque tunc certò certius expectant, etsi toties delusi. His subiungit Florim. *Inuisibiles*, qui Ecclesiam dicunt inuisibilem, vt quæ sit in cordibus electorum sita, & Deo soli nota. Porrò is est error etiam Caluinistarum.

Hosmanistæ, qui teste Florim. aiunt, hominem semel sua culpa lapsum in peccatum saluari amplius non posse. His subiungit *Flaccianos*, seu nouos Manichæos à Matthia Flacco Illyrico. Item *Samosatenianos nouos*, authore *Socino*, vel *Farello*. Item *Fraticellos* nouos, qui se Christi infantes appellant; infames brutorum more in sua Synagoga extinctis candelis promiscuè concumbentes. Adde *Nestorianos nouos*, authore *Stancaro* Mantuano. Sed quis addat Antilutheranos, Lutherosiandrinos, Lutherozuinglianos, Lutherocaluinianos, Lutheropapistas; & immensam farraginem, vt loquar cum D. Hiero. *magis portenta, quam nomina*?

HÆRESES HVIVS SÆCVLI.

DEscripturus vitam Malchi Monachi D. Hieronymus promittebat elucubrandam historiā *Ab aduentu Saluatoris vsq; ad nostram ætatem, idest ab Apostolis vsque ad nostri temporis fęcem.* Quid quęso de nostro sæculo diceret, vbi præcedentium fæx non est exinanita, de qua tam auidè bibunt tot peccatores terræ? Scatet in dies cloaca fæculenta Babylonis; tot vna oboriuntur, statimque adolescunt vrticæ, & viles carices, vt neque discernere possis. Enarrat Florimundus enumeratas vsque ad triginta quatuor sectas Lutheranismi; adeòq; si fas esset omnes recensere sectas nouatorum, excederent ducentas. Addātur ergo & nouissimè huius sęculi notabiliores; de quibus omnibus, & singulis à prima ad postremā proferret idem Hieronymus, vt olim de Heluidio; *Risimus in te prouerbium; camelum vidimus saltitantem.*

M. Anto.

M. Anton. de Dominis.

POntifice Paulo Quinto 1616. Sæculiuersario Lutheri. Fuit natione Dalmata, Patria Arbensis; primo Veronæ professus in Societ. dein Patauij Mathematices, Brixiæ Rhetorices, ac Philosophiæ publicus professor; anno 1596. Episcopus Seniæ; inde trãsiens ad Archiepiscopatum Spalatensem; ibi cœpit, dogmata Lutheri, & Caluini varijs colorare fucis. Docere nisus est, Papatum minimè fundari in Euangelio; ac Romanum Pontificem nullam habere authoritatem extra Vrbis Diœcesim. Statim contradixere Dalmatæ; ac per Dei Gratiam, ne vnam quidem aristam potuit germinare in littore forti prauum inimici domestici semen. Profugit obindè in Angliam, scripsitque pro suo errore librum de Republica Christiana.

Presbyteriani.

ANglicana secta, quæ aut ortum, aut adminiculum habuisse videtur à præfato; prodierunt quippe sub Carolo Rege. Faciũt Ecclesiã Aristocraticã, ita quod amotis Episcopis rectores sint Presbyteri; quare secta dicitur Presbyteriana; sub Presbyteris autẽ ministrent simplicesPastores, seù Prædicantij. Porrò Presbyteri subsint Classibus, & ClassesSynodis, seù Cõcilijs. Hi quoq; sunt species Puritanorum, at præterea docent; Laicos, & Plebeios capaces esse officij Ecclesiastici; atq; in primitiua Ecclesia potestatem iurisdictionis non fuisse penes Episcopos, sed penes Communitatem.

Independentes.

ITem Anglicana secta. Hi se opposuerunt Presbyterianis, ac se appellabant, Patriæ, & Libertatis defensores. Ecclesiam faciunt Democraticam, seque aiunt soli Deo subiectos. Hæc etiam fęx pertinet ad Puritanos, seù Caluinistas. Author fuit *Ioannes Robenson* Puritanus, circa 1634. Inter alios errores sunt; quæuis hominum collectio etiam septem personarum possidet absolutè totam potestatem Ecclesiasticam sine dependentia vlli sub Cœlo; Synodorum potestas est Antichristiana, & tyrannica; Fides nil prodest; Christus non habuit verum Corpus; Independentium Ecclesiæ habent authoritatem excommunicandi Reges omnes, & Respublicas; omnes leges humanæ debent aboleri; omnes sectæ tollendæ sunt, præter Presbyterianos, & Papistas; alia item plura.

Quackeri.

IDest *Trementes*; Anglica pariter secta simulatæ pietatis; cæterum fęx Caluiniana; authore *Iacobo Nayler* Anglo, qui Christum se finxit. Tractant modestè, erga pauperes humani, oretenus spirituales, bona pro malis reddentes, vt Sanctos putes. Fingunt echstases publicas, atque tremunt, quasi tunc à Deo rapti; vnde & *Quackeri*, nimirum *trementes* appellantur. Sed vide, hæc Sanctitas, quid credat; nullum esse Cœlum expectandum, nisi quod in corde gerit Christianus; nec aliud esse Infernum, nisi homines malos; eo ipso quod aliquis credat, esse baptizatum; non posse Christianum Christiano dominari; nulli exhibendam vllam reuerentiam, etiam Regi; omnia inter Christianos debere esse communia; non esse in potesta-

te QuaKeri peccare; non dari Trinitatem; non esse necessarium Baptismum; Scripturam esse plenam fabellis; & alia.

Anglolibertini.

Dicti etiam *Libertini noui*, qui Picardi libertinam sectam suscitarunt nuper in Anglia, authore quodam *Burtono*. Præter Libertinorum errores aiunt; non nos, sed Dei spiritus in nobis habitans operatur omnia mala, quæ facere dicimur; peccatum nil aliud est, quam opinio; puniendo peccata, Deus ipse punitur; Christum resurrexisse, est dumtaxat suspicio; perfecti sunt, qui contẽpta Scriptura proprijs fidunt inspirationibus;& alia.

Aliæ in dies enascuntur monstrosissimæ sectæ in Anglia, Atheistæ, Ariani noui, Anabaptistę, Antiscripturistæ, Chiliastæ noui, Enthusiastæ, Quærentes, Sceptici, Expectantes, Perfectistæ, Sabbatharij, Antisabbatharij; & alij absque numero, aut ordine, sed verè omnes Antichristi.

Hoc loco adnectam propositiones Cornelij Iansenij iunioris Iprensis Episcopi, qui decessit anno 1638. & in libro posthumo, cui titulus *Augustinus* has reliquit quinq; assertiones ab Innocentio Decimo an. 1653. damnatas vt hæreticas, idque in sensu ab eodem Iansenio intento, vt declarauit Alexander Septimus 1656. & sunt. Prima; *Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus; & conantibus, secundum prȩsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Secunda; *Interiori gratię in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Tertia; *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate*, sed *sufficit libertas à coactione.* Quarta; *Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus; etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Quinta; *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Cœterum Iansenius ante mortem protestatus est submissionem, & obedientiam Ecclesiæ, vt habet Bayl. to. 2. addit. ad Concil. superest ergo, vt de nostri temporis formaliter hæretico dicamus, qui est.

Michael Molinos.

Pontifice Innocentio Vndecimo an. 1687. damnatus, & solemniter abiuratus Romæ ob errores omninò abhominabiles. Sacerdos sæcularis Hispanus per hypochrisim adeptus multam famam, turpissima clam docebat verbo, & facto. Moliebatur peruersitatem Euchitarum, seù Messalianorum per quoddam genus Orationis; quam appellabat Orationem Puræ Fidei, seù Orationem Quietis; & reprobans in prouectis, ac exercitatis amplius Meditationum exercitium, hanc prętexebat methodum; vt positi statim per actum Fidei ante Deũ, nullum mentis alium actũ excitarent, sed quiescerent, vt illicò in Deũ absorpti, & eo ipso impeccabiles. Per istas technas occasionẽ sternebat abijciendi scrupulos, & veluti sanctè explendi libidines. Quietistarum ergo sectę molimen Molinos erat; quæ plurimis, enormibusq; dogmatibus contexeretur è præteritis participãs hæresiarchis.

Ipsum

Ipsum nomen Quietistarum aliquando præcessit, pari motiuo, dispari tamen errore. Marcus Battaglinus refert ad 1341. Conciliabulum Constantinopolitanum, in quo Barlaam Catholicus Monacus Basilianus disputauit contra hæreticum Palamam Episco. Thessalon. asserentem, fuisse increatam, & propriè Dei eam lucem, quam spectarunt Apostoli oculis corporeis immissam super Christum transfiguratum in Thabor; cui errori adhærebant Monachi Montis Atho appellati *Isicastæ*, seù *Quiescentes*, vel *Quietistæ*. Hi quippè iactabant, se per attentam, & quietam orationem pertingere ad spectandum Deum oculis ipsis carneis, quapropter chimericum hunc cultum orationis profitentes, in quauis vera virtute torpebant. De his item Spondan. ad 1337. Sed iam denique libet, fœtentes dimittere narrationes; & de confusionis Babylone pupillas dolentes auertere, ac aliqua pro corollario pensare.

Primum quidem, nos per Dei Gratiam Filios Ecclesiæ Catholicæ assiduam debere Deo memoriam cum gratiarum actione; quod ita vocauerit in admirabile lumen suum, & filios lucis destinauerit Fide à parentibus cū lacte infantiæ deriuata; Fide vtique euidentis dignitatis, vtpotè numquam antiquata, sed planè antiqua. In hac consideratione exultandum sanè, sed Domino, & cum tremore: & perspecto infelicissimo aliorum casu, qui stat, videat nè cadat; ac proinde cautè ambulet in Lege Domini, vt perseueret immaculatus in via. Nemo repente fit malus, rependo siquidem peccator descendit, & cum in profundum venerit contemnit.

Cauenda maximè superbia, & sui sensus existimatio; nec pusillanimitas, aut imprudentia videatur, captiuare intellectum in obsequium Fidei, exemplo clarissimorum intellectuum, seù enutritorum in Fide, cuiusmodi fuere tot maximi Hieronymi; seù conuersorum ad Fidem, quales extitere tot summi Augustini; prę quibus velle sapere, est apertè desipere. Vbi de Fidè agitur, absit omnis vel leuicula nouitas; nec effringantur termini, quos posuerunt Patres nostri; quos non fuisse ipsos Christi Apostolos, nemo poterit indicare. Quantumuis personentur lupi sub vestimentis ouium, à fructibus cognoscuntur. Quid enim nouitas per pietatis laruam aucupat, nisi corruptelas? Impatientia, Intemperantia, Iniustitia nullo possunt ocultari fuco. Hic fructus prodit semen, & seminatorem. Dogma, quod in ea compita ducit, priusquam perducat, proclamat præcipitium, & qui procedit, inexcusabilis est.

Catholicus maximè caueat quantumuis iucundam, curiosam, eloquentem pestilentiam prauorum scriptorum. *Venena non dantur, nisi melle circumlita*, inquit Hieron. ep.7. qui optimam dat rationem aduersus Vigilantium, cur quemdam apochryphum librum non legerit; *Quid enim necesse est, in manus sumere, quod Ecclesia non recipit?* Doctrinæ sanæ, & eloquentiæ integræ, thesauris abundamus, nec opus est, in luto gemmas quærere; ac denique pulcherrimum, & salubre, atque ad plura oportunum est eiusdem monitum Eustochio ep.22. *Melius est, aliquid nescire, quam cum periculo disce-*

discere. Norma Fidei sit Scriptura Sacra; sed non priuato pruritu, at publicis Vniuersalis Ecclesiæ traditionibus explicata in Concilijs, in Sanctis Patribus concorditer docentibus, in ipsa irrepræhensæ consuetudinis praxi.

Quod si in hæreticum arma Veritatis, & virtutis Dei obuertenda sint; veram exhibet methodum D.Hiero. in Dial. adu. Lucif. qua *caninam facundiam* reddamus mutam. Themate proposito, in illud præcisè sistamus, nec per diuerticula permittatur euasio. Ratione prius cōfutetur irrationabilis,& in prauum deuius error. Posthac, quia Christianum se appellat hæreticus,& aliquā Christi Scripturam debet admittere,impetēdus est authoritate Scripturæ, cuius sensus iam patebit verus, quia rationabilis. Demum aperiatur per historiam origo erroris, seù directè, seù per consequentiam implicitè aliàs damnati. Hoc progressu in ea disputatione pergit ille maximus Doctor, cuius pulcherrimum colophonē adijcere hic, opere pretiū est. *Breuem,tibi,apertamq; animi mei sententiam proferam; in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata vsq; ad diem hanc durat.* Hoc est Dei ipsius argumentum; Isa.51. *Attendite ad Petram, vnde excisi estis.* Ostendat quicumq; aduersarius, an de Petri petra descendat, an verò in hanc Petram Cepham, quæ Caput interpretatur, suum caput illidat. Comparetur origo disputatę doctrinæ, & statim hæretica erubescet confusa; quarè subdit Hiero. *Sicubi audieris, eos, qui dicuntur Christiani, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari; vt puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, seù Campitas; scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam.* En ergo de dogmatibus Hussitis, Lutheranis, Caluinianis, alijsq; iudicium.

Nouatores hi postremi, vt infamiam nouitatis Fidei in nos deuoluerent, curarunt arietare agnomen Catholicæ Ecclesię obijciendo quasi nouellum, Papisticæ; cum videlicet non possint vnam nominare personam hæresiarchæ, de quo descendamus. At quid? *Papa* est vocabulum pietatis, est nomen officij, & officium Patris. Ostendant, si nouum sit hoc, & quando, vel à quo cœperit. Superest, reliquum textus Hieronymi proferre; *Nec sibi blandiantur, si de scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt; cum & diabolus de scripturis aliqua sit locutus,* (Mat.4.) *& Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo.* Et quæ legitima intelligentia Scripturę? Antiqua Publica Ecclesiæ tot signis à Deo demonstratæ, cui promisit Christus Spiritum Veritatis. Vide finalem demonstrationem. Scriptores Sacrę Scripturæ fuerunt particulares personę in Ecclesia Dei; Si Deus alicui particulari dedit Spiritum Veritatis diffundendæ in disgregatam communitatem,non minus daturum se obligauit congregatæ Communitati Spiritum Veritatis, quæ iudicatura erat Scriptorem Canonicæ Scripturæ, & discretura hunc à Scriptore Apochryphæ, seù fallacis. Per se notum est axioma; *Propter quod vnumquodque tale, illud magis.* Ita Philosophis Aristoteles; ita obinde Theologis Scotus 4.d.11.qu.3.§. Ad argumenta. *Eo spiritu exposita sunt Scripturæ, quo condite.* Conditori, & Expositori.

SOLI DEO GLORIA.

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS
DISSERTATIO PARAENETICA.

De Sacræ Scripturæ Sapientia.

A R G V M E N T V M.



ACERDOTALE munus pronunciat vltimus Prophetarum Malachias capite 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius*. Id ratio magni exposcit officij, vt iuxta Summi nostri Pontificis monitum 1. Pet. 3. per nostrum studium sint populi fideles *parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ est in nobis, spe*. Optimè D. Hieron. l. 2. adu. Iouin. *Nostra Religio, non athletam, non nautas, non milites, non fossores, sed Sapientiæ erudit sectatorem, qui se Dei cultui dedicauit, & scit; cur creatus sit, cur versetur in Mundo, quo abire festinet*. Sapientiæ huius thesaurus absconditus est in agro Sacrosanctæ Diuinæ Scripturæ. Quarè optimo compendio quisque Philosophica cuncta vendiderit, agrum hunc possessurus; in hoc inquam Scripturæ studinm studia cuncta humana direxerit. Id planè intendit, seu Lectorum in Schola, seu Concionatorum in Populis Theologia, cuius est veluti Abecedaria tabella Sacrorum Bibliorum notitia. Descripsere hanc plerique Doctissimi; at non improuidè stadium denuò percurram; nostrosque inuitabo tyrones; qui vt ordinatiùs per examen probandi; vtrum digni, & apti, queis concredita sint eloquia Dei, facillimam habebunt amodo, & in frustula minutam de tam venerabili Dei libro cognitionem. Per clara itaque erotemata procedam; & si cui minus magni desiderij opusculum arriserit, audiat liberè dicentem cum maximo Hieronymo ep. 50. minimum Minoritam; *Aut profer meliores epulas, & me conuiua vtere; aut qualicumqne nostra cœnula contentus esto*.



PRIMVM EXAMEN.

De Sacræ Scripturę necessitate, & maiestate.

QVæritur primò. Quid sit Scriptura Sacra. Respondetur. Est *Verbum Dei scriptum*. Dico *Verbum*, vt conceptum generis, in quo cum alijs conuenit; Dico, *Dei*, estque differentia contradistinguens, seu à profanis verbis, seu à sacris, & Deum ipsum spectantibus, sed humanitùs prolatis;

 latis;

latis; Dico *Scriptum*; estque vlterior differentia à verbo Dei, seù actualiter dicto in reuelatione, seù tradito, quod vocamus Traditiones Diuinas Ecclesiæ Catholicæ. Scriptura Sacra itaq; est ille, vt ita dicam, *Liber librorum*, cuius Author Deus.

Dices. Quicumque liber Deum habet authorem, à quo bona cuncta procedunt. Resp. Vtique habet concausam cum creatura concurrentem; at iste Deum habet, vt vnicam causam creatura vtentem, tanquam instrumento diuinæ reuelationis; quarè toties habet *Hæc dicit Dominus*; vel historicè describit Deum loquentem; vel subintelligitur per hominem ad hoc delectum Deus prædicens, aut Prædicans, iuxtà illud 2. Pet. 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*. Hinc Dauid ps 44. instrumento se comparat, *Lingua mea calamus scribæ*, vt Deum illo vtentem agnoscas.

Quær. 2. An existat aliquis liber habens ita solum Deum Authorem. Resp. affirmatiuè. Siquidem, vt probat Sco. qu. 1. prol. necessaria est homini viatori pro statu isto aliqua doctrina supernaturalis, idest à Deo reuelata. Non reuelat mihi immediatè; ergo mediante alio; atqui ne alius possit me decipere, & reuelationem fingere, est necesse, vt habeatur vnum scriptum illius, cui verè facta est reuelatio; vt ita conferri possit ad illud publicum Scriptum illa doctrina, quam doceor. Et reuerà habet Ecclesia Christi tale scriptum, cuius solius, quod sit à Deo reuelatum, habemus euidentia signa suo loco videnda in examine tertio.

Quær. 3. Quomodo Deus scripsit per hominem, vt per instrumentum. Resp. ex Sco. qu. 1. prol. §. *Tres rationes* id fieri potuisse, vel locutione interiori, videlicet Deo actum cognitionis causante, & cognitionis item de talis actus authore ipso Deo; vel locutione exteriori, apparente nimirum Angelo Deum repræsentante, ac loquente, vel alijs signis v.g. voce delapsa cœlitùs; ac interim Deo intus in anima causante certum assensum de origine, videlicet illam esse diuinam reuelationem publico bono Ecclesiæ exhibitam, & canonizandam. Iam verò talis Dei minister expressit litteris id, de quo instructus fuit aliquo prædictorum modorum; impediente etiam Deo errorem omnem falsitatis in scribendo. Itaque concluditur contra Montani insaniam dicentis arreptitios Prophetas, & nesciisse, quæ scriberent. Vtique sciebant, ideoque & appellantur *videntes*, iuxtà illud, *Visio Isaiæ*: *Visio Abdiæ*; *Liber visionis Nahum*, & alibi; vnde & habetur 1. Reg. 9. *Qui Propheta dicitur hodiè, vocabatur olim videns*.

Quær. 4. Quæ sit necessitas Scripturæ. Resp. verbis Paul. 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura diuinitùs inspirata vtilis est, ad docendum, ad arguendam, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Idem est dicere vtilem, ac necessariam; eo sensu, quo omne medium ad finem dicitur bonum vtile. Est ergo necessaria Scriptura Dei *ad docendum*, quibus medijs certissimè acquiratur vltimus finis noster, & quis ipse

ipse sit certissimè; *ad arguendum* eos, qui profitentes aliquam fidem, errarent circa doctrinam de nostro fine, aut de medijs; *ad corripiendum* peccatores; *ad erudiendum* studiosos, & Pastores.

Quær.5. Quomodo probetur Scripturæ, seù Doctrinæ à Deo reuelatæ necessitas. Resp. ex Sco. qu. 1. prol. probari euidenter ex euidenti insufficientia totius Philosophię, seù scientiæ naturalis. Etenim est euidens in nobis naturale desiderium nostræ Beatitudinis, seù vltimi Finis, seù summi nostri boni. Quilibet vtique experimento percipit, se naturaliter tendere in benè habere, & summè tendere in summè benè habere, quo pacto graue tendit in centrum, aut leue sursum. Iam verò tota quantacumque Philosophia nequit euidenter demonstrare, in quo consistat nostrum summum bonum, seù benè habere; siquidem de euidentibus non est controuersia, atqui de summa hominis felicitate dubitatur inter Philosophos; & controuersia est inter illos, quid sit homini optimum. Aristotiles ponit id in scientijs, seù in contemplatione causæ primæ; atqui patet, nos non satiari hac Metaphysica naturali. Pythagoras, Plato, Stoici ponunt in virtute morali. Epicurus, Aristippus, & alij in delicijs sensualibus, quos patet errasse; nam istæ sunt bestijs communes.

Pretereà non est demonstrabile strictè, an habeat homo solùm istam vitam, & mortalis sit anima; adeoque impossibile est quod sciat, numquid in ista vita possit habere vltimum Finem, seù summè benè esse; ergo loquendo de humana felicitate est miser homo, quantamcumque habeat naturalem Philosophiam. Enim verò non est Beatus, seù Felix, si nesciat se fœlicem, & minus malum esset putare se felicem in infelicitate, vt contingit in stulto, quam putare se non felicem in ipsa felicitate. Ergo cum non sciat is, qui dubitat; ac data quauis Philosophia de Felicitate adhuc euidenter manet dubitatio de eius veritate; sequitur necessitas doctrinæ extra totam Philosophiam naturalem, adeoque supernaturaliter reuelatæ, qua per aliam viam certitudinis æqualis ipsi euidentiæ, & omninò indubitabilem cognoscamus; quis sit noster vltimus Finis, & quibus medijs in illum perueniri possit. En igitur necessitas Doctrinæ reuelatæ, seù Scripturę Sacræ, si habenda sit in nobis Felicitas, seù Beatitudo, seù verum nostrum summum Bonum. At verò à nullo potest esse reuelatio de veritate mihi indubitabili, nisi sit ab eo, qui nec fallere, nec falli potest; adeoque sit de necessitate, seù intrinseca sui natura Sanctissimus, ac Sapientissimus, cuiusmodi dico Deum. Ergo à primo ad vltimum nequeo esse felix, nisi Deus reuelet Scripturam Sacram.

Quær.6. Quodnam sit obiectum S.Scripturæ, seù de quo principaliter tractet, itaut omnia sint ibi tractata in ordine ad ipsum. Resp. Obiectum vltimũ materiale attributionis est Deus, vt inquit Sco.qu.3.prol. Obiectum autem formale est ea ratio perfectissima Dei, quam attingimus pro hoc statu, videlicet ratio Entis Infiniti. Deum esse obiectum Scripturæ patet, quate-

nus de Deo agit. Iam verò si multa tractentur in vno libro, illud est principale, in cuius gratiam cœtera considerantur; atqui in Scriptura omnia tendunt ad cognitionem, & cultum Dei, & ad assecutionem eius, vt nostri vltimi Finis. Reliqua hoc loco disputabilia pertinent ad Scholasticos, ideo ipsis dimittantur.

Quær. 7. Quantæ authoritatis sit Scriptura Sacra. Resp. Omninò irrefragabilis, omninò certissimæ; adeo vt nedum negans voluntariè, sed & dubitans aduertenter, peccet contra Dei Maiestatem, & calumnietur Deum, quasi mendacem. Optimè ait Stephanus Papa, *Dubius in Fide infidelis est*: siquidem qui credit, non dubitat; quare concludit Alphon. à Castro l. 1. cap. 10. esse hæreticum eum, qui aduertenter dubitat in veritatibus Fidei. Est ergo Scriptura Diuina, idemque dicito de Traditionibus Catholicæ Ecclesiæ, nec non de Conciliorum à Sede Apostolica approbatorum definitionibus circa credenda, summæ certitudinis, & nobilioris quoad origine, quam ipsæ euidentissimæ demonstrationes; quippè Scripturæ doctrina est à Deo ipso Magistro insinuata. Hanc summam certitudinem contestati sunt sanguine per inexplicabilia tormenta innumeri Martyres.

Quær. 8. An prẹter dicta sit aliquod aliud scriptum æque authenticum. Resp. Triplex Dei Verbum, Scriptum, Traditum, Definitum à Cathedra Apostolica habet authoritatem Diuinam; reliqua cuncta humanam. Hinc de Scriptura Sacra, quæ quidẽ & traditiones Apostolicas custodiendas nominat, & testimoniũ habet ab Ecclesiæ definitione, ita scribit Augustinus summus maximo Hieronymo. *Ego fateor charitati tuę; Solis eis Scripturarũ libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre; vt nullum eorum Auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam.* Sit quãtumuis excellens Doctor, non est æquiparandum verbo Dei verbũ hominis.

Dices Glossa ad dist. 9. cap. *Noli* ait, dicta Sanctorum Patrum à nobis tenenda vsque ad vltimum iota; ergo parem habent authoritatem, ac Scriptura. Resp. Alphon. à Cast. l. 1. cap. 7. Glossatorem crassè errare; nam patet in pluribus opinabilibus esse inter se oppositos Sanctos Patres; quamobrem grande volumen edidit pro paucis Ferdinandus Velosillus, inscriptum *Aduertẽtia in Sanctos Patres &c.* Fallitur etiam Glossator discurrendo ibi ex cap. *Sancta Romana dist.* 15. etenim in hoc solum notatur irrefragabilis ea Epistola S. Leonis ad Flauianum, vt obseruat etiam marginista.

Quær. 9. Qua Methodo procedat Sacra Scriptura. Resp. ex Sco. 3. d. 24. §. ad *propositum*; Sacram Bibliam non esse datam per modum scientię demonstratiuæ, mendicando notitiam suarum veritatum per discursum; sed solo modo narratiuo, seù doctrinæ, seù historiæ; & omnes veritates exigunt immediatè assensum firmissimum per hanc adiunctionem, *Hæc dicit Deus*, quæ vel exprimitur alicubi, vel aliàs subintelligitur. Credimus ergo singulis, ait Sco. immediatè *propter authoritatem Dei*.

Quær. 10. Vtrum Diuina Scriptura contineat notitiam sufficientem ad salu-

salutem, seù ad consecutionem nostræ Fœlicitatis, & vltimi Finis. Respon. cum Sco. qu.2. prol. In genere Scripturæ esse sufficientissimam; siquidem nil est de Fide tenendum, quod, vel explicitè non sit in Scriptura, vel implicitè. Nam si teneamus per traditionem explicitè, tamen tenendas esse traditiones iubet Scriptura 2.Thes.2. *Tenete traditiones*; & illæ eo ipso patent legitimæ, quatenus non aduersantur Scripturis. Demum si Concilia, vel Pontifices aliquam de Fide controuersiam sententiant, id fit per argumentum ex traditione, vel Scriptura concludens. Ad propositum venit quod ait Origenes l.de Arca Noë. *Nulla scientia omnia scienda explicauit; sed illa, ex quibus possunt alia sufficienter elici.*

Dices. Non solum est sufficiens ea, quam tenemus, sed immo superflua; nam in lege veteri saluabantur absque Scriptura Noui Testamenti. Resp. Nil est ibi superfluum, quippè secundum tempora habentur congruentiæ; & iuxtà illud Aug. *Tempora variata sunt, sed Fides variata non est*; quod opportunè profert explicans dictum Pauli 2.Cor.4. *Habentes eumdem Spiritum Fidei*. Itaque creuerunt articuli credendi, prout Deus reuelauit eos, vel operatus est. Pro tempore legis naturæ satis erat traditio oretenus de Deo Creatore, & venturo Redemptore; pro statu segregati populi Israel fecit Deus multa beneficia, quæ voluit posteris esse nota, & legem dedit cæremonialem adumbrantem futura à Deo nobis præstanda, ideoque creuit extensio veritatum Fidei, & opus fuit scribere; demum pro statu Euangelij venit in carne Deus, & docuit per se, ac per suos Apostolos, quæ voluit à nobis credi, ideoq; & creuit liber.

Quær.11. An Scriptura Sacra sit nobilior scientijs demonstratiuis. Resp. Planè multo nobilior. Tum ratione obiecti, nam est Deus non sub solo conceptu entis infiniti, quomodo in Metaphysica, sed vt Trinus in Vnitate, vt Creator, & Benefactor in ordine ad Vitam æternam. Tum ratione originis, quia non est à creata virtute, sed à Deo. Tum ratione modi, quia habet obscuritatem; & hic modus licèt non dicat perfectionem absolutam, dicit tamen respectu status, qui est status viæ, & meriti; neque enim potest esse virtus laudanda, vel meritum, assensus rei demonstratæ. Hinc optimè Scotus appellat qu.4.later. prol. Scripturam S. *Sapientiam*.

Quær. 12. Quæ dispositiones requiruntur in Studioso Sacræ Scripturæ. Resp. Supposito iam, quod Catholicus es, ac Scripturam profiteris, vt Dei Verbum; & librum prætitulatum *Biblia Sacra vulgatæ editionis* audis publicè in Ecclesia Catholica legi, citari, prædicari, adeoque ipsum suscipis, vt à Deo scriptum; prima præparatio ad eius studium est firma, ac sincera Fides, iuxtà illud Axioma Augustini, *Crede vt intelligas, noli intelligere, vt credas*; si enim quæris euidentiam, amittis Fidem. Secunda est Humilitas; etenim abscondit Deus à Sapientibus sæculi, & reuelat paruulis. Animaduertit Augus.12. Confes.30. esse verba libri Dei, *alta humiliter, & pauca copiosè*, atque adeo exigunt humilitatem animi, qua obuiemus difficultatibus,

tibus, nec pro libito exponere Scripturam velimus; sed pro modo Ecclesiæ, & Patrum Sanctorum. Tertia est reuerentia tanto Dei dono debita; adeoq; summa veneratione habeatur sacerrimus liber. Olim nec licebat promiscuè tangere, dicente Chrysost. ho.52. in Io: *Manus lauamus, cum librum accipimus*. Quapropter summè cauenda, & corrigenda detestabilis ea petulantia, adhibendi per iocum, & ad risum irreuerentem sacros Scripturæ textus. Quarta demum timor cautæ diligentiæ, quo vnus Scripturæ locus illustretur per alium, secundum vestigia Sanctorum Patrum; nam vt monet Aug.83. qu.69. Hæreses ortæ sunt, per se legendo, quæ conferendo repulsæ sunt. Adhibebat Arianus illud, *Pater maior me est*, at detegitur, & detergitur error per istud *Ego, & Pater vnum sumus*. Quod si vtraq; pars obiectum textum pro se explicet, bonam discernet explicationem ratio, & cohærentia cum alijs fundamentis.



SECVNDVM EXAMEN.

De Nominibus, & Elogijs Sacræ Scripturæ.

QVær. 1. Quæ sint propria nomina huius sacri libri. Resp. Dicitur *sacræ litteræ* iuxtà eum sensum D.Greg. l.4. ep.84. *Quid est Scriptura Sacra, nisi quædam epistola Omnipotentis Dei ad creaturam suam?* Dicitur *Biblia*, seù in plurali neutro, seù in singulari fœminino à græco vocabulo *Viulion*, significante librum, seù volumen; atque ita velut antonomasticè hæc Scriptura appellatur Liber; & quomodo dicitur Sanct. n Sanctornní, vel Canticum Canticorum, ita hic planè dicendus Liber librorum. Præterea apud D.Hieron. non semel appellatur *Instrumentum*; quippe mediantibus his litteris ædificantur muri Iersusalem Ecclesiæ Sanctæ in bona voluntate Domini. Item nuncupatur quandoque à Beda, & Cassiodoro *Pandecta*, quo solent nomine appellari libri quidam Iuris ciuilis, & sensus est, omnia hoc volumine compræhendi, quæ sunt perfectæ viuendi normæ fundamenta. Demum communiter appellatur *Testamentũ*, diuiditurque in Vetus ante aduentum Christi, & nouum post aduentum Christi; illud incipit à Creatione, istud à Redemptione.

Quær. 2. Cur Scriptura Sacra appelletur Testamentum. Resp. Per analogiam ad humanos codicillos. Etenim voluntas testatoris expressa in Testamento suo est efficax, vnde & dicitur vltima voluntas; ita nefas est Diuinam transgredi voluntatem expressam in Scriptura. In Testamento instituitur testatoris hæres; atque in Scriptura promittitur nobis vita æterna, Regnum cœleste; quapropter facti sumus *hæredes Dei, cohæredes Christi*, ait Paulus Ro.8. cum conditione essendi in Christo; nam & facti sumus cohæredes Christi, sed per Christum.

Dices.

Dices. Heb. 9. Testamentum in mortuis confirmatum est; iam verò Scriptura tota Ecclesiæ Christianæ, videlicet, incipiendo ab Euangelio Matthæi non est edita ante mortem Filij Dei; ergo nequit dici nouum Testamentum. Resp. Scriptura Euangelica vsque ad finem sacrorum bibliorum dicitur Testamentum confirmatum morte Christi, quatenus est descriptio eorum legatorum, quæ Christus ordinauit ante mortem suam; puta Sacramentorum, & Dogmatum, quorum prolatio fuit ab ore Christi; & ea sacramenta, eorumque virtutem inalterabiliter corroborauit per mortem; quomodo Testamentū in morte redditur inuiolabile. Optimè ergo dicitur hæc Euangelica Scriptura Testamentū; etiamsi scriptū post, nedum mortem, sed Resurrectionem, & Ascensionem; quia est descriptio eorum, quæ Christus instituit, egit, iussit, promisit, docuit ante mortem; eaque omnia vt stipulata verbis, & factis corroborauit morte. Hinc Christus Dominus appellabat Testamentum ipsa sua facta Luc. 22. *Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo.*

Quær. 3. Quibus potissimum metaphoris nominetur Sacra Scriptura. Resp. Iam patet etiam præfata nomina excepto eo *Biblia* esse metaphotica; sed magis ista, quæ sequuntur. Dicitur primò à D. Hier. in 47. Eze. *Lignum vitæ*; Secundò à Lirano in 24. Eccl. *Liber vitæ*; Tertiò à Ruper. in Gen. *Paradisus*; in quo videlicet requirenda est immortalitas. Alijs etiam figuratis locutionibus laudatur; at duas placet dumtaxat metaphoras addere. A D. Hiero. appellatur *vnio*, qua videlicet, margarita pretiosissimè animus ornatur; ita ille alludens ad multiplices Scripturæ sensus epi. 22. Eusto. *Margaritum est sermo Dei, & ex omni parte forari potest.* Demum à Dauide lucerna dicitur ps. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*; vtique necessaria lucerna in hoc caliginoso Mundo, donec dies elucescat. Hinc illud monitum Hieronymi ad Rusticum Monachum epi. 4. *Nunquam de manu, & oculis tuis recedat liber. Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.*

TERTIVM EXAMEN.

De Diuinis signis testificantibus Scripturam.

QVær. 1. An sit euidens, Biblia Sacra esse authore Deo. Resp. Est euidentissimum, non sensibili, sed morali, & cor, seù conscientiam pulsante, atque conuincente euidentia. Primò enim supponitur, esse homini pro sua vera, & certa Felicitate necessariam aliquam doctrinam supernaturalem, seù à Deo reuelatam. Secundò supponitur, Deum Sapientissimum eam Generi humano prouidisse, nè frustra sit conditus homo, vtpotè impotens peruenire ad suum finem, cuius est capax; atqui de eo naturaliter

raliter est incertus, & de sufficientibus medijs planè ignarus. Ex his sequitur, dari certissimè vnum Dei librum, seù à Deo dictatum per reuelationem, qui sit liber non de Philosophia humana, sed omninò supra eam,& de Fide Diuina; & iste liber non sit ignotus, aliàs perinde esset,ac si non esset.

Iam vèrò positis ex vna parte nostris septuaginta duobus libris Bibliorum, triplex fieri potest comparatio; prima cum libro Idololatræ, si quem habet de Fide profitens; secunda cum Alcorano Mahometistæ; & vtraque hæc comparatio est respectu reijcientium totam nostram Scripturam; tertia est nostrorum ipsorum Bibliæ librorum inter se, quatenus à quibusdam hominibus aliqui libri Bibliæ suscipiuntur, vt Diuini; at verò aliqui reijciuntur, vt ficti. Ita Iudæus recipit solum vetus Testamentum, nec ipsum integrum, vt videbimus; atqui hæretici multi inter se variantes recipiunt, vel partē Veteris,& partem Noui,vel solius Noui partē. His prænotatis dico ex Scoto qu.2. prol. singulos sacros libros Canonicæ Scripturæ esse euidenter Diuinos, cuius euidentiæ moralis habemus præsertim sex argumenta.

Sunt autem ista. Primum prædictio Prophetica; Secundum Scripturarum concordia; Tertium scribentium Sanctitas; Quartum recipientium diligentia; Quintum describtorum rationabilitas; Sextum oppositorum dogmatum irrationabilitas; atqui Scripturæ Sacræ nostræ integra irreprahensibilitas. Istæ sex conditiones Scripturæ, veluti sex panes propositionis ex vna parte correspondent sex conditionibus Ecclesiæ, ex altera parte, suntque ita duodecim panes propositionis pro vita Fidelis animæ.Sicut itaque probatur Ecclesia Dei per sua signa, ita & Scriptura Dei per sua signa.

Quær. 2. Quomodo construenda probatio moraliter demonstratiua Scripturæ. Resp. eodem modo, ac demonstratio Ecclesiæ. Nam si dico, illa est Dei Ecclesia; quæ orta per paucos pauperes in persecutione totius Mundi creuit;quæ dilatata est per plura diuersæ nationis Regna; ad quam plurimi sui hostes conuersi sunt nulla intentione vitiosa, luxuriæ, ambitionis, lucri; pro qua plurimi docti, & nobiles, ac diuites maluere vitam in tormentis dirissimis profundere; in qua multa visa sunt miracula inuicta, & nullum vnquam confusum ab Aduersario; demum qua nulla alia est antiquior; hæc vtique sunt signa diuina, nec vllum aliud bonum signum populi Dei potest excogitari. Ista propositio videtur ex terminis ita euidens, vt non sit prudenter negabilis, quippè negans tenebitur,alia meliora, & rationabiliora proferre; & patet, proferri non posse. Hoc posito iam patet per innumeras historias à nullo conuictas de falso, immo neque impugnatas; talia omnia extare in Ecclesia Romana, & non in aliqua vlla communitate hominum;ergo euidenter sequitur Ecclesiā Romanam esse populum Dei.

Ita pariter demonstratur Diuinitas Scripturæ. Illa Scriptura est à Deo; quæ prædixit aliqua futura absque vlla deceptione; quæ in suis partibus nullam habet formalem contradictionem, & non soluibilem; quæ à viris sanctis est scripta; quæ diligentissimo examine est recepta, vt vera,& à Deo

data,

data; quæ nil habet rectæ rationi naturali contrarium, etiamsi excedat naturalem rationem; quæ denique distinguit suos professores à professoribus dogmatum irrationabilium patenter confusorum. Et quidem patet, nullum posse afferri aliud signum diuinius istis, seu côuincens, ad dubitandũ in nostras Scripturas, pro quibus sunt ea signa. Ergo cum hæc omnia loquãtur ex parte Dei, verum est, & innegabile, Deum esse horum authorem.

Quær. 3. Quomodo hoc argumentum possit vrgeri in infideles; Resp. Iam supposito, necessariam esse nostræ Felicitati Doctrinam à Deo reuelatam, & pariter supposito, quod Deus est optimum, & perfectissimum agens; adeòque non condiderit naturam nobilissimam humanam frustra, sed ad suum finem conuenientem naturæ intellectiuæ, sicque media reuelauerit ad eum acquirendum necessaria. Item supposito, quod liber à Deo reuelatus ille sit, qui de cultu Dei agit; patet contra Idololatram, & Mahometistam, suos libros de Religione non esse à Deo, nam continent absurda euidentia. Quid enim absurdius Idolatria? Quid absurdius Alcorano promittente Beatitudinem turpium carnalitatum? Hinc Auicenna Mahometicus, sed tamen Philosophus perhibetur sententiasse, *Lex Maurorum, lex porcorum, quia ponit fœlicitatem in sensu*.

Contra Iudæum sic probatur Diuina veritas Euangelij. Vel habetur aliquod signum probatiuum Veteris Testamenti, vel non. Si nullum habetur; ergo vanè credit, librum illum esse Diuinum, & ita imprudenter credit, & planè detestabiliter asserendo merè gratis Diuinitatem eius libri. Si habet signum prudentiale probans, quòd tunc primò, quando scriptus est v. g. Pentateuchus, Deo authore scriptus est; profectò illud idem signum æque concludet de Euangelio; & probabit venisse Messiam, adimpleuisse legem veterem, promulgasse noua Sacramenta, egisse miracula, triumphasse de morte resurgendo, ascendisse in Cœlum.

Contra Hæreticum, qui aliquid recipit, & aliud reijcit, domonstratur hoc modo. Eadem ratio, quæ conuincit, recipiendum esse hunc librum Bibliæ, quem tu recipis, probat æqualiter pro eo, quem ego, vt Diuinum recipio, tu autem reijcis. Si enim recipis v. g. Deuteronomium, quia recensetur in Canone Hebræorum, & reijcis libros Machabæorum, quia in eo Canone non recensentur; iam patet, quod sicut Synagoga potuit successiuè examinare libros Sacros, & canonizare, v.g. Prophetas recipere diù post Deuteronomium; ita potuit Ecclesia examinare libros Machabæorũ, & recognoscere Diuinos, atque eos canonizare. Ita pariter dic de libris Noui Testamenti, v. g. de Epistola ad Hebræos; Sicuti ideò est sententiatus Diuinus hic liber, v. g. Euangelium Lucæ, quia Ecclesia examinauit, & iudicauit; ita examinauit, & iudicauit reliquam Bibliam.

Igitur quemadmodum prius tempore est Ecclesia, quam Scriptura data Ecclesiæ, ita innegabilis testificatio de Scriptura est ab Ecclesia; quæ vt Diuina Ecclesia nequit falli in his, quæ recipit à Deo, aliàs non esset Di-

S uina

nina, sed à Deo deserta. Porrò quod Ecclesia sit Diuina testificatur Deus signis iam recensitis, & præcipuè miraculis. In principio Ecclesiæ fuere abundantiùs; nunc quoque non desunt; sed si nullum hoc æuo fieret; iam patens est permanens miraculum; Successorem Piscatoris Romæ crucifixi esse Romæ Principem, & à tot Regibus potentissimis venerationi habitum; & non per blanditias, sed sub virga Magisterij, & Disciplinæ. Certè hoc nequit esse, & durare, nisi à Deo, vincente humanas Voluntates. Ab Ecclesia ergo nota euidenter Diuina, habet Diuina Scriptura irrefragabile testimonium externum iuxta quod ait August. cont. epi. fund. *Non crederem Euangelio, nisi quia Ecclesiæ Catholicæ credo.* Cæterum præter externam testificationem Ecclesiæ habet Scriptura suas internas notas iam recensitas, de quibus speciatim aliqua adijcienda.

Quær. 4. Quale ducatur argumentum ex Scripturarum Prophetia. Resp. ex Scoto qu. 2. prol. hoc pacto discurrendum. Prędicere assertiuè futura contingentia potest solus Deus. Iam verò in Genesi cap. 49. prænuntiatus est Messias de stirpe Israel recipiendus à Gentilibus, *expectatio Gentium*; & de eodem multa prædixerunt, Isaias, & alij Prophetæ; idque adimpletum est in Christo; ergo tales libri Prophetiam huiusmodi tradentes dati fuere à Deo. In Euangelio item prædicitur Apostolorum passio, & Euangelij prædicatio in toto Mundo, idque iam adimpletur; ergo huiusmodi liber est à Deo. Hoc argumentum concludit pro illis Sacris libris, qui habent tales Prophetias. Acutè ait Tertull. apol. 20. *Idoneum opinor testimonium Diuinitatis, Veritas diuinationis.*

Nec valet dicere proteruiendo, contigisse casu, vt talia euenerint quomodo fuere prædicta; siquidem imprudentissimum est, affirmare casualitatem in concursu tot diuersarum voluntatum liberarum, quot fuere, quæ suscipiendo Christum Crucifixum comprobarunt adimpletam prædictionem. Cęterum in Ecclesia Catholica semper fuisse per opportuna tempora spiritum propheticum, constat ex tot prædictionibus, quas referunt historiæ Sanctorum. Et videtur Deus nolle permittere, vt vel semel fiat casu, aut solertia dæmonis prædictio de futuro notabili euentu distincta, & sic verificata; vt videlicet saluetur Diuinum signum Prophetiæ. Hinc est quod Oracula amphibologicè, & deceptoriè loquebantur, v. g. *Ibis redibis non, morieris in bello.* Quapropter habetur Deut. 18. *Hoc habebis signum. Quod in nomine Domini Prophata ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus*; quasi dicat, si euenerit, locutus est Dominus per eum.

Dices. Prædixit Ionas euersionem Niniue, & non euenit; ergo non erat verus propheta. Resp. Prædixit conditionatè, si pœnitentiam non egissent Niniuitæ. At replicabis, ita poterit dici de quolibet Pseudopropheta, cuius prædictio non impletur, eum locutum esse sub aliqua conditione, quæ non posita, non debuit euenire prædictio. Resp. Patet de se differentia; nam Ionas vt prædicator loquebatur comminatoriè. Deus Iustus, & Clemens eum

eum miserat intentione, nō perdendi, sed per minas conuertendi Niniuitas.

Quær. 5. An Infideles habuerint donum Prophetiæ. Resp. Nequaquam; nam Luc. 1. Deus locutus est per os Sanctorum Prophetarum; & quamuis possit etiam peccator prophetare, vt Caiphas Io: 11. cautè tamen monemur, quatenus erat *Pontifex anni illius*; quasi dicat, Prophetiæ donum dari vel Sanctitati, vel Ecclesiasticæ dignitati. Cęterum extra Ecclesiam non est Prophetia. Narrat Alphonsus, à Spina l.4. consid.3. Mahometem semel ominatum suis victoriam; at contra superatum, ipsique in foueam lapso collisam fuisse faciem. Lutherus teste Cocleo dixit, fore vt, si biennio prædicaret, in nihilum iret totus Papatus; atqui effutijt viginti duos annos, & nil dimouit à sua firmitate Cathedram Petri, & insanè quidem sui appellant Lutherum Prophetem Germaniæ, atque Eliam.

Dices. Estò hæretici non habuerint, aut habeant Prophetiam, attamen sibillę habuere; ergo Prophetia est extra Ecclesiam aliquando. Resp. De sibillis idem esto iudicium, ac de Balaamo, & idem de Balaam ac de asina Balaami. Deus mouebat exteriùs linguam in seruitium Ecclesię; sic enim ariolus Balaam contra intentionem benedicebat Israeli, & prophetauit materialiter illud Num. 24. *Orietur Stella ex Iacob &c.* Sibillæ quoque in seruitium Ecclesiæ prophetarunt, viam veluti sternentes prædicationi Euangelij; dum Gentiles audirent ab Apostolis ea, de quibus tam antea dixerant, & scripserant sibillæ Gentiles. Hinc in exordio Ecclesiæ prædicatores nostros appellabant veluti irrisoriè sibillinos, quia per sibillarum testimonia confundebant Paganos, quorum testimoniorum vsum videre est apud Lactantium in diu. instit. Sicut ergo prodigium locutionis asinæ spectat ad Dei populum, pro quo actum est, ita prophetia quandoque per infidelem particularem prolata; videlicet ad magis honorandam Dei Ecclesiam in faciem populi inimici.

Quęr. 6. Quale deducatur argumentum ex Scripturarum concordia. Resp. ex Scot. cit. hoc modo. Temeritas contraria lumini naturæ est, negare tamquam falsum id, quod absque contradictione asseritur à pluribus diuersimodè dispositis. Ergo dum Scriptores Sacrorum librorum fuere plures, & diuersis temporibus, & concorditer proferunt doctrinas ineuidentes, & tanquam à Deo ipsis reuelatas, credere tenemur vi conscientiæ, ita planè eis fuisse reuelatas. Ita quidem, dum dicunt Prophætæ, *Factum est Verbum Domini ad me*, & conueniunt in eo, quod dicunt; vel vbi narratur aliquid, vt à Deo dictum, vel factum, & concordat cum alijs huiusmodi, neque adest vllum motiuum suspicionis de fraude; credere cogimur, talia vtique fuisse à Deo dicta; aut facta. Hoc itaque argumentum probat eos articulos, qui apud plures Scripturæ libros habentur.

Dices. Potuit esse, vt posteriores decerpserint à præcessoribus, & idcircò humanus sit iste consensus. Resp. Hoc dicetur temerè, & non prudenter. Quandoquidem non est connaturale hominibus conuenire in rebus

bus ineuidentibus; immo ferè euenit, vt nunquam duo Scriptores in nullo totius libri dissentiant. Notat Augustinus, quomodo Platoni contradixit Aristoteles, qui tamen illius erat Discipulus. Aristippus, & Antisthenes ambo fuere Socratici, at discordes in assignando vltimo fine hominis; quippè id posuit Aristippus in commodis, & voluptatibus corporis, atqui Antisthenes in virtutibus animi.

Quær. 7. An Dogmata infidelium sint inter se concordantia. Resp. Minimè. Nedum hæresis est opposita hæresi, vt Nestorianæ Eutychiana, vel Lutheranæ Caluiniana; sed & ipsi infideles obliti suimet, sibi ipsis contradicunt. Caluini vigintiquatuor antilogias recenset Coccius; Luthærus vltra octingenta mendacia notata à Dietembergio, habet plurimas contradictiones, vt vbi semel in disput. Lipsica concedit, esse Purgatorium; at aliàs in lib. de abrog. Miss. negat Purgatorium. Ita & Mahometes, vt refert Alph. à Spina l. 4. conf. 3. in Alcorano ait vno loco, saluandos omnes, & Iudæos, & Christianos, & Sarracenos; alio loco inquit, nullum saluari, nisi in lege Sarracenorum.

Quær. 8. Quale argumentum pro Scriptura sumatur ex Sanctitate scribentium. Resp. cum August. 11. Ciu. 3. eam esse *Eminentissimæ authoritatis* ex hoc, quod à Sanctis viris edita sit; sequitur enim eos noluisse fallere, nec vnquam dicturos aliquid tanquam certum, de quo non essent certi, si id scriptum offerebant Ecclesiæ ex parte Dei, vt publicè credendum. Sanè comparato scripto Ioannis Euangelistæ Virginis cum scriptis impudicissimi Mahometi, & sacrilegorum continentiæ violatorum, Lutheri, atque Caluini, vendicat ille præ istis fidelitatem, & veritatis zelum. Hoc itaque argumentum dat venerationem illis scripturæ libris, quorum authores sunt certi, & eorum Sanctitas est manifesta in historijs, cuiusmodi sunt, Moyses, Prophetæ, Euangelistæ, Apostoli Epistolarum scriptores.

Quær. 9. Quale sit argumentum ex recipientium diligentia. Resp. Hoc pacto. Intoleranda temeritas est, præsumere plus notitiæ, vel solertiæ sibi soli, quam habuerint doctissimi tot homines in plenis Concilijs. At plena Concilia multo examine præhabito circa veritatem, an talis, vel talis liber esset à Deo, & canonizandus vt talis, receperunt quosdam vt legitimos, alios verò, quamuis non blasphemos, aut improbos, tamen quia dubios, vtrum à Deo fuerint, reiecerunt vt apochryphos; quare ait Hiero. epi. 107. *Apochrypha nescit Ecclesia*. Ita reiecti sunt libri, De periodis Pauli, & Theclæ; De Leone baptizato; Euangelia, Thomæ, Barnabæ, Thaddæi, Andreæ, Bartolomæi &c. Ita tertius, & quartus Esdræ, nec non tertius, & quartus Machabæorum. Ita ergo ex opposito credendum est, esse libros Diuinos eos, quos vt tales Ecclesia post tantam diligentiam profitetur.

Dices. Aliqui libri à principio non fuere canonici; ergo nec debuerunt postea canonizari. Resp. Immo inde confirmatur argumentum videlicet; non leuiter sunt recepti, qui recepti sunt, sed replicata diligentia, quousque

que Ecclesia summé certificaretur, tales esse Diuinos. Cum verò adfuit indubitabilis probatio, repositi sunt in suum locum, videlicet, inter alios.

Quær. 10. Quale argumentum ducatur ex rationabilitate descriptorum in libris Canonicæ Scripturæ. *Resp.* Vtique istud; Omnino gratis, & irrationabiliter negatur, esse à Deo illam Scripturam, seu Scripturæ partem, quæ nil absurdi continet, & à viris doctis, ac pijs affertur vt Diuina. Iam verò licet mysteria credenda excedant rationem naturalem, aliàs non essent Diuina, & Fidem poscentia; tamen non sunt contraria lumini naturali primorum principiorum, seu veritatum ab intrinseco habentium necessariam euidentem veritatem, idque seu in ordine metaphysico, aut physico, seu in ordine morali, vt patet examinando singulas particulas totius nostræ Bibliæ. Ergo qui ex hoc libro quidpiam negat, solo impetu peruersitatis, & nulla ratione mouetur; sicque euidens est, hominem ratione vtentem teneri ad credendum, esse Diuinum hunc totum librum, vt eum tenet Ecclesia Catholica.

Quær. 11. Quale argumentum trahatur ex irrationabilitate Dogmatum contrariorum. *Resp.* Euidenter hoc modo. Deus est Sanctus, & Veritas est vna; ergo quod est vituperabile, vel quod habet manifestam contradictionem, nequit à Deo procedere. Hinc August. 12. de Gen. ad lit. *Cum ad aliquid peruenitur, quod est contra bonos mores, non magnum est tunc, falsam sectam à vera secernere.* Si itaque comparentur Sacris Biblijs, vel Alcoranum, vel Iudiacum Thalmud, per se patet quis horum librorum sit à Deo. Si item in proposito de integrè Sacris Biblijs recipiendis comparetur nostræ antiquæ, & adeò diligenti traditioni, arbitraria libertas hęretici respuentis hanc, vel illam Scripturæ partem; pariter patet, quis horum modorum sit Diuinus, vtpotè ad Dei honorem humiliter tendens; & quis aduersans Deo, quippè sibi arrogans iudicium de scripto Dei. Quis iudicem constituit Ecclesiæ Dei Lutherum, aut Caluinum, vt quasdam Scripturas canonizet, veluti Diuinas, quasdam pro suo arbitratu reijciat, quasi intrusas, aut falsas?



QVARTVM EXAMEN.

De Diuisione librorum Canonicæ Scripturæ.

Quær. 1. Quid sit Canon Scripturæ Sacræ. *Resp.* Græca vox *Canon* significat regulam obseruandam; vndè & ea pars Missę dicitur Canon, quæ in omni Missa seruatur, quasi regula inuariata; quo item sensu in Concilijs conduntur Canones, seu Fidei, seu morum, videlicet statuuntur Regulę; & qui Regulis Ecclesiasticis nauant studia, Canonistæ appellantur. Hoc modo Scriptura Sacra dicitur Canonica, siquidem est nobis à

Deo

Deo data Regula credendi, & operandi. At præterea Canon significat Catalogum, seu numeratam collectionem, quo pacto Clerici certo numero addicti seruitio maiorum Ecclesiarum, seu Collegiatarum, dicuntur Canonici iuxta Concil. Laudicen. cap. 24. & ita dicuntur Sancti Canonizati, qui in serie Sanctorum publicè colendornm recensentur. Hoc modo propriè assignatur Canon Scripturæ; videlicet est Catalogus, seu numerus præfixus tot librorũ, quos Ecclesia recognoscit indubitabiliter, vt à Deo datos.

Quær. 2. Quotuplex est Canon Scripturæ. Resp. Cum D. August. 17. Ciu. 20. & D. Hiero. in prol. galeato, duplicem esse Canonem, seu Catalogum; videlicet, Synagogę hebræorum, & Ecclesiæ Christianorum; ille habet libros veteris Testamenti, scriptos ante, hic autem Noui editos post Christi aduentum. Summa vtriusque Testamenti est librorum septuaginta duorum, quot fuere in diuisione Mundi familiæ Gen. 10. Enumerantur enim è Semo viginti septem, è Chamo triginta, è Iapheto quindecim. Totidem fuere Discipuli Christi in nouo, & Interpretes in veteri Testamento, quos obtinuit à Iudæorum Pontifice Philadelphus Aegypti Rex. Numerus quidem non vacans mysterio, est quippè numerus solidus ex progressu multiplicationis proueniens à ternario; nam 3. per 8. dat 24. atqui 3. per 24 dat 72. & ecce vbique vides numeros memorandos; etenim tres sunt personæ Deus, octo sunt Beatitudines Euangelicæ, vigintiquatuor sunt Seniores cœlestes in Apocalypsi, & partes horariæ integri diei.

Etiam subdiuisio mysterijs plena est. Libri veteris Testamenti sunt quadraginta quinque, isque item est numerus solidus ex eadem radice ternarij; nam 3. per 5. dat 15. & 3. per 15. dat 45. & quinarius est numerus sensuum, & quindenarius graduum Templi. Psalmorumque Gradualium, quasi moneamur, veterem legem fuisse carnalem, sed ordinatam ad ascensiones intelligentiæ spiritualis. Nouum Testamentum habet libros viginti septem, qui numerus est item è radice ternarij solidus, at perfectissimus, vtpotè cubicus ex omni parte idem; quippè 3. per 3. dat 9. & 3. per 9. dat 27. idque videtur indicare à Deo ordinatam summam perfectionem legis Euangelicæ. Nè dicito inanes has considerationes, cuiusmodi non rarò obuias reperis apud Sanctos Patres, Augustinum maximè, & Gregorium.

Quær. 3. Quis sit Canon, seu Catalogus librorum Sacrę Scripturæ, Resp. Ex Concil. Trident. Ses. 4. ipsis eius verbis. *Testamenti veteris; quinque Moysi, idest Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon; Esdrę primus, & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Dauidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias, cum Baruch, Ezechiel, Daniel; Duodecim Prophetæ minores, idest Osee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus, & secundus. Testamenti noui, quatuor Euangelia, secun-*

secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem; Actus Apostolorum à Luca Euangelista conscripti; Quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thesaionicenses, duę ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri Apostoli duę; Ioannis Apostoli tres; Iacobi Apostoli vna; Iudæ Apostoli vna, & Apocalypsis Ioannis Apostoli.

Subdit Concilium. *Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperint, & traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit.* Inquit *Traditiones*; nam sola Traditione potest haberi Canon Scripturę. Neque enim in aliquo Bibliorum Sacrorum libro habetur Catalogus reliquorum; & dato, quod esset, adhuc traditio sola fidem faceret de hoc habente Cathalogum, esse hunc vnum e libris à Deo Ecclesię suæ dictatis. Accepit ergo Concilium Trident. hunc Canonem à Concilio septuaginta Episcoporum Romano an. 494. sub Papa Gelasio; hic autem Pontifex ab Innocentio Primo in epi. 3. ad Exuper. cap. 7. ann. 408. Habet ergo hic noster Canon vltra duodecim sæcula.

Dices. In Concilio Laodiceno, quod fuit circa ann. 320. vt habet Bayl, ponitur ad finem Canon Bibliorum, in quo tacentur libri Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, & Apocalypsis; Resp. Libri Protocanonici dicuntur, qui statim editi, statim in Ecclesia recepti, canonizati, & publicati sunt ob euidentia testimonia eorum originis Diuinæ; at isti omissi in Concil. Laodiceno sunt Deuterocanonici, idest aliquandiu post examinati, reperti legitimi, approbati, & repositi cum alijs in Catalogo, seù in libro Sacræ Scripturæ. Ab exordio cuiusque sacri libri cœpit deriuare in posteros traditio de eius origine Diuina, & habenda de Fide; sed tamen circa aliquos libros ipsa traditio passa est aliquam difficultatem, ideoque tales vt carentes summa certitudine debuerunt prius per Ecclesiam diligentissimè examinari, & tunc indubitatè comperta eorum diuina origine, repositi sunt in Canonem aliorum. Potuit autem tolli dubitatio per aliquod miraculum à Deo patratum coram Pontifice, aut Concilio; quamuis de hoc non habeamus historiam; immo neque scimus, an primò Innocentius Papa præfatos libros Cathalogo aliorum adscripserit. Certè non casu, aut leuiter id egit; neq; in negotio Fidei Deus deest Vicario Christi.

Quær. 4. An liber Apochryphus possit canonizari, seù fieri Canonicus. Respon. consequenter ad dicta affirmatiuè; sed intelligo Apochryphum, idest dubiæ authoritatis, non autem apochryphum falsa continentem. Ita ex D. Hiero. epi. 111. liber Iudith hagiographus olim apochryphus, idest sancta edisserens, sed dubię authoritatis, recognitus est vt Diuinus à Concilio Nicæno. Vsquemodo sunt Apochryphi, tertius, & quartus Esdræ, tertius, & quartus Machabæorum, & oratio Manassis. Quartus Esdræ patitur

tur violentiorem difficultatem, quia cap.4. videtur fauere errori de animabus Deum non videntibus ante diem Iudicij; ac præterea videntur fabellæ, quæ ibi scribuntur de belluis Hemoth, & Leuiathan, quibus non sufficeret tertia pars maris totius. Tamen Cornel. à lapide soluit has difficultates, & demum concludit, hos libros habere plus ponderis, quam historiæ profanorum, puta Liuij, Suetonij &c.

Dices pro hoc quarto Esdræ. Citatur ab Ambros.2. in Luc. & alijs Patribus; immo Ecclesia inde sumit Introitum fer.3. Pentec. *Accipite iucunditatem*; ergo non est Apochryphus, sed canonicus. Resp. Quamuis aliquando citetur, vt non absurdus, non tamen citatur, vt canonicus; neque ex sola citatione reperta apud Patres canonizatus censetur liber, sed ex norma, seù Canone in aliquo Concilio; vel per Summum Pontificem definito. Neque Introitus ille Missæ probat Diuinitatem libri, ex quo tractus est; plura enim habentur in Officijs Ecclesiasticis humana, cuiusmodi sunt multæ antiphonæ, & legendæ Sanctorum.

Quær.5. An liber iam Canonicus possit excidere à Canone, & fieri apochryphus. Resp.Negatiuè; quippè veritas semper manet in suo esse veritatis; & quod semel Spiritus Sanctus declarauit esse verum, ac Diuinum, nequit vnquam fieri dubitabile; nam Deus verax est.

Dices. In Concilio Carthagin. secundo, aliàs tertio, anno 397. can.47. recensentur Salomonis libri quinque, Esdræ duo, Machabæorum duo; at verò in Concilio Rom. sub Gelasio ann. 494. ponuntur Salomonis libri tres, Esdræ liber vnus, Machabęorum liber vnus. Resp. In illo priori non explicantur illi quinque libri, in hoc posteriori exprimuntur tres Salomonis, Prouerbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, & adduntur distincti, Sapientia, & Ecclesiasticus. Itaque hi duo sunt appellati Salomonis, quasi dicas sapientiales; nam planè etiamnum Ecclesia legens Epistolam, seù de Prouerbijs, seù de Canticis, seù de Ecclesiastico prætitulat, *Lectio libri Sapientiæ*. Quo ad Esdram notat D.Hiero. apud Hebræos fuisse in vnum volumen computatos ambos libros, Esdræ, & Nehemiæ. Quo ad secundum Machabęorum, iste etiam supputatur, vt appendix primi, vtpotè quædam Epistola antiquę Synagogæ pertractans de his, de quibus agitur in primo Machabæorum.

Quær.6. Qua via potuit Ecclesia, indubitabilem habere Canonem Bibliorum. Resp. Libri Protocanonici statim editi, statim sunt ab ipso Capite Ecclesiæ Summo Pontifice approbati, & publicati, vt Diuini; v.g. Pentateuchum ab Aarone, aut Eleazaro; alij consequenter ab alijs Pontificibus tempore Dauidis, & Prophetarum &c. Ita in nouo Testamento Euangelia edita sub Diuo Petro, vt & actus Apostolorũ, & Epistolæ Pauli præferentes eius nomen, atque Iacobi, & Iudæ Zelotis; hęc à Diuo Petro fuerunt recognita, ac publica authoritate canonizata; ipsæ autem Petri Epistolæ iam per se patebant authenticæ. Euangeliũ Ioannis, eiusq; Epistolæ canonizatæ sunt

ſunt fortaſſe à Diuo Papa Clemente. Libri porrò Deuterocanonici in Nicæna Synodo canonizati ſunt, nã de libro Iudith id teſtatur D. Hiero. epi. 111.

Credibile autem eſt; aliquo miraculo tunc ſpectato adfuiſſe Diuinum teſtimonium in demonſtrationem Diuinitatis talium librorum, qui cum veneratione quidem ſeruabantur in aliquibus Eccleſijs, at non erat adhuc definitum, fuiſſe Deo authore ſcriptos. Nec enim nunquam Deus miraculum edidit in teſtimonium Sacrorum librorum. Scribit Ioſephus Flauius l. 12. Antiqu. à Ptolomæo Philadelpho interrogatum ſuę magnificæ Bibliothecæ Alexandrinæ Præfectum Demetrium Phalereum; cur Gentilium Poetæ, vel Hiſtorici nullam de ſacris Hebræorum libris mentionem feciſſent; hoc dediſſe reſponſum. Quia cunctis erant æſtimati Diuini, & ſummè venerandi; Theopompum, & Theodectum auſos quædam de Scripturis in ſua ſcripta transferre, Deo pœnas dediſſe, alterum inſania, alterum cæcitate. Zelat ergo Deus Verbum ſuum.

Collige itaque; Catholicum optimè tenere prænotatos ſeptuaginta duos libros Verbi Dei, vtpotè diligentiſſimè in Concilijs examinatos, & declaratos, & per Romanum Pontificem Summum Paſtorem in rebus Fidei omninò infallibilem propoſitos toti Eccleſiæ, vt diuinos. Nec vltra licet ſubdito examinare abſque temeritate, & arrogantia. Hinc Aug. 18. Ciu. 36. *Machabæorum libros, non Iudæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet*; idque Catholico ſufficit, atque idipſum dico de Iudith, ac alijs, qui non ſunt in Canone hebręorum.

Quær. 7. Quarè hi libri, Iudith, Tobiæ, Baruch, Sapientia, Eccleſiaſticus, pars libri Danielis, vterque liber Machabæorum non ſint in Canone hebræorum. Reſp. Canon hebræorum editus fuit in Concilio Synagogę poſt ſolutam captiuitatem congregato ad id, vt Sacri libri ab Eſdra miraculosè reparati authenticarentur. De hac Synodo habet Genebrar. ad an. Mundi 3710. atqui vt mihi licet ſupputare, fuit anno Orbis conditi 3518. ante Natiuitatem Chriſti an. 442. Erat tunc Pontifex Eliachim, & adfuerunt inter alios, Nehemias, Mardochęus, Zorobabel, Daniel, Ananias, Azarias, Miſael, Aggęus, Zacharias, Malachias; ipſeque Eſdras fuit Scriba. Itaque fuit ante tempus Machabæorum, itemque ante ſeptuaginta duos Interpretes, de quorum numero fuere Scriptores Sapientiæ, & Eccleſiaſtici, vt dicemus; iamque patet, cur iſti quatuor libri non ſint in eo Canone, vtpotè tunc nondum editi. Idem dicere poſſumus de libro Iudith, cuius Scriptor eſt ipſe Pontifex Eliachim, & nondum eum ſcripſerat, vt neque duo vltima capitula Danielis tunc fuerant poſita à Daniele in ſuo ſcripto. Liber Tobiæ ſcriptus fuerat in Aſſyria, ſed nondum planè examinatus, vel neque delatus in Iudæam. Liber Baruch pro tunc dimiſſus eſt, vt dubius, ob difficultatem, quia ex vna parte videbatur eſſe ſcriptus à Baruch, ex alia cenſebatur pars ſpectans ad librum Ieremiæ. Volebat autem tunc Deus, vt Canon Scripturæ haberet numerum myſticum Viginti duorum librorum,

sicut & modò totus codex Bibliorum septuaginta duum habet in ipso numero Vniuersitatis Catholicomysterium.

Voluit inquam, vt Canon ille hebraicus haberet præcisè viginti duos libros, qua de re, eiusque mystagogia hæc pulchrè D.Hiero. prol. gal. in libr. Reg. perpendens numerum litterarum alphabeti hebraici. *Quomodo viginti duo elementa sunt, per quæ scribimus hebraicè omne, quod loquimur, ita viginti duo volumina, quibus quasi litteris, & exordijs in Dei doctrina, tenera adhuc, & lactens viri iusti eruditur infantia.* Ex dictis etiam colliges; quare in Canone hebraico non extet finis libri Esther à medio Capite decimo, videlicèt nondum Mardochęus ea posuerat in libro Pontifici præsentato, & prout tunc vnus codex canonicus conflatus est, ita perseuerauit Canonica Scriptura, additis postmodum in particularibus libris, quæ addita sunt. Post aduentum Christi & hæc additamenta Authorum, puta Danielis, & Mardochæi, atque etiam libri prænotati Tobiæ &c.recognita sunt per Ecclesiam Catholicam, vt diuina, & reposita in Canonem.

Quær.8. Quomodo libri viginti duo in hebraico Canone per suas classes distinguantur. Resp.ex D.Hierònymo citato, tres esse ibi librorum series; legalium, quos *Thora* idest, legem appellant; Prophetalium; & Agiographorum. Lex ergo, videlicet Pentateuchus Mosis habet quinque libros; Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeri, Deuteronomium; Prophetæ appellantur hi octo libri; Iosue, Iudicum, & Ruth, Samuelis, nempè priores Regum, Melachim, nempè posteriores Regum, Isaiæ, Ieremię, Ezechielis, ac duodecim Minorum Prophetarum vno volumine. Agiographi ab Hebræis vocantur reliqui, veluti participantes de lege, & prophetia, suntque libri nouem; Iob, Psalmorum, Prouerbiorum, Ecclesiastis, Cantici Canticorum, Danielis, Paralipomenō, Esdræ cū Nehemia, & Esther, sicq; sunt viginti duo.

Quęr. 9. An Esdras reparauerit libros à Nabucodonosore combustos. Not. pro hac, & alijs vicibus, quoties aliorum sententias recitare occurrit, me nolle omnes authores afferre, sed aliquos mihi notiores, & celebriores in Orbe litterario. In proposito; aiunt aliqui, vt Abulen. ad c.24.l.4.Reg. quæst. 12. Lira in 1.Esdr. Cap.7. omnes libros sacros perijsse incendio, quando Nabucodonosor 4. Reg.25. vastauit Ierusalem, ac Templum succendit; atque ita post solutam captiuitatem Diuino spiritu afflatum Esdram eos omnes reparasse, ac prænarrato Concilio præsentasse, à quo & canonizati sunt. At Baronius, Salianus, & alij id negant, ac Bellarm. 2. de Verbo Dei censet factum illud omninò improbabile.

Resp. Non tota Scriptura viginti duum librorum prænotatorum fuerat à Babylonijs incensa; siquidem nec tota adhuc edita, puta libri Esdræ, & Nehemiæ, ac Danielis, & Esther scripti postea. Illa autem Scriptura, quæ in Templo extabat, conflagrauit cum Templo; adeoque verè Esdras reparauit eos libros; & vt inquit D.Basil. Epist. ad Chilon. *Esdras omnes Diuinos libros ex mandato Dei eructauit*; intellige omnes, quorum exemplar seruabatur

uabatur

nabatur in Templo. Præfata notantur 4. Esdræ 14. *Lex tua incensa est, propter quod nemo scit, quæ à te facta sunt &c.* At instat Syluei. Opusc. 1. ref. 1. quæs. 3. quomodo ergo 2. Esd. 8. dicitur Esdras attulisse librum legis Moysi, & ex eo legisse? Resp. id non cogit, vt factum dicamus antequam reparauerit Scripturam. Legit ergo ex eo nouo libro recens edito.

Dices. Omninò improbabile est, nulla superfuisse exemplaria Scripturæ apud Prophetas, aliosue Sacerdotes, ita vt omninò perierit tota Sac. Scriptura in Templo seruata. Resp. nil mirum, si Prophetæ codices non habuerint, qui Dei affatu pleni non indigebant libris; quoad Sacerdotes autem, aliosue Scribas potuit contingere, vt articulatam quidem haberent Sacræ Scripturæ doctrinam, non autem ipsum textum, qui ob venerationem vnicus seruaretur in Templi tabernaculo. Quod si tanta potuit esse in Sacerdotibus socordia, vt 2. Paral. 34. Pentateuchus dicatur ab Helcia veluti casu repertus in gazophylacio Templi, cuius quidem si extitissent apud alios exemplaria, non ita exhorruisset Iosias audita eius lectione; certè potuit esse in posteris paucitas huiusmodi exemplarium; seù ex reuerentia, seù ex negligentia, ita vt omninò interirent ij libri ab Esdra reparandi; vt testantur etiam, Suidas v. *Esdras*, & Chrisost. ho. 8. Ep. ad hebr. vbi habet, Esdram composuisse *ex reliquijs* Diuinos libros; quorum videlicèt supererant apud particulares libros Scribarum sola fragmina.

Quæres 10. An fuerint olim præter iam dictos alij libri diuinitùs conscripti, qui perierint absque reparatione. Not. quod sparsim in præsentibus citantur 20. libri omninò deperditi. Nominatur siquidem Num. 21. *liber bellorũ Domini*; Iosuè 10. & 2. Regum. 1. liber *Iustorũ*; 3. Re. 11. liber *Verborum* idest, gestorũ *Salomonis*; 3. Re. 1. Verborũ *Regum Iuda*; & *Israel* 1. Paral. vlt. liber *Samuelis videntis*; 1. Reg. 14. liber legis *Regni* scriptus à Samuele; 1. paral. vlt. liber *Nathan*; itemque *Gad*; 2. paral. 9. liber *Abiæ*; item *Addo*, & cap. 12. liber *Semeiæ*; & cap. 20. liber *Iehu*; & cap. 33. liber *Hozai*; 3. Re: 4. ter mille *parabolæ Salomonis*; Itemque *Carmina*, seù cantica quinque millia; 2. paral. 21. *Epistola Eliæ*; 1. Machab. vlt. liber *dierum Hircani*; 2. Mac. 2. *descriptiones Ieremię*; demum in Epist. Iudæ citantur prophetiæ S. *Enoch*; ni potius sit sermo de prophetante prædicando, quam scribendo. Addes fortè Epistolam Pauli ad Laodicenses, cuius ipse meminit Colos. 4.

Quoad hos aiunt Abul. in Exo. 17. qu. 7. & Io: de Haye cum communiori, eos libros fuisse quidem Diuinos, & vt se exprimit Sylueira Canonicos in actu primo, Deum autem ob secreta iudicia permisisse, vt perderentur, nec tamen cum iactura Ecclesiæ, dum satis sunt hi superstites. At Resp. cum Salmerone to. 1. prol. 6. can. 4. & Stapletono lib. cont. Vuitaker. tales non fuisse Diuinos; sed cum dicat D. Aug. 18. ciu. 38. Prophetas aliquando vt Homines humana diligentia scripsisse, præfatos libros puto huiusmodi fuisse; nec vllum à Deo editum librum deesse modò in Ecclesia Dei. Id ex eo mihi persuadeo; quòd si Esdras reparauit quodammodo duplicatos libros; puta secundus Paralipomenon habet multa descripta in

 tertio

tertio, & quarto Regum, & Isaiæ 36. 37. 38. narrantur ea, quæ iam dicta erant eodem quarto Regum; adeoque si hæ partes Scripturæ repetitæ non fuissent reparatæ, non videtur fore, vt Ecclesia detrimentum pateretur; & tamen, quia Diuinitùs bis fuerant scriptæ, opus fuit, vt replicatas haberemus; multo magis id euenisset de integris libris.

Deinde, vel ante Esdrā periere, & non sunt ab eo reparati; atq; ita in vanum ille eos citat; seù vt reparator istorum nostrorum, seù vt compilator. Vel post Esdram pessum iere; & videtur imperceptibile, quod posteri paruifecerint viginti libros citatos in Scriptura Canonica, & habitos, vt Diuinos saltim fama vulgari; cum alia parte antiquissimi habeantur, & non deperditi, tertius, & quartus Esdræ. Denique si Esdras eos citat, iam præfuerant; vel ergo adhuc extabant, & quare non sunt repositi in Canone, quando, & isti, in quibus citantur? Vel non extabant, & tunc repeto, ad quid citare, & se quodammodo remittere ad librum, qui nec est, nec vnquā erit?

Dices: citantur in Scriptura Canonica; ergo citantur à Spiritu Sancto; ergo fuisse editos à Spiritu Sancto, habetur vrgens ratio. Resp. citare librum in Scriptura, vel etiam desumere ex libro aliquo aliquam sententiam, non est pro eius Diuinitate facere testimonium; nam D.Paul. Act. 17. citat Aratum, & 1.Tit. Epimenidem Poetas, dum ex illis depromit illas sententias Act. 17. *Ipsius Genus sumus*; & Tit. 1. *Cretenses* &c. Instabis; citantur isti præfati, vt prophetales; v.g. 2.paral. 9. *in visione Addo videntis*. Resp. concedo, Addo fuisse Prophetam vocalem, & vt talis potuit eius liber seruare titulum absque authoritate prophetali; quo pacto v.g. Innocentius Tertius Papa libros edidit aliquos, non tamen decretales istos, quomodo fuere alia eius scripta in Concilio Lateran. Remanet ergo; fuisse eos præfatos libros honestos quidem, ac vtiles, adeoque citatos à Scriptura in studentium commodum, cæterum editos humana industria, & videntur extitisse tempore Esdræ, aliàs non eos citasset; posteà autem perijsse, Deo deserente libros, quos ipse non dictauerat.

Quantum ad Salomonem dico, diuinitùs scripsisse, quæ habemus, humanitùs autem, quæ perierunt; aliàs quare Esdras non canonizari curauit etiā ista? Idem esto de Pauli Epistola ad Laodicenos, honesta quidem, sed non Diuina; de qua D.Hieron. in Catal. §. *Paulus* in fine ait enumeratis illius Epistolis quatuordecim. *Legunt quidam & ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur*, ex quo præclaram colliges maximam, Scripturam non esse Canonicam, quatenus à viro Sancto scriptam, etiam à Scriptore alicuius Scripturæ Canonicæ; nam si Paulus scripsit ad Laodicenses, tamen ea epistola fuit, & mansit aprochrypha, idest dubiæ authoritatis, seù negabilis. Neque vrget, quod ab aliquibus Ecclesijs legatur, vel apud Patres citetur. Nam D.Hieronymus cit. §. *Hermas* inquit; *asserunt authorem esse libri, qui appellatur Pastor, & apud quasdam Graciæ Ecclesias etiam publicè legitur. Reuera vtilis liber, multique de eo Scriptorum veterum vsurpauerunt testimonia, sed apud latinos penè ignotus est*. Per hoc ergo est liber Canonicus, quatenus

nus à Pontifice ex Cathedra, ideſt inuocato Deo, & cum intentione definiendi, præſentatur Eccleſiæ vt Diuinus, ſicque canonizatur. Quod tamen dictum eſt de Epiſtola ad Laodicenos, melius declarabitur, vbi videbimus, non fuiſſe eam Pauli ad Laodicenos, ſed Laodicenſium ad Paulum. Cæterum adhuc ſtat mea maxima, ſuppoſito, quod Eſdras ſit author tertij, & quarti ſui.

Quær. 11. Vtrum in Scriptura Canonica Spiritus Sanctus dictauerit ipſa verba, & eorum poſitionem, an verò ſolum ſenſum in verbis contentum. Not. quod ſi quis mihi narret aliquid, poſſum vel ſcribere hoc iiſdem planè verbis, vel alijs prout mihi magis arrideat. Quæritur ergo, an Scriptores librorũ Canonicorum adhibuerint ſua ipſorum verba, an illa à Deo ipſo reuelata. Hoc loco ſtatim explodendus eſt impius Eraſmus, qui annot. 2. in Mat. 2. blaſphemat, Scriptores Sacros multa falſa veris immiſcuiſſe. Hæc blaſphemia totam deſtruit Fidem, iuxta illud Aug. ad Hier. *Si ad Scripturas Sanctas admiſſa fuerint officioſa mendacia, quid in eis remanebit authoritatis?* & pariter ſi ex ignorantia, vel negligentia obrepſiſſent. Demonſtratio itaque naturalis concludit; librum illum, cui ſumma credulitas habenda ſit, eſſe debere omni parte veriſſimum, aliàs prudenter de ſingulis eius partibus ineuidentibus dubitaretur.

Suppoſito itaque, librum Diuinum eſſe omninò veriſſimum, de modo eius componendi eſt duplex ſententia. Sanchez in 2. Mach. vlt. & Tirinus 2. Mach. cap. 2. num. 27. tenent, Spiritum Sanctum dumtaxat adſtitiſſe pro veritate, ne quid falſum ſcriberetur. At Bannes p. p. qu. 1. art. 8. dub. 3. vocat hanc ſententiam non tutam; quippè communis Theologorum, & Patrum cenſet, nedum veritatem Scripturæ eſſe à Deo, ſed ipſam etiam verborum texturam. Reſp. Ita planè tenendum eſſe; aliàs inutilis eſſet labor, quærere Diuina myſteria in ipſa phraſi verborum; neque eſſet veneranda, vt Diuina, ſed reprehendenda, vt humana ea obſcuritas, quæ oritur ex modo loquendi textuali. Hinc Aug. 12. Conf. 30. Diuina Scripturæ verba appellat, *alta humiliter, & pauca copioſè.* Demũ perpendens plures modos explicandi, & accipiendi prima verba Geneſeos, inquit, hunc eſſe planè Diuinum ſermonem, qui vna voce plura vera ſignificet. Hinc & D. Hier. ait in Epiſ. ad Ephe. *Singuli ſermones, ſyllabæ, apices, puncta, in Diuinis Scripturis plena ſunt ſenſibus.*

Dices Paulus 2. Cor. 11. fatetur ſe imperitum ſermone, idque non ex humilitate protuliſſe, ſed in veritate, fatetur D. Hier. Algaſ. qu. 10. quatenus videlicet Paulus hebraicè quidem diſertiſſimus, minus tamen erat callens Græci idiomatis, quo tunc ſcribebat. Secundò; Scriptor ſecundi Machabæorum in fine petit veniam *ſi minus dignè* ſcripſerit; ſignum, fuiſſe ibi opus humanum, ac defectibile, idque concedi nequit, niſi in modo ſcribendi. Tertiò idem Author cap. 2. teſtatur, ſe opus cœpiſſe *plenum vigiliarum, & ſudoris*, adeoque humana egiſſe induſtria. Quartò author Eccleſiaſtici, &

D. Lucas

D. Lucas in Euangelio præmittunt prologum, qui modus scribendi planè humanus est. Quintò; notat D. Hieron. epist. 101. Apostolos, & Euangelistas referre solitos, non precisa verba, sed sensum sententiæ veteris testamenti; atqui si verba ipsa essent Diuina, illa ipsa essent transumenda. Sextò; Paulus 1. Cor. 7. ait *cæteris ego dico, non Dominus*; ergo non omnia Scripturæ verba sunt Diuina.

Resp. ad primum; erat Paulus minus peritus sermone Græco, & quidem poterat Deus, vt alios in die Pentecostes, reddere eum peritissimum; at voluit illo sic imperito vti Deus ipse, veluti qui potens acuere calamum, vult eo obtuso scribere; atqui qualiscumque sit Scriptura, ab ipso scribente ipsa est. Ita planè Deus dimittens Hominem in sua dispositione naturali, vsus est illo; sicque Deus ipse eleganter loquebatur per Isaiam, rusticanè autem per Amos; erat quippè Isaias in Regia eruditus, erat Amos ineruditus pastor. Ad 2. Deus ipse scribebat eam excusationem sui instrumenti, vt modo humano scribendorum librorum se accomodaret, doceretque nos modestum modum scribendi. Ad 3. Exprimitur, qualiter Deus voluit à tali scriptore præmissum humanum studium; cæterum ipse actus tunc erat Diuinus. Ita in definiendis controuersijs Fidei præmittitur humana diligentia Examinis, vt & in Canonizatione Sanctorum; at ipse actus sententiandi est Diuinus per os hominis. Ad 4. Præfigitur in aliquo libro Scripturæ prologus, vt Deum humanè, & nostro modo loquentem agnoscamus, quo pacto pia mater filiolo balbutit. Ad 5. Voluit in hoc Deus ipse nos docere, pluris facienda in loquendo ipsa significata, quam verba significantia. Ad 6. Ipse Deus per Paulum ea scripsit, vt exprimeretur illud esse de consilio, non de præcepto.

Quær. 12. Quę sit in vtroque testamento percommoda librorum partitio per suas Classes. Resp. Quoniam Sacra Scriptura est lex Dei data Ecclesiæ ad consecutionem veram vltimi finis, & distinguitur in legem Veterem, quæ expectabat Christum in primo aduentu, atque in legem nouam, quæ expectat Christum in secundo Aduentu, sunt quatuor ordines tractationum in vtraque Scriptura. Vel enim tractatur ipsa legis institutio, estque pars legalis; vel institutæ legis, atque per legem formatæ Ecclesiæ progressus, estque pars historialis; vel eruditio Ecclesię prouenienss per Dei legem, estque pars sapientialis; vel denique expectatio Christi, qui totius legis est finis, estque ita pars prophetalis. Sunt ergo.

In Veteri Testamento.

Legales libri quinque nuncupati Pentateuchus; Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. Historiales decem & septem; Iosue, Iudices, Ruth, quatuor libri Regum, duo Paralipomenon, Esdras, Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, duo Machabæorum.

Sapientiales quinque; Prouerbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus. Prophetales decem & octo: Psalterium, Isaias, Iere-

Ieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophætæ minores.

In Nouo Testamento.

Legales quatuor, nempè Euangelia, quæ tamen non sunt appellata Tetrateuchus, quia non ab vno Euangelista sunt scripta, vt quinque illi in Pentateucho sunt omnes à Moyse.

Historialis est vnicus liber Actuum Apostolorum.

Sapientiales viginti vnus; Epistolæ videlicet quatuordecim Pauli, duæ Petri, tres Iaonnis, vna Iacobi, vna Iudæ Thaddæi.

Prophetalis vnicus liber Apocalypsis.



QVINTVM EXAMEN.

De Traditionibus Ecclesiasticis.

QVæres 1. quid nomine Traditionis accipiamus. Resp. illam doctrinam Ecclesiasticam, seu de credendis, seu de agendis, quæ cum reperiatur expressa apud veteres Ecclesiæ Patres, non tamen exprimitur in Scriptura Bibliorum; atque idcirco censetur, vel à Chisto ipso, vel ab Apostolis oretenus prędicata; & inde sic successiuè ad posteros venit, quousque ab horum aliquo sit conscripta in suis libris, ipsoque immemorabili, & non impugnato vsu est roborata; vnde August. epist. 118. *Insolentissimæ insaniæ est disputare, an faciendum sit, quod tota per Orbem frequentat Ecclesia.*

Quær. 2. Quotuplex sit traditio. Resp. excludendo modò humanas humano ingenio, & affectata inuentione intrusas in populis, vt erant illæ Pharisaicæ, v.g. quod non esset manducandum illotis manibus, Mat. 7. Vel quod in sabbatho non liceret ægrotos sanare, Luc. 6. & aliæ huiusmodi Iudaicæ; loquendo de traditionibus, quæ sunt in Ecclesia Dei, oportet distinguere, vsum, tradentem, & traditum. Ex parte vsus, vel est traditio generalis in tota Ecclesia Catholica, & ita accipitur in proposito, & rigorosè, vt explicabo; vel est traditio per consuetudinem propagata in aliquo particulari populo; seu particulari Ecclesia, quo pacto ipsa Ecclesia Romana, vt habet vnam limitatam suam Dięcesim, habet quasdam particulares traditiones. De huiusmodi ait Hieron. ep. 28. ad Lucinium, *De Sabbatho quod quæris, vtrum ieiunandum sit, & de Eucharistia, an sumenda quotidie, quod Romanæ Ecclesiæ, & Hispaniæ obseruare perhibentur, illud te breuiter admonendum puto; traditiones Ecclesiasticas, præsertim, quæ Fidei non officiant, ita obseruandas, vt à maioribus traditæ sunt; nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subuerti; sed vnaquæque Prouincia abundet in sensu suo, & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur.*

Obseruatu dignum est; qua phrasi Hieron. appellat pluraliter Romanas Ecclesias, dum agit de Parochijs huius limitati Episcopatus; sic enim sub Episco-

Episcopo Romano sunt multæ *Romanæ Ecclesiæ* Parochiales; at sub hoc Episcopo, qui idem est omnium Episcoporum Episcopus vna est Romana Ecclesia, quia sic vnica est toto Orbe Ecclesia Catholica. Nec moueat scrupulum illa particula, *præsertim, quæ Fidei non officiant*; quia enim agebat Hieron. de particularibus Ecclesijs Prouinciarum, in quibus aliquando etiam fuere ipsi Episcopi hæresiarchæ, fieri potuit, vt ordinassent aliquas obseruantias consuetudinis errori suo fauentes, idque ex comparatione ad normam Fidei dignoscendum prænionuit. Distincte iam procedamus ad reliqua.

Quær. 3. Quomodo distinguatur traditio ex parte tradentis. Resp. alia est Diuina ab ipso Deo, seu Christo Domino insinuata v.g. quod liber Genesis sit Canonicus, seu Diuinus; quod septem sint Sacramenta à Christo instituta &c. Alia est Apostolica ab Apostolis, vt Spiritu Sancto afflatis proueniens; de cuiusmodi ait Hieron. adu. Montan. epist. 54. *Nos vnam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno tempore nobis congruo ieiunamus*. Et huiusmodi, seu Diuinæ, seu Apostolicę traditiones sunt Catholicæ pro tota Ecclesia.

Quær. 4. Quomodo distinguatur traditio ex parte obiecti traditi. Resp. Alia est de Fide, seu de credendo, v. g. quod sint tantum quatuor à Deo conscripta nobis Euangelia; alia est de moribus, aut ritibus, seu de agendo, v. g. exorcismum ordinariè pręmittendum Baptismo; non esse rebaptizandum baptizatum ab hęretico adhibente ordinariam materiam, & formam &c. Itaque de traditionibus, seu Diuinis, seu Apostolicis, per quas semper sese direxit Ecclesia, optimè ait Tertullianus de Corona Militis cap. 4. *Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides obseruatrix*. Vtique fides obseruatrix, quæ obseruandas illibatè prædicat, clamante Paulo 2. Thess. 2. *State, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram*. Quapropter de huiusmodi Chrysost. ho. 4. *est traditio? nihil quæras amplius*.

Quær. 5. Quæ sint Traditiones Catholicæ Resp. Primò videtur esse Traditio ab ipso Christo Domino, quod omnes prænotati quadraginta quinque libri veteris testamenti sint Scriptura Diuina. Secundò ab eodem, quod tota illa scriptura in his, quæ necessaria sunt, maneat salua, & incorrupta. Tertiò, quod habeamus legitimum eius sensum, adeòque prædictiones de Messia accipiendas, non quomodo Iudæi distorquent, sed quomodo explicat Ecclesia. Quartò, quod Sacramenta sunt septem; & quidquid ad materiam, formam, & Ministrum Sacramentorum attinet; adeòque Baptismi sufficientem Ministrum quemlibet esse hominem, etiam infidelem; quapropter ab huiusmodi collatum Baptisma non sit repetendum. Quintò, quis cuius Sacramenti sit capax; puta Baptismi omnes, etiam paruulos, aliorum non nisi baptizatos, Ordinis non nisi masculos. Sextò, quod Maria est semper Virgo etiam post partum. Septimò, videntur Apostoli docuisse

cuisse ab se congregatis ordinatos ritus præcipuos in exercitio Sacramentorum, v. g. quod Baptismum præcedat exorcismus; quod Chrisma quotannis renouetur; quod aqua misceatur in Calice consecrando. Item quædam spectantia ad Ecclesiasticam disciplinam; vt ieiunandam vnam quadragesimam antè Pascha; alia etiam quatuor tempora ieiunij breuis &c. Octauò, libros Testamenti Noui esse Canonicos, habemus traditione particulariter descendente ab ea persona Apostoli, aut Euangelistæ scribentis, & sua manu præsentantis, ac prædicantis; quæ traditio certissimis testimonijs examinata, & comperta certissima, citò multiplicatis exemplaribus per totam Ecclesiam diffusa est, inspirante Deo illis primis totius Orbis Episcopis Apostolorum Discipulis, vt has Scripturas reciperent tamquam datas à Deo, atque à ceteris discernerent. Deuterocanonici tamen libri noui testamenti, puta Epistola ad Hebræos, & Apocalypsis videntur habere suam authenticam traditionem à sententia Romani Pontificis, seu Clementis, seu alterius successoris non diu distantis.

Denique, vt alia prænotatis consimilia transeam; ab Apostolis vnà congregatis, venit per Traditionem Symbolum Apostolicum, ab ipsis editum in crypta vicina Ierosolymæ, antequam inter se diuiderent Orbem terrarum ad Prædicationem. Vt ita videlicet in tota vna Catholica Ecclesia vnum idem esset Symbolum, seu signum, ac tessera, qua se inuicem agnoscerent Christifideles sensibiliter. Fortè etiam tunc Apostoli ordinauerunt hanc breuiorem sensibilem fidei tesseram, qua quis & se patefaceret Christianum, & sibimet suam professionem, ac baptismum rememoraret; videlicet Crucis signum à fronte ad pectus, ab armo ad armum, dicendo; *In Nomine Patris &c.*

Quær. 6. an sint necessariò admittendæ Traditiones Diuinæ, & Apostolicæ. Resp. Vtique tanta necessitate, vt ijs ablatis tota fides corruat. Lutherus, Caluinus, & cęteri nouatores id scientes, vt prorsus Fidem euertant, abijciunt omnes traditiones, atque ad solam scripturam appellant; similes Arianis, qui respuebant quidquid non esset expressum in scriptura; atq; ita eos secuti Macedoniani, ac Eunomiani renuebant versiculum *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Hęc astutia Hæreticorum, nedùm est, quia praua eorum dogmata refelluntur ab Ecclesiæ traditionibus; sed quia sic etiam detrahunt authoritatem ipsius scripturæ, quę sine traditione non subsistit. Siquidem si interrogem, an credat fuisse mare rubrum Israelitis apertum, respondebit, se credere, quia id habet liber Exodi; si repetam, quomodo scis certissimè, librum Exodi non esse pseudographum, seu fictitium? Certè, si liber potest se solo sibi testificari, poterit & Metamorphoseos Ouidij recipi, vt liber maximè Diuinus. Est ergo necessarium ad fidem libri Exodi, recurrere ad Traditionem, & dicere; scio esse librum Diuinum, quia ita docuit me Ecclesia per suos Pastores, & hos docuere præcessores, & ita quousque retrocedas ad irrefragabile testimonium illo-

rum ipsorum, qui ediderunt, & signis prodigiosis Diuinis comprobarunt eos libros, quos dicimus Diuinos. Vtique nec videmus authores, nec ipsorum miracula, sed benè videmus hæredes ipsorum librorum, & famæ talis concomitantis eos libros per singulas posterorum generationes.

Obijciunt Hæretici ex 1. Pet. 1. *Redempti estis de vana conuersatione paternę Traditionis*; ergo damnantur, vt vanæ. Item Deut. 12. *Hoc tantùm facito, nec addas quidquam, nec minuas*; ergo illicitum est, quidquid scriptum non est. Demum sequeretur, Scripturam esse imperfectam, & mancam in necessarijs ad salutem. Resp. Diuus Petrus agit de Pharisaicis traditionibus, & Rabbinicis; de quibus D. Hieron. epist. 151. Algas. *Quantæ traditiones Pharisæorum sint, & quam aniles fabulæ, euoluere nequeo, & pleraque tam turpia sunt, vt erubescam dicere. Dicam tamen vnum in ignominiam gentis inimicæ. Præpositos habent Synagogis sapientissimos quosque, fędo operi delegatos; vt sanguinem Virginis, siuè menstruatæ, mundum, vel immundum, si oculis discernere non potuerint, gustu prælibent.* Cęterum in veteri testamento, fuisse Diuinas traditiones, patet; nam ante legem à Mose scriptam seruabatur de præcepto Sabbathum, Circumcisio, & alia à Deo instituta; idque sola traditione. Item post legem Mosi datam, quale fuerit remedium peccato originali in fœmiuis, sola docuit traditio, nam nullibi scriptura exprimit.

Ad illud Deuter. dicimus; Nil concludi; etenim, vbi dicit Deus: *Nec addas, nec minuas*, vetuit, ne quid homines statuerent, vt Diuina authoritate seruandum. Atqui traditiones non sunt ab hominibus, sed à Deo, nempè à Christo oretenus docente omnia, quorum aliqua scripta sunt, alia non scripta; sicut neque omnia Christi facta conscripta sunt, vt testatur in fine sui Euangelij D. Ioannes. Aliquę item sunt traditiones per Apostolos, atqui à Spiritu Sancto sunt, adeòq; non sunt additamenta hominũ, sed Dei. Idipsum dico de definitionibus Fidei per Pontifices, & Concilia, esse hoc Verbum Dei definitum, non humanam doctrinam, sed Dei; nam quidquid de Fide expresè nouiter declaratur, idipsum in Scriptura, vel traditionibus antea habebatur, etsi non adeò expresè prolatum: Planè Conclusio continetur in principijs, nec est diuersi authoris Conclusio, sed eiusdem, cuius sunt præmissę concludentes, sicque multa dicuntur, v. g. de mente Scoti, quæ ipse non expressit, sed de expressis eliciuntur. Et hic quidem discursus quoad credenda. Quantum autem ad alia; si vltra præscriptum in Pentateucho licuit Salomoni, construere lapideum Templum, & multiplicare candelabra, ac Cherubim, festumque Dedicationis celebrare; cur non licuit Apostolis, Ecclesiasticos ritus ordinare? Vltima demum obiectio nulla est; Etenim per hoc quod Euangelium scripserit Lucas, non sequitur, fuisse imperfectum illud scriptum à Matthæo; & sicuti non omnia scripsit Matthæus, ita nec omnia omnes Euangelistæ. Testis est Paulus act. 20. hanc esse Christi sententiam, *Beatius est, magis dare, quam accipere*, quæ tamen à nullo Euangelista recensetur.

Quær.

Quær. 7. Quanta sit tradionum authoritas. Not. me nunc distinctionis gratia accipere nomine traditionis Diuinæ eam, quę est de credendis, siue à Christo vocaliter, siue à Spiritu Sancto mentaliter Apostolis notificata fuerit. Traditiones autem Apostolicas appello eas, quæ sunt de agendis ex ipsorum Apostolorum decreto. Resp. itaque; traditiones Diuinas esse authoritatis Diuinæ, vtpotè à Deo reuelatas, vt veras, atque adeò parem habère vim cum iure Diuino scripto; quod enim Deus reuelauit, nequit vnquam dubio verti, per quemcumq; verè reuelauerit. Traditiones autem Apostolicæ vim habent iuris Pontificij; ideòque & iustis de causis dispensationem habent, vt patet in praxi de ieiunio Quadragesimæ; vel etiam abrogationem,quantacumque solemnitate cœperint, vt pariter euidens est de abstinentia à sanguine, & suffocato, quam statuerant ipsi Apostoli, & id in Concilio act. 15. & tamen abrogatum est.

Hic iam cessabit admiratio, & audax submurmuratio, quod Summi Pontifices tot decreta condiderint; & modò vnus rescindat, quæ statuerat præcessor. Si pro tempore, & occasione potuit aboleri, quod fuerat sancitum in Concilio Apostolorum, nil mirum quod in huiusmodi spectantibus, non veritatem, sed vtilitatem, possit aliter ordinari ab hoc, aliter ab alio, vt habetur *Cap. necesse est dist. 29. & cap. Regulæ ibid.* vbi ex D. Greg. *Regulæ Sanctorum Patrum, pro tempore, loco, & persona, & negotio, instante necessitate traditæ sunt*. Ab hisce circumstantijs non pendet veritas, benè tamen vtilitas.



SEXTVM EXAMEN.

De Scripturæ Sacræ varijs editionibus.

QVær. 1. Quando primò inuenti sint characteres litterarum. Not. quod Deus creatis nostris Protoparentibus infudit in mentem, & phantasiam species vocum, vt possent loqui; ac primæ voces primi hominis fuere nomina animalium, sicuti prima Dei vox humano idiomate fuit appellare hominem *Adam*; Gen. 2. Vtinam primæ voces Adami fuissent gratiarum actionis Deo Creatori optimo. At quæ distinctè memorantur, illæ fuere de vxore; *Hoc os ex ossibus meis &c.* Putat Anton. de Gueuara, primæuam illam Dei colloquentis homini linguam perijsse; At D. Hier. in 3. Sophon. censet oppositum,eamque ipsam esse hodiernam hebraicam, vnde appellat *hebræam omnium linguarum matricem*; & epist. 142. ad Damas. scribit, *Initium oris, & communis eloquij Hebræam esse linguam, qua vetus testamentum scriptum est, vniuersa antiquitas tradidit*. Et quidem non alia ratione nunc diceretur lingua Sancta, potius hebraica, quam græca, qua scripti sunt primò ferè omnes libri Noui Testamenti.

At verò quoad primam originem litterarum obscura est coniectura. D. August. 18. Ciu. 39. Salian. ad an. 875. & alij, quos sequitur Sylueira resol. 3. quæst. 3. putant ab Adamo deriuatas litteras, quarum acceperit à Deo ipso ideas. Honorius Augustodun. 3. de imag. Mun. inuentionem litterarum tribuit Henoch; qui Gen. 5. recensetur quadrinepos Adæ, siue septimus incipiendo ab Adamo. Philo lib. de Abrahamo id accenset huic. Resp. tamen; videri mihi probabilius, quod ait antiquissimus Eupolemus lib. de Iudæ Regibus; *Sapientissimus Moyses litteras Iudæis primus tradidit; & à Iudæis Phœnices acceperunt, Græci verò à Phœnicibus*; videlicet per imitationem. Ita sentiunt D. Cirillus 7. cont. Iulian. Io. de Haye prol. sect. 15. & alij. Hac ratione adducor; nam video Romæ antiquos obeliscos characterizatos historicè Hieroglyphicis; quæ quidem publica Regum Aegyptiorũ monumenta, multo commodiùs intentum recordationis obtinuissent per characteres litterarum, si tunc extitissent.

Ex hoc ipso soluuntur obiectiones; quod Moyses eruditus in aula Pharaonis non potuit id assequi destitutus omnibus litteris præceptorum, vt notat D. August. Item quod refert Iose. l. 1. antiqui. filios Seth scripsisse in duabus columnis omnem scientiam astronomicam. Id totum pro eo Mundi rudimento fieri potuit per characteres quidem, at Hieroglyphicos, non litterarios, & combinabiles in singula verba. At instabis; Iudas Thaddæus scribit, Enochum prophetasse, & extat liber eiusdem Enoch. Resp. ex D. Hieron. catal. §. *Iudas*, librum Enoch esse apochryphum. Et omninò mirum dictu esset, superstitisse vnicum libellum editum ante diluuium; nullum verò alium nec ante, nec post scriptum vsque ad eos Mosis, quos omniũ vetustissimos habemus. Dices; extat liber Iob, in quo etiam cap. 19. legimus; *Quis mihi det, vt scribantur sermones mei*? Adeòque æuo Iobi ante Mosen scribebatur. Resp. Authorem libri Iob fuisse Moysem, dum pasceret oues Iethro, vt censet Origenes, & suo loco dicemus, idque concedit etiam ipse Sylueira qu. 14. Ex quo concludo, Mosen in Horeb pascentem greges adinuenisse litteras. Attamen Sylueira adhuc obijcit. In Bibliotheca Vaticana supra imaginem pictam Adæ sunt litteræ antiquæ hebraicæ, & ad pedes inscriptio; *Adam litterarum inuentor.* Item ex Genebrar. l. 3. Chronol. cap. 35. repertum est anno 1374. in tumulo terra operto in Valle Iosaphat integrum cadauer cum barba prolixa, ad cuius caput lapis hebraicis verbis cælatus hæc referentibus; *Ego Seth tertius genitus filius Adæ credo in Iesum Christum filium Dei, & in Matrem eius de lumbis meis venturos*. Resp. Ordinator picturæ in ea Bibliotheca recens vtique est, fuitque in ea opinione, quæ suo intento exornandi tale Bibliophylacium magis conducebat. Quoad illud cadauer, quis diuinabit, num verè fuerit Sethi? vel si id fuerit, num traditione peruenerit memoria ad tempus diù post Moysen, puta ad aliquem Prophetam, cuius opera conscriptus sit ille titulus? Valdè mirum, per tot sæcula vnicum, & sub humo incisum epitaphium;

phium ; cum neque in spelunca duplici Abrahæ , Gen. 23. nec alibi tale quid insculptum fuerit , & sola traditione noscatur .

Quær. 2. Quo primum idiomate , quibusue litteris editi sint libri Sacræ Scripturæ . Resp. libri testamenti veteris idiomate hebraico litteris antiquis, seu Samariticis; excepto libro Tobiæ , itemque Iudith, Esdræ , & Danielis , qui & sermone , & charactere conscripti sunt Chaldaico , seu Babylonio ; excepto item Ecclesiastico hebraicè edito , sed litteris chaldaicis . At verò Sapientia,& secundus Machabæorum græcè sunt editi. Primus porrò Machabæorum hebraicè , vt & Ecclesiasticus , prout colligo ex D. Hier. epist. 115. sed vt par est credere litteris chaldaicis , quæ iam à tempore captiuitatis adhibebantur passim à Iudæis . Quantum autem ad nouum testamentum totum editum est græcè , exceptis, Euangelio Matthæi , & Epistola ad Hebræos , quæ scripta sunt primo hebraicè , sed charactere prædicto chaldaico , quo etiamnum vtuntur Iudæi . Euangelium autem Marci scriptum est primo latinè Romæ , & idem translatum est in græcum Aquileiæ ab ipso Marco , quod autographum seruatur Venetijs in Thesauris suæ Ecclesiæ.

Quær. 3. Quæ fuerint illæ litteræ Samariticę . Resp. illę ipse à Moyse inuentæ , quibus vsi sunt Hebręi vsque ad Babylonicam captiuitatem . Lingua illa primæua dicta est Hebręa , quia in confusione linguarum , dum fabricaretur Babel Genes. 11. illa mansit integra in familia Heber , à quo septimus est Abraham Israelitarum proauus . Hinc & hi dicti Hebręi ; qui adepti Regnum in Palestina distinctum in suas Tribus , diuisi sunt in duo Regna tempore Roboami filij Salomonis . Regnum duarum tribuum , Iuda , & Beniamin , quod mansit Roboamo , cuius Regia Ierusalem , dictum est Regnum Iuda, & dicti obindè magis propriè Iudęi; Alterum verò schismaticum duarum tribuum dictum est Regnum Israel , cuius primus Rex Ieroboam , & caput Regni vrbs Samar , ex quo dicti Samaritani , & Regnum Samariticum . Isti desciuere à perfecto Dei cultu vigente Ierosolymis ; attamen secum retinuere Pentateuchum , quod solum pro Sacra Scriptura voluerunt , reliquis repudiatis .

Samariticum hoc Regnum destructum est à Salmanassar,vt habes 4.Reg. 18. Porrò populi reliquię perseuerarunt , & adhuc ex eo genere ibi superesse , tradit Ioannes Morinus ; qui & quatuor exemplaria Pentateuchi indè potuit expiscari ; sicque & translationem edere latinam . Adhuc ad montem Garizim vrbe Sichem , seu Sichar est eorum Pontifex , cui Samaritæ Hebræi obsequuntur . Hic quotannis tempora Paschatis per encyclicam ijs denuntiat , aliaque sua festa , & habent in eo monte templum, fortè ipso loco , vbi fecerat suum schismaticum Manasses, de quo Iosephus historicus . Aiunt,Moysen scripsisse tredecim exemplaria Pentateuchi ; vnum reponendum ad latus Arcæ fœderis, alia distribuenda duodecim tribubus; & horum vnum adhuc penes se extare iactant . Hi ergo conseruarunt , &

idioma

idioma hebraicum, & characteres prænarratos, quibus vtique & Populus Regni Iuda vsus est, quousque per Nabuchodonosor ducti sunt captiui Babylonem. Ibi siquidem assuescentes characteri Babylonico, nempè Chaldaico per septuaginta annos; postmodum reduces in patriam cœperunt hebraica scribere, non amplius eo vetusto Hebraico, seù Samaritico, aut Mosaico, sed Chaldæo charactere; immo & ipso idiomate Chaldæo, vt dictum est editi sunt aliqui libri sacri, puta Danielis, Esdræ, Tobiæ, Iudith.

Fortasse id egit Esdras, vt quantum posset suos Iudæos à schismaticis illis Samaritis distingueret. Totidem litteras habet alphabetum vtrumque, videlicet viginti duas, & ijsdem nominibus appellatas, *Aleph Beth &c.* sed figuratio prorsus diuersa est. Notatu dignum; Ezechielem scripsisse ante transmigrationem Babylonis, adeoque Samariticis litteris. Vbi ergo cap.9. audit, *signa Thau super frontes gementium, & super quem videritis Thau, ne occidatis*, rutilat Crucis Salutiferæ Mysterium; de quo D.Hieron. in Hiere.16. *Antiquis hebræorum litteris, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani, extrema Thau littera Crucis habet similitudinem.*

Quær.4. An hisce litteris chaldaicis, videlicet nunc vsualibus, eodem modo sit scripta hebraica Biblia olim, & tunc. Resp.negatiuè; nam antiquitùs alphabetum, seù samariticum, seù chaldaicum habuit viginti duas litteras, omnes consonantes, & solis consonantibus vtebantur; ac diuinare vocales oportebat. Cumque plurima sint verba, quorum duo, vel plura constant consonantibus totidem, v.g. easdem habet *Zecher*, quod significat memoriam, & *Zachar*, quod significat masculum, sola traditione propagabatur legitima lectio Scripturæ Sacræ. At frigescente studio, posteriores hebræi selegerunt tres ex præfatis consonantibus, vt opportunè commixtæ cæteris essent loco vocalium. Hæ tres litteræ matrices sunt, *Aleph* pro A & E, *Iod* pro I, & alquando pro E; *Vau* pro V. Cum verò nec ita difficultas esset ablata, adinuenta sunt puncta. Hęc vtique non sunt instituta à Mose, quippe carent punctis litteræ Samariticæ. Neque ab Esdra; siquidem Pentateuchum, quod in synagogis asseruatur, est quidem Assyrijs, seù Chaldaicis litteris, sed absque punctis.

Origo igitur ita est. Euersa Ierosolyma, dispersis Iudæis, & studijs omninò fatiscentibus; ne prorsum perirent Sacræ litteræ apud Iudæos, conuenere in Galilæam plurimi Rabbini; ac Tiberiade congregati adinuenere ea puncta, quæ solent apponi textui nunc vsuali. Tunc dicti Masorethæ Tiberienses, nam *Masoreth* significat traditionem, & *Masora* est veluti postilla, seù notæ marginales, quæ referunt ad apicem notanda in litteris textus. Acta sunt hæc post obitum D.Hieronymi, qui nil de punctationibus idcirco admonuit; Adeoq; referre licet ad annum circa quingentesimum, vel etiam recentiùs.

Quær.5. An semper eadem fuerit capitulorum in textu diuisio. Resp. negatiuè. Veteris testamēti fuit à principio in singulis libris vna textus totius conti-

continuatio; & ipsos libros Pentateuchi appellabant, non aliquo titulo, vt apud nos, *Genesis, Exodus &c.* sed ex primo verbo singulorum librorum, videlicet appellabant primum librum *Beresciith* quod sonat *In principio*, suntque verba ipsa prima Geneseos. Ita Exodum *Ve elle semoth*, videlicet *Hæc sunt nomina*; Leuiticũ *Vaicra*; idest *Vocauit*; Librum Numeri *Vaiedabber*, hoc est *Locutusque*; Deuteronomium *Haddebarim*, videlicet, *Hæc sunt verba*. Porrò titulos nobis vsitatos, *Genesis* &c. apposuerunt Græci Interpretes. Diuisio singulorum Voluminum in sua Capitula, nescitur à quo facta sit; sed quidem videtur tempore Apostolorum posterior, quippè nullibi Christus Dominus, vel Apostoli citant capitulum, cum tamen citetur quandoque numerus psalmorum, vt Act. 13. *In psalmo secundo scriptum est; Filius meus es tu*.

Quo ad textum itaque Græcum, qui erat vsualis eo tempore Apostolorum, nec tamen habebat distincta capitula, eo quod in hebræo non discernantur, videtur ea diuisio cœpisse ab Apostolorum discipulis, sicut etiam tunc similis partitio acta est in noui Testamenti codicibus. Nec tamen vbique vniformiter; vnde refert Haye, Apocalypsim apud Aretam habere capitula 72. Apud Andream Cæsariensem partes habet 24. sed singulas distinctas in tria capitula, suntque item cap. 72. Fortè hi voluerunt alludere numero librorum totius Scripturæ in hoc vltimo eius libro. Latinus quoque textus non semper eamdem habuit partitionem; cæterum Genebrardus tradit editam ab Hugone Cardinali eam latini textus diuisionem in tot capitula, quam mòdò tenemus.

Quær. 6. An hebræus Pentateuchus habeat per modum paragraphorum aliquam distributionem textus in partes. Resp. Affirmatiuè; non quidem in ipso textu in Synagogis asseruato, sed in memoria Rabbinorum. Diuidunt enim totum Pentateuchum in 53. *Sedarim*, hoc est Lectiones; seù *Paraschoth*, idest Distinctiones; quas non aliquo numero distingunt, sed primis verbis, queis incipiunt singulę. Atque ita fit, vt vnam quouis sabbatho legentes, vno anno tota Lex lecta sit. Vnaqueque autem è dictis 53. diuisionibus in septē partes pro septem lectoribus est diuisa. Quando cœperit hæc distributio distinctionũ, nescitur, nùm ante, vel post Machabæos.

Quær. 7. An Hebræi corruperint hebraicum textum veteris Testamenti. Resp. certum est, ad Christi, & Apostolorum tempora non fuisse corruptum, sed in sua primæua sinceritate perstantem; nam, vt D. Hier. in 6. Isa. discurrit, *Nunquam Dominus, & Apostoli, qui cætera arguebant crimina in Scribis, & Phariseis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent*. Certissimum quoque est, authenticum, & omninò sanum fuisse illud exemplar, quod adhibuit D. Hieronymus in traducendo. Etenim si iuxtà Concilium Tridentinum tenemur, vt Dei librum habere nostram latinam vulgatam, necesse est credere, non de vitiato fonte deriuatam. At post æuum D. Hieronymi numquid permaneat apud Hebræos inuiolatus sacer textus, difficultas

ficultas est. Canus 2.de loc. cap. 13. Iacobus de Valentia prol. in psal. Salmeron prol.4.censent,modò nullũ extare habraicum textũ illibatum. At hęc opinio facilè corruit; siquidem extant in Catholicorum Bibliothecis hebraica exemplaria optimè cohærentia cum latino textu vulgatæ in omnibus essentialibus, & pręcipuè quæ pro Christo Domino confundunt Iudęos, quare ab his non sunt falsata, & multo minus à nostris. Sylueira resol.4.qu.2.concludit, hebraicum textum apud nos extare quidem in sua puritate, sed apud Hebræos vitiatum. At graue est argumentum Ioannis de la Haye; quod nullum habeamus autographum, quo de tanto facinore conuincamus eos falsarios. Et quidem si legitima sunt exemplaria, quæ penes nos extant, item eruntea, quæ penes Hebręos, vtpotè nostris conformia. Hinc sentio cum D.Thoma in cap.9. ad Rom. Burgense 2.p. scrutinij script. disc.6.Lyrano ad vlt.Numer. & ad 10. Iudic.non posse conuinci, textum hebraicum fuisse simpliciter corruptum. Et quidem valdè vrget illud Aug.15. ciu.13. *Nullus prudens debet credere, Iudæos tam longè, latèque dispersos conuenisse, & conspirasse in sacrorum voluminum corruptione.* Attamen concederem à Iudæis vitiatum sacrum codicem punctatum, siquidem Masorethæ puncta addidere authoritate priuata; & instigati spiritu non sancto veterem litterarum statum in se immotum dimouerunt hac via; quatenus quæ sine punctis poterant vno modo perlegi, aliter legantur cum punctis. Ita etiam apud nos posset vitiari locutio per apicis additionem, puta si supra, n, ponas apicem, *annus* erit pro tempore; sin demas, erit *anus* vetula. Pariter quidam Hæreticus reddito puncto simplici in interrogatiuum peruertebat aphorismum Augustini dicens; *Qui creauit sine te, non saluabit te sine te?*

At dices. Diuus Iustinus Martyr Dial.contra Triphonem Iudæum queritur à Iudæis falsatum pluribus in locis sacrum textum; at maximè quod psal.95. vbi legimus, *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit*, legendum esset, *quia Dominus regnauit à ligno*, sic enim habent septuaginta Interpretes, & consonat hymnus Ecclesiæ *Vexilla Regis*, vbi habet, *Regnauit à ligno Deus*. Resp. Ita opinatus est D.Iustinus, nec temerè, quippè sciens vilissimam Iudæorum perfidiam; nec certè stetisset ex parte eorum, fœdare Dei verbum scriptum, qui crucifixere,vel abiecere Verbum Deum incarnatum. At non sunt ausi, ne de falsi crimine plecterentur. Et planè si potuissent impunè, multo magis corrupissent Targum, seù Paraphrasim Chaldæam præclarè de Christo scribentem. Quantum itaque ad illud, *Dominus regnauit à ligno*, videtur dicendum, *à ligno* non fuisse vmquam in hebraico, aliàs D. Hier. in sua psal. editione id legeret, nec Ecclesia omitteret in suo vsuali Psalterio, maximè cum sit potius translatum de septuaginta Interpretibus, quam de hebraico fonte. Addiderunt ergo eam voculam tanto mysterio vberem ipsi septuaginta Interpretes, quos fuisse Spiritu Sancto plenos fatentur, Hieron. ep.108.& Aug.18. ciu.43.

Quær.8.

Quær.8. An saltim casu, & incuria describentium sit error aliquis in textu hebraico. Resp. negatiuè, loquendo in essentialibus, nam ad Dei prouidentiam spectat, præseruare verbum suum à fraude etiam casuali, ne Fides vllo modo titubet, sed magis confirmetur ex testimonio Scripturæ existentis inter ipsos Fidei hostes Iudæos. Et quidem si in essentialibus, seù articulis esset mendum in littera hebraica, nescires; num casu, an astu contigisset; neque nostri eius idiomatis periti dissimularent. In accidentalibus porrò potuit fortè obrepere, vt ob maximam quarumdam litterarum similitudinè, iniuria temporis, vel incuria librarij alteram pro altera litteram præsentarent; v.g. vbi legimus Gen. 10. vrbem *Resen* ab Assur edificatam, legebat Eusebius, *Dassem*, vt constat ex libro de locis hebraicis à Hier. in latinum verso. At quid mirum? etiam vulgata latina per summam diligentiam perpolita non euasit humanæ tenuitatis detrimentum, sed sine Religionis vllo detrimento. Sixtus Quintus anno 1589. ordinauit, in Vaticana Typographia edi correcta Sacra Biblia, & tunc teste Francisco Luca emēdata sunt vltra 300. loca, transponendo, addendo, vel demendo iuxtà vetustissima, & maximè fida exemplaria. Nec tamen fuit nimia diligentia; vnde Clemens Octauus opera Roberti Bellarmini, & Ioannis Bapt. Bandini, vt refert Io. Caballutius in notit. Concil. aliam nouissimam correctionem edidit. Nihilominus fatetur Bellarminus, adhuc posse emendatiorem fieri, atque Franciscus Lucas Decanus Antuerpien. ostendit quatuor millia loca, quæ possent adhuc meliorari.

Quær.9. Quæ fuerit prima veteris testamenti translatio. Resp. ea vulgata, seù communis Græca à Septuaginta duobus interpretibus acta anno secundum meam opinionem circiter 3680. idest, ante Natiuitatem Christi anno 280. Hæc est, quam citabant, Christus Dominus, & Apostoli, in ijs tamen, in quibus non discordat à fonte hebræo. Citabant porrò hanc, quatenus vulgata erat etiam inter ipsos Iudæos, in quibus iam tum frequens erat idioma Græcum post Machabæorum ætatem, & Regni Græcorū in Asia prępotentiam. Ipsa hæc etiam in hodiernum est vulgata Biblia veteris testamenti inter Gręcos Christianos, in ijs libris, quos transtulere septuaginta duo præfati Interpretes, vt quę inter alias Græcas editiones preeminet antiquitate, & memoranda origine.

Res ita fuit. Alexander Magnus moriens dedit Aegypti Regnum Ptolomæo Lagi filio; cui succedens alter Ptolomæus appellatus Philadelphus, eo quod sororem connubio sibi copulasset, inter alia percupiuit, Bibliothecam conferrissimam Alexandriæ congregare; imitatione Aristotelis, qui primus omnium fertur, Bibliophylacium construxisse. Bibliothecarium constituit Ptolomæus Demetrium Phalereum Athenienſem olim Principē, sed patria exrorrem, Philosophum egregium; cuius opera sunt adunata ducenta millia voluminum. Cumque nosset, apud hebræos extare vetustissima quædam historiarum, & Religionis monumenta; suasit Regi, petere à Pontifice Iudæorum, qui tunc erat Eleazarus, frater Simonis, filius

Oniæ, nepos Iaddi Pontificis, aliquod prædictorum exemplar, & aliquos interpretes, de hebræo græcum reddituros. Hic senos e singulis tribubus doctissimos transmisit, sicque septuaginta duos, qui ferè numero rotundo citantur LXX. septuaginta. Ob id grato animo Philadelphus remisit liberos centum viginti millia Iudæorum, quos pater Ptolomæus Lagi abduxerat captiuos in Aegyptum.

Tunc euenit inuentio membranæ pergamenæ; siquidem Ptolomæus inuidens, ne alibi pararetur æmula Bibliotheca, clausis maribus, prohibuit papyri ex Aegypto deportationem. At verò Eumenes Pergami excogitauit pellium membranas, tanto meliores papyraceis folijs; earumque copiam Attalus Rex eius frater misit Romam, præclarum planè nouitatis munus. Præfatam septuaginta editionem fuisse omnium primam, aiunt, Baron. & Despierius, licèt Clemens Alex, Genebrar. Bellarm. putent, aliam præcessisse; at profectò, si aderat græca editio, non erat cur interpretes accerserentur, & noua videretur superflua translatio.

Quær. 10. Quo fuerit modo facta ea translatio LXX. Interpretum. Resp. Ad portum Alexandriæ in insula Pharo Ptolomæus, vt fraudem omnem caueret, eos dist inxit singulis cellulis; factumque est, vt hora competente conuenientes, & scripta conferentes, idem prorsus omninò omnes scripsisse reperirentur. Hoc planè fuit grande miraculum; quare à D. Hiero. prol. in Paralip. ep. 108. *Spiritu Sancto pleni* dicuntur; quamuis hic prol. in Pentate. neget, eos in cellulis segregatos scripsisse, adstruens id factum in vnica ampla basilica. At ex opposito concedunt eam cellularum historiam, Irenæus l. 3. c. 15. Cyrillus Ierosol. cathec. 4. Aug. 1. doct. Chris. 15. & ferè omnes etiam moderni, exceptis, Bellarm. Titelm. Masio. Et quidem D. Iustinus, qui fuit circa annum 150. testatur; se proprijs oculis vidisse vestigia ædicularum earum adhuc illo æuo perseuerantia. Diuus Epiphan. in lib. de mensu. refert, fuisse cellulas triginta sex, videlicet binis singulas, sed pariete medio distinctas.

Neque cogit motiuum Diui Hiero. & Bellar. quod Aristæas Ptolomæi hiperaspistes, cuius nempè munus Regem scuto protegere, descripserit huius translationis Biblicę historiam, & ipsa Interpretum nomina recensuerit, nec tamen quidpiam asserat, vt neque Iosephus Flauius, de huiusmodi cellulis. Nam præualet huic silentio intuitio Diui Iustini. At vrgebis; id non potuit esse, quia vnicum illis erat autographum aureis litteris exaratum, & Regi missum ab Eleazaro, vt refert Aristæas præfatus, qui & putatur vnus ex ijs Interpretibus. Resp. Illud fuisse à Pontifice missum; at præterea quilibet Interpretum secum tulerat suum codicem, sciens, ad quid illuc omnes illi scribæ mittebantur.

Quær. 11. Quos libros transtulerint. Resp. Tradunt, Iose. 12. antiq. 2. & Philo in vita Moy. l. 2. ex Aristæa, translatum solum Pentateuchum; idque opus peractum spatio totidem dierum, videlicet septuaginta duorum. Diuus Irenæus l. 3. cap. 25. Iustin. dial. cont. Triph. Chrysost. hom. 4. in Gen.

Gen. aiunt, eos vertisse in Græcum omnes libros, qui erant in hebræorum Canone; immo libros etiam Tobiæ, & Iudith habemus in Biblijs Fortunati Fanensis ex editione LXX, parum diuersa ab ea, quæ extat in Biblijs Regijs. Despierius ita concordat, vt omnes quidem codices hebræos, aut Chaldæos veteris Testamenti, eousque editos transtulerint, sed Pentateuchum septuaginta duobus diebus. Et quidem D.Hiero.epi.135,ad Suniam & Fretel. Psalterium septuaginta Interpretum alijs editionibus confert. Cæterum hoc septuaginta Interpretum opus existimatum est ab hebræis,vt diuinum munus; adeo vt Philo tradat, solitos Iudæos annuatim traijcere in præfatam insulam Pharum septeno stadio distantem ab Alexandria eiusdem patria, ad Deo reddendas grates pro eo successu.

Quær.12. An ea translatio LXX fuerit à Spiritu Sancto. Resp. Certè, si adfuit illud tanti consensus miraculum, par est credere, id extitisse testimonium assistentiæ Spiritus Sancti. Et quidem licèt D.Hiero. præfat. in Pentateu. neget,eos fuisse vates, vocans dumtaxat Interpretes; tamen sese retractat in præf. Paralip. vocans plenos Spiritu Sancto. Diuus Aug.4.doct. Chri. c.7. ait; *septuaginta Interpretes Diuino spiritu interpretati sunt*; & hic est communis sensus veterum Patrum. Quoad formam autem traductionis nota; eam non esse de verbo ad verbum, sed instar nostræ etiam vulgatæ expressiuam sensus verborum, & perfectę sententiæ; quod esse optimum interpretandi genus, probat Diuus Hieron. ad Pammach. epi.101.sed notandum prætereà, eos alicubi addidisse, vt in eo psal.95. *à ligno*, vt superiùs tetigi; aliquando autem subtraxisse de hebraico, reticentes quædam, quæ propalare Gentilibus erat incongruum, vt illud Ose.11. *ex Aegypto vocaui Filium meum*; cuius rei rationem dat D.Hieron. de trad. hebr. *Nè viderentur Iudæi alterum Deum colere, quos ille Platonis sectator magni idcircò faciebat, quia vnum Deum colere dicerentur*. Id autem diuino motu egisse, constat ex dictis.

At grauis vrgetur instantia; ob quam videatur, non diuinitùs ea editio prodijsse, sed humanitùs, immo cum erroribus. Etenim si diuina est illa hebraica primæua, hęc cum discordet, erit humana; maximè autem discordat in quibusdam, quæ apparent inexcusabilia, vt vbi legit vulgata nostra cum hebræa Gen.5. *Vixit Adam centum triginta annos, & genuit Seth*; legunt LXX. *Vixit triginta, & ducentos annos*, atque ferè in ætatibus primorum hominum ante diluuium maxima est differentia à textu hebraico. Ita etiam Ionæ 3. habet hebraica veritas, *adhuc quadraginta dies*; at LXX legunt, *adhuc tres dies*; qua de re valdè perplexus obtupescebat Augustinus; denique concludens, in hoc concedendum mysterium, etiamsi lateat nos. Et quidem non potest prætendi excusatio de amanuensis lapsu; nam vt obseruat D.Hieron. characteres expressiui trium, & quadraginta, nullam habent affinitatem, ob quam potuisset vnus pro altero putari.

Resp. itaque; certè in supputando teneri nos conformari potius ad textū hebraicum, quem exprimit nostra vulgata; neque tamen euenisse per erro-

rem in textu LXX eam diuersitatem; sed per mysterium. Et non rarò vtique collatio diuersarum versionum suppeditat morales conceptus meditationi; v.g. vbi legit vulgata, *In principio creauit Deus*, Diuus Hilarius legit *In Filio fecit Deus*; Aduertit D.Hieron.trad. Genes. non posse dici ita iuxtà hebraicam; neque LXX, vel Simmachum, vel Theodotionem vertisse aliter, quam *in principio*, Aquilam autem *in capitulo*, eo quod in hebræo scribatur *Berescith*; atque si legendum esset *in Filio*, scribendum fuerat *heben*. Attamen quis non videt in hac variatione mysterium? Etenim in Filio Christo creata sunt omnia, quia omnia propter ipsum. Ita dicam in proposito. Verè Ionas prædicabat, *adhuc quadraginta dies &c.* & ista erat comminatio ruinæ; at poterat dicere *adhuc tres dies*, & erat ominatio pœnitentiæ; sicq; planè post tres dies subuersa est Niniue peccatrix, dum per pœnitentiam euasit in Niniuem alteram. Pariter dum variantur toties illi anni vitæ Genes.5. non est mendacium, quippe est mysterium, & quidem satis rationabile; quasi velint docere, vitam præsentem parui faciendam, & rationem totam esse habendam de vita æterna.

Quær.13. An textus LXX sit authenticus, seù faciens publicam testificationem. Resp, Certè fuit tempore primitiuo Ecclesiæ; immo, & hodierno in Ecclesia Græca, quæ semper habuit pro vulgata editionem LXX; qua de re Hiero. epi. 101. *Vires septuaginta editio obtinuit in Ecclesijs; vel quia prima est, & ante Christi facta aduentum; vel quia ab Apostolis, in quibus tamen ab hebraico non discrepat, vsurpata*. Quasi dicat, discrepare quidem, vt supra notauimus, & in talibus præferendam hebraicam, eo quod LXX per mysterium discordant à fonte hebraico; at verò dum agitur de litterali veritate, adduci oportere, quod est maximè litterale. Sed ad rem nostram adhuc pressiùs Augu.18. Ciu.44. *Ego pro modulo meo vestigia sequens Apostolorum; quia ipsi ex vtrisque, idest ex hebræis, est ex septuaginta testimonia prophetica posuerunt, vtraque auctoritate vtendum putaui; quoniam vtraque vna, & Diuina est*. Etiam D.Hieron. vtebatur ea editione, nisi vbi opus erat, ex hebræo adducere quædam testimonia, quæ apud LXX non extant, de quibus infra dicemus; at verò excepta hac occasione, *Vniuersi tractatus mei horum testimonijs texti sunt*, inquit ille lib.2.adu.Ruffin.

Quod si non accipitur ab Ecclesia, pro authentico in materia Fidei, nisi quod est verum, & quod tale est semel, est & semper; sequitur, & veram esse editionem LXX, præscindendo à mendis, quæ obrepserint; & esse authenticam etiam hodiè. Sed tamen in suo vero, & proprio sensu intento à Spiritu Sancto; & proinde non, vt materialiter contradicit hebraicæ veritati, quæ est fons, & norma hac in re; sed prout per hanc hebraicam, cui conformis est nostra vulgata, eruitur verus sensus in textu LXX. Hinc oportet concludere; has Scripturæ editiones, puta hebraicam, Græcam vulgatam, quæ est LXX, & latinam vulgatam nostram esse vnam eamdem Bibliam Dei; neque vllam alteri contradicere vllibi, nisi materialiter, quo pacto in eadem vna editione, puta vulgata latina, sunt plurimæ contradictiones in

appa-

apparentia, sed tollendæ per collationem ad alia loca clariora; & ad legitimum sensum traditione ad nos deriuatum, atque apud Sanctos Patres asseruatum. Denique authenticam esse etiam nunc editionẽ LXX. testatur, & vult Sixtus Quintus, vt infra citabo.

Quær. 14. A quo emendata sit editio LXX Interpretum. Resp. Iam dictum est, hanc fuisse in vsu tempore Apostolorum; quando etiam inter Iudæos, teste Philone vsitatior erat, quam ipsi codices hebræi. Hęc numquam perijt; sed tamen ex librariorum incuria obrepserunt errores, factumque est, vt quod non raro contingit, eueniret; videlicet, Hieronymo teste in Eze. 40. *dum de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis hebraicis facta esse Sarmatica; immo nullius gentis, cum & Hebræa esse desierint, & aliena esse non cœperint*. Ea proper opus fuit correctione; quæ quidem fieri optimè potuit; nam & vsque ad Tertulliani tempus, vt habet ipse apol. 18. extabat vnum autographum vnius ex ipsis septuaginta duobus Interpretibus, & in insigni Bibliotheca Cęsariensis Ecclesiæ in Palestina seruabatur. Itaque emendationem exactam præstitit Origenes. Vbi notandum, correctionem Origenis eam fuisse, quam ipse in Exaplis inseruerat.

Interea verò, non Sanctus Lucianus, vt quidam opinantur, sed alius multo vetustior latinitati donauerat textum ipsum LXX; eaque dicebatur editio Itala Vulgata; quem laborem innumeri per duo sæcula sunt imitati; & audaciùs, quam fas esset. Nam pro suo captu vertentium iam to; æuo Diui Hieron. erant exemplaria diuersificantia, quot codices. Mirum dictu, ne vestigium eorum, vt dicam, adhuc superesse; adeoque putare licet, eam versionem LXX Latinam, quæ nunc extat, illam esse, quam edidit Diuus Hieron. & quidem de emendato autographo, eo videlicet, qui legebatur in Exaplis Origenis; etenim scribit ad Suniam epist. 135. *Septuaginta Interpretum, quę in Exaplis reperitur, & à nobis in Latinum sermonem fideliter versa est; Ierosolymæ, atq. in Orientis Ecclesijs decantatur*: Sicque vulgata hodierna Græca ea LXX esse videtur, quæ in Exaplis extabat, de quibus dicemus.

Hæc igitur Diui Hieron. versio latina LXX, correspondens illi vsuali Orientalium Ecclesiarum, quæ habebatur in Exaplis, videtur ea esse, quam modò habemus; quamque anno 1510. Doctores Complutentes, opera, & impensis nostri Cardin. Francisci Ximenij, postmodum Louanienses emendarunt. Anno deinde 1585. iubente Gregorio Tertiodecimo, Romam peruenere Doctissimi linguarum viri; & post nouennem laborem, præsertim Flaminij Nobilij, prodijt sub Sixto Quinto correctissima Typis Vaticanis. Collatio facta est cum codice vetustissimo Vaticano litteris vncialibus exarato, & antiquitatem duodecim Sæculorum superante, vt aiunt, & consequenter pręcedente D.Hier. Sed fortè coęuus est Hieronymo is codex, & vt dicam ipsius Hieronymi eius latinitas. Verum cuiuscuius fuerit; præfixit ei Sixtus authoritatis testimonium; *Vt vetus Testamentum iuxta Septuaginta recognitum, & expositum, ab omnibus recipiatur, ac teneatur; non autem*

quo-

quomodocumque , sed vt authentica versio ; planè non quomodocumque , nã comprobanda per vulgatam Concilij Tridentini . Sed quoad authorem latinæ hodiernæ editionis LXX, operæ prætium est,diligentiùs indagare .

Quær. 15. An editio latina Septuaginta Interpretum nunc superstes sit, vel authore , vel correctore Diuo Hiero. Resp. affirmatiuè, licèt aliàs cum Io. de Haye , & communi putarim oppositum , eo quod librum Vaticanæ Bibliothecæ prænarratum , à quo ne verbum discrepat hæc nouissima editio , afferant Hieronymo vetustiorem , sed leui coniectura vncialium litterarum . Iam ergo ita discurro . Si codex hic fuit norma , ad emendationem nouissimæ editionis perficiendam, ergo ipse correctissimus est. At verò æuo Hieronymi tum in Oriente , tum in Occidente erant deperditi codices latini LXX correcti ; vel fortè nondum erat aliqua enata editio latina perfecta . Demus enim , extitisse illam appellatam veterem , seu vulgatam , à D. August. dictam Italam , quæ alijs præferebatur ; tunc dico . Si iam hæc irreprehensibilis erat, ad quid Diuo Hieron. labor de Exaplis vertere LXX in latinum ? Et quæ necessitas Romæ ab eodem poscere Psalterij emendationem ? Porrò id egisse , ipse scribit apol. in Ruffin. *Psalterium quoque , quod certè emendatissimum iuxta LXX Interpretes nostro labore dudum Roma suscepit ; rursum iuxta Hebraicum vertens præfatione muniui* .

Rem ergo ita fuisse , licet subodorare . Circumferebantur innumeræ latinæ versiones e textu LXX translatæ , de quibus D.August.2.Doct.Christ. 11. & D. Hier. ait præfat. in Iosue ; *Apud Latinos tot sunt exemplaria , quot codices , cum vnusquisque pro arbitrio suo, vel addiderit , vel subtraxerit, quod ei visum est* . Enimverò quicumque etiam mediocriter Græcolatinus propriam sibi audebat de Græco LXX in latinum vertere editionem , vt notat D. August. Inter has autem vna erat , quæ perperam putatur edita à Sancto Martyre Luciano superiùs nominato . Hæc putatiua Lucianea appellatur Vetus , & vulgata ab ipso D. Hieron. in Isa. 49. ac Itala à D.August.2. Doct. Chri. 14. & præ alijs innumeris laudata ab hoc scribente , *Itala cæteris præfertur ; est verborum tenacior , cum perspicuitate sermonis* .

Sed iam etiam huius vulgatæ exemplaria deprauata vbique euaserant ; vt testatur Hieron. ad Chromat. prol. in Paral. epist.107. *Si septuaginta Interpretum pura , & vt ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superfluè mi Chromati Episcoporum Sanctissime , atque doctissime impelleres , vt Hebræa volumina latino sermone transferrem . Nunc verò cum pro varietate regionum diuersa ferantur exemplaria ; & germana illa antiquaque translatio corrupta sit, atque violata &c.* & demum ait in calce epistolæ ; *Cæterum memini , editionem septuaginta translatorum olim de Græco emendatam tribuisse me nostris* . Et non semel in 2. apol. adu. Ruffin. scribit se Latinis dedisse emendatam editionem LXX. *Septuaginta editionem diligentissimè emendatam ante annos plurimos meæ linguæ hominibus dedi* . Si ergo codex Vaticanus pro emendato habetur, pro Hieronymiano censendus est ; aliàs si æuo Hieronymi superat latina editio emendata,non opus fuisset suo labore,vt etiam in Noui

ui Testamenti editione id præstitit; sed satis fuisset admonitione, & multiplicata sinceri codicis transcriptione.

Quoniam verò non minus, sed plus fortasse laboris, & studij impenditur in emendatione per plurimorum voluminum collationem inter se, & ad prototypon, ac in ipsa translatione; hinc ipse D. Hieron. ad Suniam supra citatus se in latinum transtulisse dicit editionem LXX. Quo item sensu D. Aug. scribit ad Hiero. epist. 10. *Non paruas gratias agimus Deo de opere tuo, quod Euangelium ex Græco interpretatus es*; cui respondet maximus Doctor; *Si me in emendatione Noui Testamenti suscipis &c.* Ex quibus omnibus concludam suo loco, totam vulgatam editionem hodiernam opus esse D. Hieronymi, quà ex Hebræo vertentis, quà ex Græco per laborem non imparem emendantis.

Quær. 16. An ante aduentum Christi facta sit prȩter eam LXX vlla alia translatio Bibliorum. Resp. Non est acta translatio propriè; sed lato modo sumpta vtique acta est; illa videlicet, quȩ *Targum* appellatur, seu Paraphrasis Chaldaica, posterior editione LXX; authoribus quibusdam Pharisȩis Rabbinis, Aquila, seu Onchelo, Ionathan, & Iosepho cȩco, vt autumat Lucas Burgensis tract. de Paraph. Chald. Dicitur *Targum*, quod Chaldaicè sonat *Interpretatio*; & quia nec est de verbo ad verbum, nec per puram sententiam sensus, sed per circumlocutionem declaratiuam, dicitur Paraphrasis. Acta est Chaldaicè, vt Iudæis, quorum multi in Chaldȩa degebant, prȩsto esset. Censetur concinnata anno ante natum Saluatorem quadragesimo secundo; tunc enim fuisse Ionathan Ben Vziel, idest filium Vzielis, tradit Galatinus. Editio hæc habet libros omnes contentos in hebrȩo canone iam dictorum viginti duum librorum. Onchelos explicuit Thora, idest Pentateuchum; Ionathan autem libros Prophetales iuxta hebraicam œconomiam, videlicet, Iosue, Iudices &c. Ioseph cæcus denium hagiographa, supra enumerata exam. 4. quȩst. 8.

Notandum autem; esse Targum opus non omnino inutile, quippè plura continens, quæ Fidei adstipulentur; attamen plurima habet inania Thalmudica, e Pharisaicis fabellis; de duobus Messijs, de lamentatione Dei, de ascensione Mosis in Cœlum, de tabulis legis excisis e saphirino Dei throno &c. Latinitati donata hæc Paraphrasis triplex extat; nempè Ariæ Montani in Biblijs Regijs, quȩ & cœpit expurgari à quisquilijs Rabinnicis; altera Petri Costi; alia Complutensis, opera, & iussu Francisci Cardinalis Ximenij, ad Alphonso Zamora, vt cenlet Tirinus in Indice Auth.

Quær. 17. Quæ sint post aduentum Christi Versiones Græcæ Veteris Testamenti. Risp. Post primam iam expositam LXX prodiere multæ aliæ ex hebræo in Græcum. Itaque secunda est Aquilæ Pontici anno 137. nostræ salutis, exprimens de verbo ad verbum. Fuit Aquila ex Gentilitate Christianus, dum ab Imperatore Adriano præpositus, instaurationi Ierosolymæ, vidisset ibi miracula per Christianos patrata, vt refert D. Epiphan. l.

de

de pond. At quia delectabatur genethliaca Astrologia; reprehensus, nec correctus, percussus est excommunicatione, *exclusus est ab Ecclesia, velut inutilis ad salutem.* Ea de causa indignans transijt ad Iudaismum, & circumcisus factus est proselytus, applicuitque se studio linguæ hebrææ. Cumque Ecclesia vteretur editione LXX; in eius odium cœpit hanc translationem carpere, suamque nouam cudere. Et quidem de linguæ peritia laudatur à Diuo Hieronymo epist. 138. *Aquila verborum hebræorum diligentissimus explicator*, sed de malitia cum duobus sequentibus damnatur ab eodem epis. 113. *Iudæus Aquila, & Symmachus, ac Theodotio Iudaizantes heretici multa mysteria Saluatoris subdola interpretatione celarunt.*

Tertia editio recensenda esset Theodotionis acta anno 183. & quarta Symmachi an. 203. at quia in Exaplis Origenis hæc præcedit, appellata est hæc communiter editio tertia. Fuit Symmachus Samarites de numero Sapientum Samarię; qui cum obtinere inter suos primatum non posset, transijt ad Iudęos, ac secundò circumcisus est, factusque Proselytus. At cum etiam in his viueret inglorius, transijt ad Christianos, sed hæreticos Ebionitas; atque ex hebræo, non de verbo ad verbum, sed merè sensum trahens edidit versionem. Notat porrò D. Hieron. tum Aquilam, tum Symmachum duas edidisse versiones, posterioremque vtriusque esse meliorem.

Quarta itaque non tempore, sed loco est editio Theodotionis, quem Epiphanius Ponticum dicit, Euthymius Ephesium. Erat Marcionista, & factus est Iudęus; eiusque translatio, nec est purè per sensus, nec merè de verbo ad verbum, sed vt ait D. Hieron. epist. 125. Dania. *Inter nouos, & veteres medius incedit Theodotion.*

Quinta est ignoti authoris appellata Iericunthina, quia reperta in dolijs testaceis sub terra in vrbe Ierico an. 229.

Sexta item ignoti translatoris dicta Nicopolitana, quia pariter in dolijs reperta anno 230. Nicopoli, non quę est Emmaus, sed ad mare Actium; de qua ab Origene inuenta *in Actiao littore* scribit D. Hier. pręf. in Cantic. Cantic. Origen. Huius, & præcedentis authores fuisse Iudæos, autumat Diuus Hiero. l. 2. apol. adu. Ruffin. Vtraque tamen hæc versio à Sanctis Patribus laudatur.

Septima est Origenis circa ann. 233. quæ non tam dicenda est editio, quam polygraphia textualis, contexta ex editionibus LXX, & Theodotionis; de qua D. Hieron. in prol. Paral. ad Chrom. Ita autem egit; videlicet, vbi aliquid extabat in LXX, & deerat in Theodotionis editione, textum ipsorum LXX Interpretum in margine signauit verubus, seu virgulis; vbi autem extabat aliquid apud Theodotionem, quod non erat in LXX; apponens hoc assumentum ipsi textui horum Interpretum, indicabat signo stellulę marginalis, esse veluti additionem ex Theodotione. Ita ergo de hac Origeniana textura ait Hieronymus cit. *In editione septuaginta Theodotionis editionem miscuit, asteriscis videlicet designans, quæ minus fuerant; & virgulis, quæ ex superfluo videbantur apposita.*

Octaua

Octaua Lucianea à S.Luciano Presbytero Antiocheno, qui anno 285. occubuit Martyr. Hic ex hebræo in Græcum edidit suam translationem; vel potiùs emendauit errores, qui ex librariorum vitio irrepserant in exemplaria LXX. Hoc opus sua manu exaratum pariete turris superducta calce inclusit; atque anno 310. sub Magno Constantino repertum scribit Diuus Athanas. in Synop. Fuit id Nicomediæ, vbi passus est, mox sepultus Helenopoli Bythiniæ. De eo Diuus Hieron. catal. *Lucianus vir disertissimus Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter tantum in scripturarum studio laborauit, vt usque nunc quædam exemplaria scripturarum Lucianea nuncupentur.* Verum hæc Luciani translatio, non valdè probatur Diuo Hiero. qui epi. 123. ad Damas. ait de Luciano, & Hesychio; *nec in toto veteri instrumento post septuaginta interpretes emendare quid licuit, nec in nouo profuit emendasse; cum multarum gentium linguis Scriptura ante translata, doceat, falsa esse, quæ addita sunt.* Quibus in verbis patet, Lucianum in hoc solum laborasse; vt vetus testamentum ederet græcè, potiùs transcribendo editionem LXX, & paucis immutatis; emendando autem nouum pluribus mutatis, quasi ipsum à suo statu diuariauerit. Adeòque nil iuuit ea editio magis quam ordinaria LXX in veteri Testamento; & in nouo potiùs obfuit, falsando, ideſt addendo de suo vltra originale prototypon.

Idem pariter est de Hesychio Monacho, & multorum Monachorum patre in Palæstina; qui claruit anno 360. Hic item, vt Lucianus in veteri Testamento, quasi transcripsit textum LXX, aliqualiter immutans ad maiorem claritatem; & in nouo addidit plura nequaquam addenda. In præfatis autem Hieronymi verbis aliud etiam liquet; videlicet, Scripturam ante Lucianum fuisse translatam varijs gentium linguis, adeòque non dubitandum, quin & latinè: ex quo sequitur, falsum esse, quod à multis adstruitur, editionem Italam, seù antiquam vulgatam latinam fuisse opus Luciani; cum ante istum Lucianum fuerit Latina, & fortasse multiplex editio. Causa æquiuocandi fuit, eo quod Hieronymus ad Suniam epist. 135. scribat; *Sciatis, aliam esse editionem, quam Origenes, & Cæsariensis Eusebius communem appellant, atque vulgatam, & à plerisque nunc Lucianea dicitur; aliam septuaginta interpretum, quæ & in exaplis reperitur.* Quoniam ergo Græca vulgata appellata est Lucianea, obrepsit quibusdam cogitatio, Latinam vulgatam veterem fuisse item Lucianeam; Verum neque ea Græca potuit esse huius Luciani, si erat illa æuo Origenis, qui multo præcessit hanc Lucianeam Nicomediæ repertam an. 310. adeòque post obitum Origenis.

Obtinuit autem ea vulgata Græca, vt æuo Hieronymi diceretur Lucianea; eo quod instar editionis factæ postmodum à Luciano esset ipsa editio LXX, sed potiùs corrupta per aliquas mutationes, quam emendata; vnde subdit ibi Hieronymus, hanc solum esse differentiam inter eam Græcam communem, seu vulgatam, & eam LXX, quæ extabat in Exaplis, quod

ista erat sincera editio LXX, vtpotè per Origenem ad exactissimum autographum Cæsariensis Bibliothecæ correcta; illa autem, quæ dicebatur communis, seu vulgata, scatebat mendis librariorum, & mutationibus nil proficientibus.

Quær. 18. Quid sint Exapla Origenis. Resp. Origenes primò fecit Tetrapla idest, quadruplam distinctionem textus, protendendo simul per singula folia quatuor columnas diuersarum editionum Græcarum. Prima erat LXX, secunda Aquilæ, tertia Symmachi, quarta Theodotionis. Alia vice repetito opere, & per sex columnas distributo, posuit quinto loco editionem Iericuntinam, & sexto Nicopolitanam; atque id appellauit Exapla, idest sextuplicatum scripturæ textum. Demum additis fortasse æuo D. Hieron. vel postea duabus alijs columnis, nempè ante LXX posito ipso hebraico textu, & post Nicopolitanam editionem posita ea Lucianea propria S. Luciani, non autem ea putatiua Lucianea, seu vulgata Græca mendosa LXX, istæ octo editiones dictæ sunt Octapla. In Exaplis itaque Origenis extabat versio LXX, sincera, & perfecta per Origenem emendata, vt scribit D. Hieron. ad Suniam, & alibi. Cæterum notatu dignum est, nunc de illis omnibus editionibus nullam modò, præter illam LXX, superesse; sed solum aliqua fragmenta, quæ Sixtus Quintus in Biblijs Græcis anno 1587. apposuit.

Quær. 19. An supersint translationes vllæ Bibliorum in alias linguas, præter Græcam, & Latinam. Resp. Iam liquet ex D. Hieron. cit. Sacras Scripturas à principio nascentis Ecclesiæ fuisse translatas multarum gentium linguis. Numquid autem, vel omnes illæ antiquæ translationes, vel aliquæ earum modò extent, incertum est. Hoc vtique constat, has sequentes extare, quæ sunt.

Syriaca ignoto authore. Idioma Syrum fuit mixtura quædam habraici, & chaldaici, in captiuitate Babylonica ortum; eo quod Iudæi per septuaginta annos in Chaldæa detenti cœperunt neutram linguâm perfectè possidere. Hic sermo Syriacus erat iam ergo vsualis in Palestina tempore Christi. In hunc ait Bellarmin. l. 2. de ver. De cap. 4. fuisse translatum solum nouum Testamentum; at Serarius ostendit etiam de veteri; & quidem extat demum impressa Romæ, & Parisijs editio Syriaca, quam & latinitati donauit, vt & Arabicam Gabriel Sionita, ait Sylueita; Tyrinus autem id tribuit Sergio Risio Maronitæ Archiep. Damasceno, vt refert in Indice Aut. sed forte duplex est opus.

Arabica authore Rabbi Saadia circa Annum 900. in Pentateucho pro Iudæis per Arabiam dispersis edita; in reliquis autem libris tum Veteris, tum Noui totius Testamenti per Christianos acta. Aliam etiam Arabicam versionem authore Arith Ibna Sina extantem in Bibliotheca Lauretana, & Græcæ potius, quam Hebrææ conformem, latinitati datam à Gabriele Sionita, scribit Sylueі.

Persica,

Persica, de qua mentionem habent, Chrysost. Theodoret. & alij; sed aut extincta, aut occulta. Nouissimè Iacobus Tusius, nempè de vrbe Tus edidit Persicè Pentateuchum in vsum Iudæorum in Persis degentium, vt ait Haye.Prol.sect.17.c.5.qui & latinam prodire hanc translationē, curauit.

Aethiopica, quæ putatur à principio facta, quando illuc Fides delata est per Eunuchum Reginæ Candacis. Aluares in hist. Aethio. affirmat, esse apud Aethiopes Scripturam lingua Tegiana, quæ Abyssinorum est.

Chaldaica editio est Targum supranotatum. Porrò de Targum, seu Paraphrasi id superaddendum; esse tantæ authoritatis inter Iudæos, vt nullus Rabbinorum sit ausus ei contradicere, quamuis pleraque habeat de Christo Domino nostro patentissima. Id autem violare, vel negare non audent, eo quod acta sit ante Christi aduentum; neque eam à Christianis acceperint, sed ipsi Iudæi ediderint.

Gothica etiam editio facta est post annum 400. ab Vlphila Gothorum Episcopo. De Illyrica editione ait Stanislaus Cardinalis Hosius lib. de Sacro vernac.legen. *Dalmatica lingua Sacros libros Hieronymum vertisse constat*; vbi & præmisit comparationem idiomatis Polonici, videlicet Illyrici barbarizantis; *Illud fateamur necesse est, Sclauorum, aut Dalmatarum linguam esse multo elegantiorem, quam sit nostra*. Porrò decipitur in eo, quod putat, in præsenti non celebrari Sacra idiomate Dalmatico. Id certè ego noui experimento, sed & cum admiratione; in solo tractu centum quinquaginta milliarium longitudinis, in cuius meditullio est Iadera mea patria, vulgo *Zara*, in littoralibus, nec non & adiacentium insularum pagis, tum Breuiaria, tum Missalia à Presbyteris adhiberi, idiomate, & charactere Illyrico excusa Romæ typis Sacrę Congregationis de Propaganda. Tam paruo spatio, & loco tam Italiæ proximo, ac solius Adriatici breui latitudine separato, vigere tam singulare priuilegium, certè casuale non est; idque persuadet opinionem de editione Scripturæ Slauonica Diui Hieronymi, ob cuius meritum ea pars suæ gentis tali gaudeat munere.

Adde etiam, characterem litterarum esse ab alio dicto Cirulano, quo Russi vtuntur omnino diuersum, & vocatum *Popouiza*, littera videlicet *Presbyteralis*, fortasse inuentum Diui Presbyteri Hieronymi. At, quod dubitabundum reddit, est; non reperiri Slauonicam editionem ordinatorum, integrorumue Bibliorum, sed dumtaxat traductionem Missalis Romani, & Breuiarij. Quamuis autem non rarò Diuus Hieronymus nominet suæ linguæ homines, præsertim in apolo. adu. Ruffin. mihi non constat, num de Dalmatica, an de Latina vt epist. 105. accipiat. Verumtamen quia potior est conditio possidentis; concedamus, Diuum Hieronymum etiam Slauonicè vertisse Scripturas, vt habet vulgaris Dalmatarum opinio, seù traditio, cui consensit prænotatus Hosius; neque hunc laborem detraham Maximo Hieronymo in hisce indefesso.

Quær. 20. Quæ sint Bibliorum Latinæ versiones. Resp. In primis est nostra vulgata, opus totum, seu ex translatione, seu ex emendatione Diui

Hieronymi, de qua sequens erit examen. Opus inquam adeò exactum, vt nec ipsi Iudæi audeant reprehendere; nec vllus à tempore Diui Hieronymi vsque ad hæresiarcham Lutherum præsumpserit nouam editionem cudere; cum cœteroqui non defuerint in Ecclesia peritissimi linguæ Sanctæ, vt constat de Nicolao Lyrano. Porrò nunc extant licitæ præter vulgatam latinæ editiones sequentes.

Prima Sanctis Pagnini Lucensis Ordin. Prędic. qui Testamentum vetus ex Hebræo, nouum ex Græco transtulit, adhortante Leone Papa Decimo. Completum est opus sub Clemente Septimo, eique dicatum an. 1527. At Theologi Salmanticenses in præfatione ad Biblia Tigurina ab ipsis emendata an. 1584. aiunt de hac editione Pagnini; doctissimam quidem, sed peritorum iudicio obscuriorem, *quod verbum verbo reddere studuerit, & textum esse ad normam Rabbinorum.*

Secunda Isidori Clarij Brixiensis ex Monaco Casinense Episcopi Fulginatis, qui obijt 1555. Is vertit Biblia ex Hebræo in Latinum; at eam versionem minus laudat Canus 2. de loc. cap. 13. & visa est superuacanea, cum parum distet à vulgata.

Tertia est, quæ fertur sub nomine Francisci Vatabli, viri vtique Catholici, qui Parisijs sub Rege Francisco rexit Academiam hebraicæ linguæ annis sexdecim. Sed non Vatabli fuit hæc editio, at Leonis Iudæ Hebræi, hæretici Theodori Bibliandri, aliorumque Zuinglianorum, edita Tiguri, ex quo etiam appellata editio Tigurina. Eam impressit Parisijs an. 1545. Robertus Stephanus typographus Caluinianus sub nomine Vatabli. Corruptiones itaque hæreticorum in hac editione expurgarunt Theologi Salmanticenses, atque ita purgata adscribitur Vatablo.

Quarta est, vel potiùs prima, quam curauit Franciscus Ximenius Card. prodijtque sub Leone Decimo, estque in Biblijs Complutensibus variarum linguarum, à præfato Cardinali per viros peritissimos collectis.

Quinta est, quæ dicitur Biblia Regia prænotatæ imitatrix, studio Benedicti Arię Montani Hispalensis; qui linguarum Orientalium ad miraculum gnarus, ab Hispaniarum Rege Philippo Secundo è montium Bæthicæ recessibus euocatus, octo tomis cum Andræa Masio Bruxellense collegit Biblia Pentaglotta, nempè Hebraicè, Chaldaicè, Græcè, Syriacè, Latinè. Atqui latina separata editio est Pagnini, emendauitque eam Arias; quamuis Bonfrerius dicat, potiùs deprauasse. Prodijt opus Antuerpiæ anno 1573. Ad huius similitudinem est item edita Biblia Regia Parisiensis an. 1641.

Thomas etiam Caietan. Cardin. suam edidit translationem per duos Iudæos, alterum baptizatum, alterum infidelem; cumque esset hebraici sermonis expers, illam alterutrius recipiebat interpretationem, quæ sibi potior videbatur. Id valde repræhendunt, Melchior Canus, & Pineda.

Quær. 21. An liceat habere editionem Bibliorum lingua vernacula. Resp. Non licere ob decretum Pij Quarti, & Vrbani Octaui Constit. 116. *Apostolatus officium*. Idque prudentissimè cautum est, ne imperitis, & dum-

taxat

taxat legere scientibus apertus sit aditus aberrandi, & ad seruandam eloquij Diuini maiestatem. Excipe tamen Priuilegium linguæ Dalmaticæ, qua translatos à Diuo Hieron. sanctos Bibliorum libros fatetur etiam Sixtus Senen. lib.4. Bibliot. Nec benè inquit Sylueira Resol.4. qu.vlt. non adhiberi publicè in Ecclesia idioma Slauonicum; testis quippe ego sum. Centies vidi Breuiaria, & Missalia; atque Officium, ac Missam audiui; immo, quod in vrbibus Dalmatiæ assolet, cantaui toties in sacris mysterijs Epistolas, & Euangelia, quorum ad hoc est impressus pluries liber Venetijs, charactere tamen latino; cum Romæ sint edita Breuiaria, & Missalia litteris Illyricis *Popouizæ*, quibus villici Dalmatiæ vtantur, vt supra notaui. Porrò non sequitur consequentia pretensa à Luthero, Caluino, Brentio; debere ita vbique concedi, vt sacrum vernaculo celebretur; nam priuilegium D.Hieronymi non est trahendũ in exẽplum.



SEPTIMVM EXAMEN.

De Latina versione hodierna vulgata.

QVær. 1. Cuius editio sit ista nostra vulgata. Resp. Tota est Diui Hieronymi, quatenus multam partem ex hebræo, aut Chaldæo vertit in Latinum; reliquum iam latinè editum, sed mendosum emendauit. In principio nascentis Ecclesiæ duæ extabant editiones, videlicet, vetus Testamentum Hebraicũ, & in aliquibus partibus Chaldaicum, in quibusdam etiam Græcum, vt supra notaui exam. præceden. quæst.2. & translatio tota Græca LXX; atque adeo ex his duabus editionibus desumebantur testimonia; atq; deinde ex testamento nouo, prout editum fuerat Græcum; nam & ipsum Euangelium Diui Matthei hebraicè editum versum est in Græcum, seù ab ipso, seù ab alio Apostolo, vt videbimus. Crescente, & latiùs diffusa Christianitate, exemplaria transcripta de originalibus cœperunt habere librariorum errores; & præterea quadam nimia libertate à transcriptoribus putantibus meliorare maiori claritate, sunt multa in vtroq; Testamẽto in grecis transcriptionibus variata, seù addendo, seù subtrahendo. Maximè verò Origenes in opere extra exapla, itemq; Lucianus, & Hesychius, ita in transcribendo Græcè editionem LXX, eam pro suo quisq; studio mutarunt, vt scribat Hieron. in prol. Paral. *pro varietate regionum diuersa feruntur exemplaria; & germana illa antiquaq; translatio corrupta est, atq; violata.* Etenim, vt ibi idem adnotat, Alexandria, & Aegyptus vtebatur editione Hesychij; Constantinopolis, & Asia minor editione Luciani; Palestina tota inter Antiochiã, & Aegyptum editione Origenis propria, idest habente Theodotionis commixtionem; quæ quidem tres editiones erant transcriptæ de editione LXX, sed variatæ, prout quisque putarat, reddere intelligibiliorem.

In Occidente etiam citò à principio editæ sunt in Latinum multæ, & quam breui innumeræ versiones LXX; in quibus vtique vna suo autographo

LXX.

LXX magis consona maiorem promeruit authoritatem, appellata obinde vetus vulgata, Itala. Sed tamen etiam hæc non planè cohærens. Cum ergo in Dei Ecclesia extarent quidem autographa perfectissima, tum hebraica, tum Græca LXX; in exaplis Origenis, tum Græca Noui Testamenti, sed nulla extaret editio Latina, seù immediatè extracta de hebræo, seù perfectè translata de græco, idque in vtroque Testamento; decreuit Deus hanc prouinciam Doctori Maximo Diuo Hieronymo. Accedit etiam, quod ipse dolebat, nullam eousque editam versionem ex hebręo, qua possemus peruidere quosdam veteris Testamentis textus in Nouo citatos,

Durum siquidem erat, & quodammodo indecorum, legere Mat.2. illud Osee 11.*ex Aegypto vocaui filium meum*; & Io.19. illud, Zach. 12. *Videbunt, in quem compunxerunt*; & 2.Cor.2. illud Isa. 64. *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit &c.* & non posse ostendere talia in Sctipturis, quippè apud LXX sub silentio sunt omissa. Ex hisce ambobus motiuis multi amici, & præsertim Chomatius Episcopus poposcit, & obtinuit; vt Hieronymus de ipso fonte hebraico vetus Testamentum conuerteret. Antea verò iam peregerat editionem sinceram LXX Latinam; hanc inquam iuxta prototypon in exaplis emendatū edidit, ferè de verbo ad verbū, vt colligo ex epi.89. ad Augustinum; adeoque cum in pręsenti vnicam habeamus Latinam versionem LXX, si ea recta est, vtique illa ipsa Hieronymi est; qui præfat. in Iob ait, *vtraque editio, & septuaginta iuxta Græcos, & mea iuxta Hebręos in Latinum meo labore translata est.*

Interim viri perspecta tāti Virtute, & Sapiētia, Damasus Pōtifex ei demandauit, conferre ad Græcū autographum, & emendare latinam versionem Noui Testamenti. De Euangelijs ipse exprimit epi.123. ex qua constat, non pauca, vel leuia debuisse mutari; de reliquo textu vltra Euangelia par est credere, nam ait epi.28. ad Lucinium Bęticum, *septuaginta Interpretum editionē ante annos plurimos diligentissimè emendatam studiosis tradidi; nouum Testamentum Grecæ reddidi authoritati*; & in Catalo. *Nouum Testamentum Gracę Fidei reddidi, vetus iuxtà Hebraicam transtuli.*

Quer.2. Quare Diuo Hieronymo ante actam versionem ex Hebraico, opus fuit aliam cudere latinam ex LXX. Resp. Hieronymus linguarum apprimè gnarus nulla indigebat versione; propendebat tamen in bonum Ecclesiæ, at præuidebat obtrectantium pericula; quæ vtique non potuit euadere; vnde & semper queritur in suis præfationibus, quod falsarius diceretur; & epi.114. subdit, *Tanta est enim vetustatis consuetudo, vt etiam confessa plerisque vitia placeant; dum magis pulchros habere volunt codices, quam emendatos.* Et quidem vbi cœpit diffundi noua ex hebræo editio latina Hieronymi in occidentem, habuit repulsam; adeo vt Diuus Aug. tamquam suspectam reijceret; atque, vt refert epi.19. cum quidam Africæ Episcopus omissa lectione latina LXX, quæ vtique imperfecta erat, curaret legi hanc nouam Hieronymi, tantus exortus est in suo populo tumultus, vt desistere debuerit, *nolens post magnum periculum remanere sine plebe.*

Hinc

Hinc zelus Hieronymi pro Dei Eccleſia veluti Prophetæ fuit, præuenitque remedio, ne interea careret Eccleſia emendatis Scripturis; cumque in ipſa epiſ.19. quæ eſt Auguſtini ad Hieronymum, ille deprecaretur exhortans ad nouum laborem, & aiens; *per hoc plurimum profueris, ſi eam Scripturam Græcam, quam ſeptuaginta interpretati ſunt, Latinæ veritati reddideris; quæ in diuerſis codicibus ita varia eſt, vt tolerari vix poſſit; & ita ſuſpecta, ne in Græco aliud inueniatur; vt inde aliquid proferri, aut probari dubitetur;* facile fuit reſpondere, ſe iam præueniſſe oportunè. Iam ediderat emendationem noui Teſtamenti Auguſtino probatiſſimam, vt conſtat ex eadem epiſtola; iam item ediderat ſuam latinam editionem LXX, ſed intermiſcens etiam ex Theodotionis editione; qua de re ſcribit reſpondens Auguſtino epi.89. quærenti, cur in ſua prima editione appoſuerit ad marginem aſteriſcos, & virgulas, non autem in ſecunda, quæ erat noua ex hebraico; *Illa interpretatio ſeptuaginta Interpretum eſt; & vbicumque virgulæ, ideſt obeli ſunt, ſignificatur, quod ſeptuaginta plus dixerint, quam habetur in Hebræo; vbi autem aſteriſci, ideſt ſtellulæ, ex Theodotionis editione ab Origene additum eſt. Et ibi Græca tranſtulimus; hic de ipſo Hebraico, quod intelligebamus expreſſimus, ſenſuum potius veritatem, quam verborum ordinem interdum conſeruantes,* Ergo iam dederat latinam perfectam editionem LXX, & facilè ſeparandam de Teodotionis additamentis, cum hęc iam in margine per aſteriſcos diſtinguerentur.

Itaq; ex tunc habuit Eccleſia à ſuo maximo Doctore, quidquid optare potuerat legitimum, & ſincerum in Sacræ Scripturæ editione Latina, ſeù de LXX, ſeù de Hebraico textu; & vel ipſe Hieronymus, vel alij per regulam aſteriſcorum notatorũ ſegregata Theodotionis additione, edere ſtatim potuerunt textum LXX, & præciſum, & purum, vt Hieronymus iam ediderat, verbatim ferè traducens de editione LXX contenta in exaplis.

Quær.3. Quoſnam libros Veteris Teſtamenti Diuus Hieronymus verterit de Hebraico in Latinum. Reſp. Ante diuum Hieron. numquam fuerat vllus liber Bibliorum verſus in Latinum immediatè ex Hebræo, vt notat etiam Baron.ad an.231. num.43.aiens, hunc primum reperiri, qui ex Hebræo fonte aquas deduxerit in Latinum alueum;alij ſiquidem omnes de Græco riuo LXX hauriebant ſuas editiones Latinas. Tranſtulit itaque Diuus Hieron. quidquid erat in Canone Hebræorum, ſeù Chaldaicum, vt liber Danielis, & Eſdræ, ſiue hebraicum, vt libri cæteri in eo Canone, de quo dictum eſt exam.3. quæſ.8. Præter hos etiam extra Canonem Hebræorum tranſtulit de Chaldaico Iudith; & non dubito, quin etiam de Hebraico primum Machabæorum; Tobiam autem de Chaldaico in Hebręum, & de Hebręo in Latinum conuertit, quæ omnia conſtant in præfationibus Diui Hieronymi.

Quęr.4. An Eccleſia vtatur in omnibus lectione, ſeù editione Diui Hienymi. Reſp. Affirmatiuè; nam ſi vtitur ſcripturis correctis, iam patet ex Diuo Aug.tunc temporis vbique fuiſſe adeo varia, & corrupta latina exem-

pla-

plaria, vt alicuius valdè gnari linguarum, vel correctio, seù noua editio, vel collatio saltem plurium exemplarium, & pro vno legitimo testimonium necesse esset. Quis autem illo æuo potuit hoc præstare, nisi iuxta votum Augustini Hieronymus? Et cur non præstitisset vir boni communis flagrantissimus? Vtitur itaque Ecclesia editione de hebræo conuersa à Diuo Hieronymo, exceptis Psalmis; sed tamen etiam vsuale Psalterium nostrum iuxta LXX est illud, quod ipse emendauit saltem. Reliqua, puta partem extremam libri Danielis, itemque extremas partes libri Esther, librum Sapientiæ, & secundum Machabæorum, quæ tantummodo reperiebantur in editione Græca vulgata ignoti Authoris, vt etiam Baruch, Diuus Hieron.item saltem emendauit; vt etiam Nouum totum Testamentum. Hinc omnia ista in Biblijs Regijs, & etiam Complutensibus adscribuntur Diuo Hieronymo.

Quod ista quælibet, vel traduxerit, vel emēdauerit ex hoc liquet; quia post D.Hieron. non vltra conqueruntur Patres, & Scriptores; editionem deesse Latinam sinceram, & securam; neque reperitur memoria, quis alius iunior, vel de hebræo transtulerit Ecclesiasticum, ac primum Machabæorum, vel de Græca vulgata reliquos, puta Sapientiam, & secundum Machabæorum. Quod si ipse Hieronymus notat capite decimo Esther post versic. tertium, se reperire sequentia in Græca vulgata, idipsum putādum est de Sapientia, & secundo Machabæorum, & Baruch, & fine Danielis, qui etiam extabat apud Theodotionem; neque hæc omisit inemendata, vbi correctionis egebant. Igitur vulgata Græca æuo Hieronymi constabat in veteri Testamento textu LXXX, diuariato tamen; & textibus quibusdam, qui non spectabant ad translationem LXX, puta Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, extremarum partium Esther, & Danielis; Diuus autem Hieronymus triplici labore, & transtulit de Hebræo in Latinum, quæ reperit hebraica, & de Græco LXX, puro ad verbum, quæ spectabant ad LXX in exaplis, & de Græco in Latinum, quæ non erant apud LXX in exaplis, sed tamen in Biblijs Græcis vulgatis ignoti authoris habebantur. Si enim hinc transtulit extremam partem libri Esther, vt ipse testatur, iustum est credere idem de reliquis, quę apud Græcos pro Canonicis habebantur, vel saltem solemniùs citabantur.

Prænotati illi libri Sapientiæ &c.erant noti Hieronymo, quippe de illis non semel agit.Vel ergo eorum aliquos, etiā si tunc non haberentur vt Canonici, reperit hebraicos, v.g. Epistolam ad Hebræos, & certè non reperimus, quis in Scriptura hebraica nauarit post Hieronymum, adeoque is transtulit in Latinum, vt constat de libro Tobiæ, tunc nondum plenè habito pro Canonico; vel reperit græcos reliquos, vt idem asserit, & certè non minus dignum putauit, hos vertere in Latinum, ac homilias Origenis, aliosque codices Græcos, quos transtulit. Et exinde dico, totam Scripturam nostram vulgatam opus esse Diui Hieronymi.

At objicit Bellar.2. de ver. De.cap.9.Psalteriū nostrum vsuale nequit es-
se

se translatio Diui Hieronymi. Esto enim ipse transtulerit de LXX; tamen neque illis congruit hoc nostrum; etenim LXX legant ps.103. *Petra refugium leporibus,* idque legit etiam Hieronymus, at nos habemus, *petra refugium herinacijs*. Resp. Recepta vtique est Romæ editio latina Hieronymi iuxta LXX, vt idem testatur apol. adu. Ruffin. & planè eadem est, qua vtimur, vt constat ex Biblijs Regijs. Neque verum est, quod aut Hieron. aut LXX legant *leporibus*, sed *Herinacijs*, vt ibi patet; quamquam scribens ad Demetriad. epi.8. habeat, *petra refugium leporibus; pro quo multi Hermaceos legunt*. Cæterum, quod tota nostra editio vulgata laborem habeat Diui Hieronymi, neque sit censenda mixtura plurium, vt putat Sixtus Sen. l.8. cap.vlt. & præfatio præfixa à Typographo Sacris Biblijs nouæ impressionis; clarissimè constat ex iudicio tantorum virorum, qui præfuerunt editioni Bibliæ Regiæ Antuerpiæ; in quibus maximè Arias Montanus,& Masius; nam vbique tum in veteri, tum in Nouo Testamento præfigunt ad singulas paginas, esse opus Diui Hieronymi; excepto Psalterio vsuali, vbi reticetur Author, sed tamen ex præfatione præfixa toti Psalterio patet, esse eumdem Diuum Hieronymum.

Quęr.5. Quando cœperit editio Diui Hieronymi habere authoritatem in Ecclesia. Resp. Patet, fuisse receptam, & vsitatam ante Diuum Gregorium,qui hæc scribit in fine epistolæ ad Leandrum præfixæ libris Moralium; *Nouam translationem dissero; sed, vt comprobationis causa exigit; nunc nouam, nunc veterem per testimonia assumo; vt quia Sedes Apostolica, cui Auctore Deo præsideo, vtraque vtitur, mei quoque labor studij ex vtraque fulciatur*. Nouam appellat latinam Diui Hieronymi ex hebręo, veterē eam latinā iuxta LXX, quæ quidem si correcta habebatur, iam superiùs conclusum est, a Hieronymo id fuisse; vt & in illis libris, qui nec hebraici extabant, nec apud LXX habebantur, sed in Græca vulgata, quos item nunc legere potes in Biblijs Regijs. Demum verò crescente euidentia perfectionis huius editionis ex hebræo, hæc teneri cœpit de pręcepto Ecclesiæ, vt innuit Hugo Victorin. l.de Scrip. cap.9.

Primam porro approbationem autumo descendisse ex Papa Gelasio, sub quo in Concil. Rom. publicatus est etiam Canon præsens Bibliorum.Tunc siquidem, vt habetur *dist.*15. *cap.Sancta Romana.* In proposito Hieronymi refellentis Ruffinum dicitur, *Illa sentimus, quæ Beatum Hieronymum sentire cognoscimus*. Cum enim ibi publicetur hic Sanctus in omnibus suis Scriptis Catholicus, & Dei zelo plenus; non est dubium, fuisse id publicam concessionem pro libito suæ editionis, & correctionis circa Biblia Sacra.

Quær.6. Cur non vtamur eo Psalterio, quod Diuus Hieron. de hebræo vertit in latinum. Resp. Quoniam psalmi ob frequentem, & quotidianam vtique decantationem erant in populi memoria; neque vt reliqua Scriptura, vel à solis Doctis legebantur, vel rarò audiebantur citari; ne ea nouitas causaret tumultus, retentus est mos antiquus; cum iam etiam constet, editionem eorum originalem, videlicet LXX, esse authenticam. Ceterum

Ecclesia, vt se ostendat probare etiam Psalterij versionem à Diuo Hieronymo ex hebræo fonte; semel in anno, vnum psalmum solemniùs cæteris decantat ex ea noua Hieronymi editione; estque ille *Venite exultemus Domino &c.* qui canitur in Epiphanię festo.

Quær.7. An Diuus Hieronymus Biblia verterit in Spiritu Sancto. Resp. affirmatiuè; Namque si septuaginta duo Interpretes habuerunt Spiritum Sanctum assistentem ipsis in ea versione, quę ortum occasionatum habuit à Ptolomæi Regis Ethnici curiositate; multo magis in hac, quæ prodijt de Hieronymi Charitate pro Ecclesiæ toto Orbe diffusæ vtilitate. Porrò illos fuisse Spiritu Sancto afflatos, dum ea transferrent Biblia in Grçcum, fatentur, Hieronymus, August. Iustinus, Irenæus, Chrysost.& alij; ergo etiam Hieronymus vertens de Hebræo in Latinum, talem habuit assistentiam Spiritus Sancti, quę gratia nuncupatur à Paulo 1.Cor.12. *Interpretatio sermonum*, de qua D.Tho.2.2. quęst. 176. a.2. ad 4. vt in Interpretatione sua latina errare non potuerit. Ita tenent, Salmeron, Titelm. Canus &c. contra Bellarm. Driedon. Vegam, & alios.

Dices cum Sylueira Resol.4. qu.10. Editio Diui Hieronymi in quibusdam non tenetur ab Ecclesia; nam v.g. Isaiæ 19. legimus in nostra vulgata correcta, *& erit terra Iuda Aegypto in pauorem*; at legebat D.Hieron. *in festiuitatem*; ergo in aliquibus saltem minutijs relictus est suo ingenio, ita vt errare potuerit, atque errauerit. Resp. Sicuti septuaginta duo Interpretes discordant à nostra vulgata, & tamen Sancti Patres affirmant, eos habuisse Spiritum Sanctum, nec fuisse ex errore eam varietatem; ita dico in præsenti; Spiritus Sanctus per Hieronymum scripsit illud *in festiuitatem*, voluitque, Ecclesiam Catholicam ita legere, quousque per alium ab Ecclesia delectum scriberet *in pauorem*. Neque enim incassum legebatur, *in festiuitatem*, sed vt ex collatione harum lectionum aliquis perciperet, Mundanam festiuitatem verti in pauorem. In multis itaque minusculis variat vulgata hodierna ab ea Hieronymi, vel quia per transcriptores obrepserunt, vel quia multifariam, multisque modis loquitur Deus in Mysterijs.

Quęr.8. Quanta sit hodiernæ vulgatæ authoritas. Resp. Supra omnes alias editiones, adeo vt decernat Concil. Trid. sess.4. *Hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorũ vsu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, prædicationibus, & expositionibus pro Authentica habeatur, & nemo eam reijcere, quouis prætextu audeat, vel præsumat.* Suarez to. de Fide disp.5. sec.3. refert Declarationem Cardinaliũ 17.Ianuar.1576. *Nec syllabam, iotauè vnum admitti posse, quod repugnet huic vulgatæ editioni*. Hoc intellige priuata authoritate, cuius non est emendare publica acta; cæterum emendata est in multis postmodum ea vulgata, iubente Sixto Quinto, quapropter & dicitur Biblia Sixtina, quamuis emendatio completa fuerit sub Clemente Octauo. Immò adhuc posse euadere magis correctam, ostendit Francis. Lucas superiùs citatus.

Quær. 9. An fuerit Ecclesiæ necessaria illa Diui Hieronymi versio ex hebræo.

bræo. Resp. affirmatiuè; siquidem Iudæi deridebant Ecclesiam, quod licèt venerandam quidem haberet editionem LXX, non tamen cohærentem prototypo Scripturæ hebraico. Hinc rogabat Chromatius Hieronymum, quod iste refert in præf. Paral. *Nouum opus in veteri opere cudere; illudentibusque Iudæis, cornicum vt dicitur oculos configere.* Spectabat præterea ad Fidei nostrę sinceritatem, posse ostendere in veteri Testamento, quidquid exinde citatur in Nouo; ea tria præsertim loca, *ex Egypto &c. Videbunt &c. Nec oculus vidit &c.* de quibus dixi quæst. 1. Est præterea aduersus hæreses necessaria hæc Diui Hieronymi editio; tum vt pondere Sanctissimi, & Doctissimi Viri, post quem non surrexit alter in hoc genere comparabilis, supprimeretur quæuis hæretici insana temeritas; tum quia clariùs exprimuntur alicubi veritates ex hebræo in latinum, quam vel ex hebræo in græcum, vel ex græco in latinum.

Egregium hac in re præcessit exemplum, & habetur apud Diuum Hieronymum ad Cyprian. epi. 139. In textu hebræo Prou. 8. legitur *Adonai Kanani*, quod græcè translatum est *Kirios Ektise*. Istud græcum *Ektise*, si scribatur per litteram *Ita*, significat *possedit*; sin autem per *Iota*, significat *creauit*. Ariani ergo, vt adstruerent Verbum creaturam Aeternam, siquidem de Dei Sapientia ibi agitur, deprauarunt textum græcum; & pro *Ita* posuerunt *Iota*, incomperta fraude, eo quod pronuntiando non variatur sonus. Cyrillus Alexandrinus non aduertens crmen falsi, diù laborauit, vt exponeret, & ad bonum sensum traheret vocabulum creationis. At nos iam liberamur eo labore, & malitiam Arianam discernimus; quippè, vt habet Diuus Hieronymus cit. vox hebraica Kanani non significat *creauit*, sed *possedit*; adeoque vertitur dolus in caput hæretici; si enim ante omnia, antequam Pater quidquam faceret, possedit Sapientiam genitam, Verbum Aeternum; iam hæc Sapientia non est facta.

Quær. 10. An editio Diui Hieronymi fuerit sufficiens. Resp. Quamuis potuerit, ac debuerit pro alio tempore meliorari in quibusdam accidentalibus, tamen pro eo tempore vsque ad recognitionem fuit sufficientissima. Hinc ille calumniantibus veluti inuidum, & septuaginta Interpretum ęmulatorem, obijciebat euidentiam sugillationi respondentem. Adeoque scribit Desiderio epist. 104. *Sicubi in translatione tibi videor errare, interroga Hebræos, diuersarum vrbium magistros consule*; idque crebrò aliàs repetit. Sed inquies. Ille textus Io: 7. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, non potest saluari per editionem Diui Hieronymi; siquidem in ea non extat, quod accipiatur pro eo, *Flumina de ventre &c.* Resp. prænotando, quanta sit Scripturæ subtilitas; in qua meditationi piæ occurrunt graues, etiam apices, & commata. Exemplum demiremur. Io. 1. habetur, *Quod factum est in ipso vita erat*. Hæc clausula exposcit vnum comma intermedium; at non constat, vbi ponendum, numquid antè illud *in ipso*, an verò post. Diuus Ambrosius, vt refert Philippus Diez, ponebat simul ista, *Quod factum est in ipso*, quasi dicatur

catur esse opus vitæ æternæ illud, quod fit in Christo, idest cum Gratia Christi, at Diuus Augustinus ita, *in ipso vita erat*, quasi sit sensus, creaturas omnes, vt in Deo, seu vt sunt Idea, esse ipsum Deum.

Simile quidpiam est in præsenti. Ea particula, *sicut dicit scriptura*, potest referri, vel ad præcedens, ita vt iungantur, *Qui credit in me, sicut dicit scriptura*; eritque statim soluta difficultas, nam scriptura prænuntiauit, oportere credere in Christum, Deuter. 18. *Prophetam de gente tua sicut me, suscitabit tibi Dominus; ipsum audies*, qui locus de Christo prædicatur à Petro act. 3. At verò potest referri ad sequentia, ita vt legamus; *Sicut dicit scriptura, Flumina de ventre &c.* Quo pacto legendum prætendit Diuus Hieronymus ad Desid. epist. 104. ac notat, locum eum non reperiri apud LXX, sed benè in hebraico textu Prouerbiorum. Non citat locum; sed quantum indagare possum est cap. 22. v. 17. vbi habent LXX, vt videre est in Biblijs Regijs *Audi meos sermones; at tuum cor firma, vt cognoscas quod boni sunt. Et si immiseris eos in cor tuum; letificabunt te simul in labijs tuis*; at vulgata valde conformiter ad allegationem Christi legit; *Appone cor ad doctrinam meam; quę pulchra erit tibi, cum seruaueris eam in ventre tuo, & redundabit in labijs tuis*. Et ecce conformitas ad ea verba Christi; de ventre memorię eius fluent redundantes aquæ sapientiæ per labia eius.

Quær. 11. An Diuus Hieronymus in translatione sua adhibuerit modum optimum, interpretando non de verbo ad verbum. Resp. affirmatiuè; vt ipse probat in epist. 101. ad Pammach. exemplo Ciceronis, qui Protagoram librum Platonis, aliosque aliorum tractatus ibi notatos, vertit de græco in latinum, non prosequendo verba, sed seruando sensum verborum; quale est etiam præceptum Horatij de arte poet. dicentis; *Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres*. Rationem optimam exhibet Hieron. *Ex alia in aliam linguam expressa ad verbum translatio sensum operit; & veluti læto gramine sata strangulat*. Confirmat deinde exemplo Diui Hilarij, qui aliqua vertit de græco in latinum, sequens non verba, sed sensum. At demum vrget maximè exemplo, tum septuaginta interpretum variantium à textu hebraico, tum Euangelistarum variantium, & ab hebræo, & à græco. Objicit vtique perdifficiles textus; vbi Mat. 27. *Scriptum est per Ieremiam Prophetam; & acceperunt triginta argenteos &c.* quod quidem non in Ieremia scribitur, sed in Zacharia cap. 11. Item Marci 1. *Sicut scriptum est in Isaia; Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Vox clamantis in deserto &c.* Atqui licèt hęc posteriora verba sint Isaiæ 40. tamen ea priora nullibi sunt apud Isaiam, sed benè apud Malachiam cap. 3. cuius hoc loco nomen subticetur. Item Marci 2. nominat Christus Sacerdotem Abiathar, à quo Dauid profuga panes sanctos accepit; atqui 1. Reg. 21. non recensetur Abiathar, sed eius pater Achimelec.

Ista cuncta prę alijs pluribus nos docent, quod obseruat de Euangelista Matthæo pręfatus Hieron. non fuisse errorem ponere Ieremiam pro Zacharia; *sed curæ fuit, non verba, & syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere*;

ponere; docent, inquam, plus considerãda vera, quam verba. Sed præterea soluuntur Scholasticè allatæ contradictiones. Prima quidem, quod in Ieremia extabat, vt asserunt, Tertul. 4. cont. Marcio. cap.39. Eusebius, & alij apud Cornelium à lap. sed hic textus intercidit. Ausim dicere, extitisse ante librorum Sanctorum conflagrationem; at verò Esdram noluisse eam particulam restituere, eo quod satis esset, illam prophetiam apud Zachariam reperiri; at verò, vt nouerimus, hanc proditionis ingratissimæ, & venditionis iniuriam fuisse ne dum à Zacharia, sed & à Ieremia in spiritu præuisam, & deploratam, Diuus Matthæus Ieremiam nominat.

Secunda soluitur; quod liberum fuit Diuo Marco nominare solum Isaiã, licèt non de solo Isaia testimonium transcriberet. Immo ex solo Isaia est testimonium, siquidem ea priora verba solum ex Malachia capiuntur materialiter, ad describendum Præcursorem Christi Ioannem; & sensus est; sicut Scriptum est in Isaia de Angelo mittendo, idest nuntio præcursore prędicaturo, quod erit *Vox clamantis &c.* is vtique fuit Ioannes &c. Tertia demum soluitur; quod Abiathar, & Achimelech est vna persona binomia, plurimæ cuiusmodi sunt in scriptura, vt Iacob Israel, Raguel Iethro, Iudas Thaddæus &c. Cæterum denuò memoro, hic nos instrui, non tam aduertere ad loquentem, quam ad loquelam; nec verba per se vestiganda, sed sensum; quare & ibi ait Hieron. *Alij sillabas aucupentur, & litteras, tu quære sententias.*

Quęr. 12. An Diuus Hieron. transferendo Sacras Scripturas opinionem propriam sit secutus. Resp. Negatiuè. Processit vtique summa modestia interrogando, examinando, & inspirationem denique Dei sequendo. Videri potest in suis præfationibus, quam humiliter se commendaret deuotorum orationibus; quam prudenter ponderaret, quæ esset scripturus; qua de re scribit epist. 108. *Fateor mi Domnion, & Rogatione carissimi, numquàm me in Diuinis voluminibus proprijs viribus credidisse, nec habuisse opinionem meam; sed ea etiam; de quibus scire me arbitrabar, interrogare me solitum, quanto magis de ijs, super quibus anceps eram?* Hinc est, quod abnegato proprio sensu, & sequens Diuinum ductum aliter quædam posuit, vel reliquit in editione Scripturarum, ac ipse sentiebat. Exempli gratia Isaiæ 11. legimus, *Flos de radice eius ascendet*; at Hieron. epist.101. Pammac. voluisset, *Et Nazaræus de radice eius crescet*, & eo maximè, quod in Euangelio habet Matth. 2. propheticam prædictionem, *Quoniam Nazaræus vocabitur*; & tamen ipse Hieron. cum LXX scribit in Isaiæ textu, *& Flos &c.*

Item vbi Rom. 12. habemus, *sapere ad sobrietatem*, non ita voluisset poni; vnde lib. 1. adu. Iouin. scribit; *sapere ad pudicitiam. Non ad sobrietatem, vt malè in Latinis codicibus legitur; sed sapere inquit ad pudicitiam, siquidem Græce scriptum est, is ti Sophronin*. Et quidem paulò antè ibidem ex epistola item Pauli 1. Tim. 3. legit, vt & nos in vulgata *pudicum*, & notat idem vocabulum græcum; *Pudicum, hoc enim significat Sophronon*. Ergo pariter ex vi sermonis etiam in vulgata expressi, dicendum erat ad *pudici-*

dicitiam; at Hieronymus Dei motionem secutus dimisit, vt repetit, *ad sobrietatem*; vt inde dignoscas, in transferendo sacros libros pręcelluisse humano ingenio Diuinam manuductionem.

Quęr. 13. Cuiusmodi fuerint grauiores errores ex librariorum incuria, vel ignorantia. Resp. Non quidem quod ipsi textū malitiosè distorserint ad prauum dogma; sed eiusmodi menda euenerunt, qualia etiam num committuntur à typographis. Aliqua de latinis erratis in codicibus mendosis recensere placet. Iosue 5, v. 6. legebatur, *quibus iurauit, vt ostenderet eis terram*, at ex hebręo correctum est, *vt non ostenderet*. Ita 1. Esdrę 9. 8. legebatur, *& daretur nobis Pax illius in loco sancto eius*; atqui legendum est *paxillus*. Ita psal. 26. legebatur, *vt videam voluntatem Domini*, ac correctum est *voluptatem*; psal. 41. erat, *sitiuit anima mea ad Deum fontem*, at legitur correctè *fortem*, quippe in hebræo est El, quod significat Deum sub ratione fortitudinis, seu potentię; psa. 131. adhuc legimus *viduam eius benedicens benedicam*; legunt Biblia Regia etiam ex Gręco, vt Hieron. ex hebræo, *Venationem eius*, de quo mox dicemus. Ita Prouer. 16. legebatur, *opera eius omnes lapides saeculi*; at correctum est, *sacculi*. Ita Actu. 28. legimus *Melita insula vocabatur*; vidi olim in codice impresso Bibliæ scriptum Mytilene, vt & notat margo Bibliorum Regiorum. Fortè autem legendum neutro modo, sed *Melitina*, quippe in Adriatico est insula Melitina vulgo *Meleda* versus Epidaurum; & illud naufragium contigisse in Adria, narrat Sacer textus. Ex quibus vides, quomodo ob sonum vocis incompertæ putarunt amanuenses errata, quę sana erant, & substituendo voces, quæ magis arridebant, vitiauere textum; vt opus fuerit correctione, conferendo cum autographis.

Quoad locum illum, *Viduam eius &c.* Supercilio arroganti mendum obijcit Caluinus, dicens; mirari se, quod nemo aduerterit errorem, & pro *Viduam* poni debere *victum*. At non fuit iste Argus vigil cęteris sopitis; non vidit Chrysostomum, Hilarium, Caiet. Titelm. qui omnes aduerterunt eam variationem; ac maximè D. Hieron. qui in trad. heb. ad cap. 45. Genes. ait; *In psalterio, vbi nostri legunt, viduam eius benedicens benedicam, in Hebræo habet Zeda, idest cibaria; porrò venationem magis potest sonare, quam fruges*. Quoniam ergo iam æuo Hieronymi sic ab aliquibus legebatur, nec sensus euadit malus, atqui neque à Hieronymo repręhenditur, quasi diuinitùs, & non mero casu in græco mutatum sit *thiran*, quod est venatio, in *chiran*, quod est vidua; idcirco adhuc hodie retinetur; vt discas antiquitatis venerationem, vbicumque Fidei non derogetur.

Quær. 14. Quæ potissimum obijciantur ab hęreticis nouatoribus aduersus nostram vulgatam editionem. Resp. Præter prænotata menda transcribentium, seu typographorum, afferunt alia loca, quædam vtique mendaciter, cętera cauillosè. Primò mentitur Kemnitius, quod Genes. 14. v. 18. legamus, *Melchisedec obtulit*, legimus quippe *proferens*. Secundò, quod cap. 5. Iob vbi legimus, *Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem*

San-

Sanctorum conuertere; sit à nobis corruptus locus pro adstruenda inuocatione Sanctorum ; at benè ait Bellar. de ver. Dei , Kemnitium eructasse ebrietatem , dum ea scriberet . In Hebræo ita habetur , legit quippè ad verbum Pagninus ; *Clama nunc , si est , respondens tibi , & ad quem de Sanctis obtueberis* . Et planè locum esse pro inuocatione Sanctorum , nesciebam ; sed video clarissimè in textu LXX, quid legam in Bibl. Reg. *Voca autem si quispiam te audiet , aut si aliquem Angelorum Sanctorum videbis* . Bellè profectò , vbi de adiutorio agitur , exprimunt LXX Angelos , quippe æuo Iobi non erant in Cœlo Sancti homines , at pro humano genere intercedebant Sancti Angeli ; nunc ergo , & Sancti Angeli , & Sancti Homines pro nobis intercedunt. Tertiò , quod Ecclesiastis 9. deprauatè ponatur , *nescit homo , vtrum odio, vel amore sit dignus &c*. Planè ex hebræo legi Pagninus, *etiam amorem , etiam odium non sciens homo* ; *omnia ad facies eorum* ; quorum verborum nequit esse alius sensus , nisi quem nostra lectio exprimit ; vnde D. Hieron. in eius loci Commentario ; *In futuro scient , & in vultu eorum sunt omnia , idest antecedit eos , cum de hac vita decesserint, notitia huius rei* . Quartò , quod in Ecclesiastici cap. 16. num. 15. non benè stet illud , *secundum meritum operum* ; at verè insanit ; nam grecum *Kata ta erga* denotat meritum . Quintò , quod Ioel. 2. 13. illud *præstabilis super malitia* nil significet . Hoc loco diceret Hieronymus Kemnitio , vt epist. 102. *Asino lyra superfluè canit* ; sed addamus sensum . Etiam Cicero l. de amicit. & 2. de nat. deo.& alibi vsurpat præstabile pro excellente ; adeoque sensus est , maiorem esse Dei bonitatem , quam sit humana malitia ; vel accipiendo malitiam pro malo pœnæ , seu seueritate iudicis , est sensus ; Deum magis esse misericordem , quam seuerum , vnde legit Pagninus, *pœnitens super malum* . Sextò , quod Io. 14. 26. illud *quæcumque dixero vobis , sit legendum dixi vobis* . At patet sensum esse æqualem , siquidem futurū subiunctiui connotat præteritum , & ita planè legunt August. & alij veteres . Septimò mentitur , nos addidisse Rom. 4. v. 2.& legere , si *Abraham ex operibus legis iustificatus est* ; at patet vulgatam correctam non habere *legis* . Octauò quod Ephes. 5. legamus, *Sacramentum hoc magnum est*, vt inferamus , Matrimonium esse Sacramentum : at patet , græcè *Mysterium* latinè sonare *Sacramentum* . Nonò , quod Iaco. 5. vbi legimus , *alleuiabit eum Dominus* , legendum sit ex græco, *eriget*. Sed optimè inquit Bellar. nescire Kemnitium ,quid loquatur; nam erigere, & alleuiare idem est. Ita dum nodum quærit in scirpo, suas effutit nænias heterodoxus .

Hìc iam percipis, quam insulsos Aristarchos habeat hæresis; & ex eorum liuida solertia dignoscis , & clariùs adhuc in sequentibus sugillationibus , quam perfecta , & numeris omnibus absoluta sit nostra vulgata editio. Videamus alias aduersantum cauillationes . Primò vbi legimus Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum*; obijcit Kemnitius , legendum ex hebræo *ipse* Resp. Quidem Diuus Hieron. in trad.hebr. legit *ipse*; at in textu ponit *ipsa* , eo quod vox hebræa præcisis punctis , quæ vtique tunc temporis non erant , referre po-

re potest, & masculinè, & fœmininè; atqui fœmininè pro decore Matris Virginis, ac spiritu & corpore Immaculatæ Mariæ legebant *ipsa* etiam Chrysost. ho. 17. Genes. Augustin. 2. de Genes. cap. 18. & alij. Neque inculces, verbum illud *conteret* hebraicè esse masculinum; etenim duo contraponit loca Bellarminus, vbi in Scriptura copulentur nominibus fœmininis verba masculina. Secundò cauillatur Kemnitius illud Gen. 6. v. 5. *cuncta cogitatio cordis intenta ad malum*, eo quod in hebræo aliter sit, nempe, *figmentum cordis malum*. Resp. idem est *cogitatio*, sed clariùs exprimens peccantium deliramenta. Tertiò quod Gen. 9. legamus truncatè, *fundetur sanguis illius*, cum sit in hebræo, *per hominem fundetur &c.* Resp. omnino idem est, & subintelligitur; nec Pagninus legit *per hominem*, sed *in homine*, adeoque consultò dimissa est ea obstrusitas idiotismi hebraici. Quartò Caluinus arguit, deprauatum esse textum psal. 2. *apprehendite disciplinam*, contenditque legendum, *osculamini filium*. Resp. Hieron. legit ex heb. *Adorate purè*, Pagninus *osculamini filium*, LXX *apprehendite disciplinam*, Chaldæus *Recipite doctrinam*. Notat Diuus Hieronymus, quod Hebraicè *nascu* significat vtique *deosculamini*, at subdit, *quod ego nolens transferre putidè, sensum magis secutus sum, vt dicerem, Adorate; quia qui adorant, solent deosculari manum, & capita submittere.* Ita ille in apol. cont. Ruffi. vbi addit significatum vocis *Bar*, quod est æquiuocum, nempe Filius, triticum, spicarum fasciculus, electus, & purus. Hinc optimè *Nascu bar* sonat *adorate purè*. At LXX Diuino afflatu verterunt, *apprehendite disciplinam*; & quidem ritè adorare, est Religionis disciplina. Quintò obijcit Caluin. quod psal. 4. illud *vt quid diligitis vanitatem &c.* aliter sit in hebręo. Resp. legit Diuus Hieronymus. *Vsquequo Inclyti mei ignominiosè diligitis vanitatem, quærentes mendacium? semper*. Sed quid negotij facessit obiectio, cum dictum sit editionem vulgatam Psalterij esse LXX; quos etiā diuinitùs transtulisse, iam diximus? Quanti habita sit, & pro suo modo adhuc habenda editio LXX, voluit ostendere Deus, ita disponendo, vt Genes. 10 & 11. hebraica non poneret Cainan, atqui LXX vtroque loco ponunt filium Arphaxadi Cainan patrem Sale; ipsumque ponit etiam Diuus Lucas cap. 3. in genealogia Saluatoris.

Sextò impudentiori temeritate Osiander sugillat illud Michęę. 5. *& tu Bethlehem Ephrata paruulus es*; ac prętendit, legendum *parum*. At nedum iste vecors opponit se textui Gręco, Chaldeo, & Diuo Hieronymo; sed ipsi Euangelistę Matthęo, qui cap. 2. citat eodem modo, *nequaquam minima es* &c. At dices; est contradictio, hoc loco negare minimam, & ibi asserere paruulam. Resp. non asseritur paruula; nam interrogatiuè intelligitur Michęas, inquit Bellar. vel Diuus Matthęus intendit exponere, quomodo Bethlehem esset minima quidem, & maxima; vtique minima ambitu murorum, sed nequaquam minima decore, quod foret Messiæ patria. Septimò Kemnitius expendit illud Mat. 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores*, & notat deesse, *ad pœnitentiam*. Resp. licèt ita sit in Græco, videtur

tur

tur potiùs addita ab aliquo amanuense; nam Hiero. in Commentario eam particulam non legit. Ceterum est hæc heretici censura puerilis;nam ipsum quidem, siuè adsit, siue desit, subintelligitur.

Octauò Caluin. carpit illud Rom. 1. *qui prædestinatus est filius Dei*;& contendit legendum *declaratus*. Resp. ibi verbum græcum est definiendi, vt ibi Act. 2. legitur, *Hunc definito Consilio &c.* adeoque decretum indicat, sicque decretum æternum in materia Gratiæ optimè dicitur predestinatio. Nonò Erasmus, Valla, & alij reprehendunt illud Rom. 1. *cum Iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt*; tum quia in Græco non est, tum quia repugnat contradictoriè, cognoscere & non intelligere. Resp. Varia est lectio in Grecis; eumque textum ita legunt Cyprian. l. 1. epist. 4. Ambros. & alij, nec est contradictio, cognoscere sub vna ratione, & non intelligere illud idem sub alia. Cognoscebant rectum, & voluntariè cecati non intelligebant, se debere amplecti rectum; vel non intelligebant, simul stare non posse virtutem cum vitijs; quod vtique ethnici vellent. Decimò calumniatur Kemnitius, nos Rom. 11. abrasisse post ea verba *Si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia*, hec sequentia verba; *Si autem ex operibus, non amplius est gratia, alioquin opus iam non est opus*. Resp. Nec Origenes, nec Chrysostomus, aut alij legunt illa, sed Theophilatus, de quo forte est ea sententia addita textui Græco. Cæterum nulla est fraudis suspicio, cum similia illis legantur in vulgata.

Vndecimò Kemnitius carpit, quod Ephes. 6. legamus, *in omnibus perfecti stare*, cum sit legendum *perfectis*. Resp. idem prorsus est sensus, nam refertur illud *perfecti* ad illud *in omnibus*. Duodecimò idem notat, quod heb. 9. legamus *ad multorum exhaurienda peccata*, & legendum sit *auferenda*. Resp. Verbum Grecum sonat auferre, sursum trahendo, idque est exhaurire. Duodecimò idem vbi heb. 13. legimus, *talibus hostijs promeretur Deus*, carpit eam vocem *promeretur*, quod intrusa sit ad persuadendum dogma de merito. Resp. Græcè est, *delectatur*;& planè mereri est rem placitam acceptanti facere. Hucusque satis; demirari superest Diuinæ Prouidentiæ arcanum, quæ malitiam hæreticorum trahit in seruitium Ecclesiæ. Quod enim præclarius esse potest argumentum pro illibata versione vulgata; quam videre hostes adeo perspicaces, & minutissima quædam trutinantes nil potuisse obijcere destructiuum pietatis, & Religionis, nullum errorem Biblijs commixtum; nil fetorem euaporans corruptelæ, & nouitatis? Profectò sicut Hebræi sunt testes, & baiuli veteris testamenti; quo patet Fidelibus, non esse à nobis confictas Sacras litteras, in quibus clarissimè adumbratur Christus, & Ecclesia; ita hæretici sunt stratores; & vias complanant, vt euidenter pateat, nullam in Versione Scripturarum posse Diuo Hieronymo, & Ecclesiæ Chatolicæ fraudem exprobrari. At verò quot loca hæretici corruperint in Scripturis, ostendit noster Feuardentius in Theomachia.

Quær. 15. Vnde prouenerit varietas editionum in transferendo Sacros

 libros.

libros. Resp. Quia duplex est modus interpretandi; alius de verbo ad verbum, alius verò per sententiæ sensum; id patet fieri posse per plura vel pauciora verba, adeòque ex hoc capite varietatem esse in translationibus. At in vtroque modo interpretandi contingit varietas ex triplici capite reperto in vtraque lingua; nimirum ex æquiuocatione, synonymia, & defectu vocabulorum; de quibus aliqua ponam exempla. Omitto interim agere de idiotismis reliquis, qui proprium petunt examen.

De Aequiuocis nemo ignorat, multa esse in latina lingua; sed hic notandum, ijs multo magis abundare hebræam, de qua in præsenti negotio ita Diuus Hieronymus adu. Ruffin. *Silua est apud Hebræos ambiguorum nominum, atque verborum; quæ res diuersæ interpretationi materiam præbuit; dum vnusquisque inter dubia, quod sibi conuenientius videtur, hoc transfert*. Enimverò habent Hebræi voces matrices, seu radices mille viginti duas, quot nobis e Firmamento rutilant sydera oculis conspicua. Ob hanc verborum paucitatem oportet, diuersa per eamdem vocem æquiuocã significare. Hinc illa triplex lectio, *apprehendite disciplinam*, *osculamini filium*, *adorate purè*, ex hoc æquiuoco *nascu Bar*; de quo superiùs dictum est. Alia de æquiuocis Biblicis aliàs dicemus.

De Synonymis aliquid addendum. Aliquando sunt Synonyma personarum nomina propria, videlicet idem est multinomius, vt Sara eadem est Iesca, Esther Edissa, Iethro Raguel, Iob Iobab, &c. Vbi nota, quod in hebræo ipsa nomina propria sunt & appellatiua, v. g. Adam Homo, Noe Requies, Abraham Pater multorum; Bar Iona Filius Columbæ &c. Quapropter quandoque etiam diuersæ linguæ appellatiuis nominibus significant eamdem personam, idque appellatione non eadem, vt latinè Assuerus est merè proprium, at hebraicè Aschasuerus significat Magnum caput, vel Magnum Capitaneum, idemq; Rex Assuerus dicitur persicè Xerses, idest bellator, vel Arta Xerses, hoc est magnus bellator, teste Herodoto, græcè autem Oxiares, idest acer Mars.

Quoniam ergo nomina propria in hebræo sunt appellatiua, aliquando vnus interpres accepit vt proprium, alius autem vt appellatiuum; & inde est in translationibus varietas, atq; etiam non parua obscuritas; v. g. puteorum nomina appellatiua ponuntur in vulgata, at hebraicè sunt propria, Gen. 26. calumnia *Esec*, inimicitiæ *Sitna*, latitudo *Robobot*, Abundantia *Sabea*. Ita Osee 1. v. 6. *absque misericordia* est nomen proprium *Lorachuma*; & ibidem v. 9. *non populus meus* est proprium *Loammi*. Ita Sopho 2. speciosa significat Niniuem. Ita Mich. 1. nomina Vrbium, *puluerem*, *pulchra*, *amaritudines*, *mendacium* sunt hebraicè propria, *Aphra*, *Sapir*, *Maroth*, *Aczib*. Ita 2. Re. 8. *frænum tributi* poterat poni vt nomen proprium *Metegamma*, estque agnomen vrbis Geth. Ita 1. Paral. 4. *qui stare fecit solem*, *virique mendacij*, *& securus*, *& incendens* in hebræo sunt nomina propria, *Ioachim*, *& Viri Zosba*, *& Ioas & Saraph*. Ita Prou. 3. *Verba congregantis*, *filij vomentis* poterat verti *Verba Agur filij IaKe*. Ita Iob 42. v. 14. *Diem*, *Cassiam*; *Cornu-*

Cornustibij intellige arabica nomina propria id nobis referentia.

De Vocum denique defectu dicamus, ob quem alius ab alio interprete differt. Sunt aliquæ res in Oriente, quas non habemus, ideoque nec habemus earum nomina; indeque est, vt diuersimodè translatores idem verterint; v. g. arbor *Sethim* nascitur in sola Arabia; ac teste Diuo Hieronymo in 3. Ioel est similis spinæ albæ quo ad folia, atque colorem, sed non quo ad magnitudinem; quippe Sethim est arbor, de qua fiant latissima tabulata. Cum ergo species ista arboris lateat Occidentales, variè eam interprerati sunt; atque ita in Isaiæ 41. v. 19. Diuus Hieronymus legit spinam, LXX autem Buxum, & alibi eamdem vertunt Lentiscum; passim autem circumloquuntur legendo *ligna imputribilia*. Ita *Scaphan* est animalculum, muris & vrsi habens similitudinem, vt ait Diuus Hieronymus, estq; ericio maius, cauernis petrarum, & terræ foueis assuetum; pro quo Diuus Hieronymus, & LXX ponunt leu. 11. *Cherogryllum*, idest rupium porcellum, Italis porcellum spinosum; atqui psal. 103. Erinacium; & Prou. 30. Leporem. Rabbini, & hebraizantes putant, esse Cuniculum. Forsitan autem magis propriè illud est, quod Itali Schiriattum vocant, & solet cassidi rotatili includi; est quippè simile vrso, nam erectus comedit manibus applicans ori cibum; & simile muri corrodens obuia quæque.

Et vt multa omittam, hebraica vox *KiKaion* plantam significat, nobis ignotam, at in Palestina creberrimam, genus virgulti, vel arbusculæ habentis lata folia in modum pampini, & densam vmbram, ac suo trunco insidentis. Nominatur in textu hebraico Ionæ 4. v. 6. Potuisset legi *præparauit Dominus Deus KiKaion*; sed quid intelligeremus? fortè montes Beotiæ, vel bestias Indiæ, inquit Diuus Hieronymus, confingeremus. Cum ergo eius rei vocabulo careamus, posuerunt LXX cucurbitam, at Aquila, & alij interpretes hederam; cum quibus & Diuus Hieronymus; fuitque id causa tumultus in Africa, de quo dixi quæst. 2. & legi potest epistola Diui Hieronymi ad Aug. quæ est 89. vbi & concludit, *Si KiKaion transferre voluissem, nullus intelligeret; si cucurbitam, id dicerem, quod in hebraico non habetur; Hederam posui, vt cæteris interpretibus consentirem.* Et quidem optimè, quia similior est planta hęc hederę, vtpote solis folijs fœcunda. Demum venit variatio ex varia lectura hebraica, v. g. Ieræ. 3. *Tu fornicata es cum amatoribus*, LXX cum *pastoribus*; nam heb. ijsdem litteris est *Reim* amatores, & *Roim* pastores, vt notat Hieron. epist. 125.



OCTAVVM EXAMEN.

De Sensibus Sacræ Scripturæ.

Quær. An Sacra Scriptura habeat sensum multiplicem, idest significationem litteralem verborum, & spiritualem rerum verbis expressarum.

rum . Resp. affirmatiuè cum Diuo Tho.par.1.qu.1. art.10. Sco.qu.2. prol. estque assertio omnium Sanctorum Patrum. Immo etiam videtur esse de Fide, vt censet Molina , quippè in ipsa Scriptura habetur vsus mystici , seù spiritualis sensus ; v.g.quod Ionas in ventre ceti fuerit figura Christi , ipse Christus ait Matth.11. quod item serpens æneus Mosis fuerit vmbra Crucifixi Saluatoris,docet idem Io.3. quod duo filij Abrahæ,videlicet Ismael, & Isaac fuerint allegoria duorum populorum profitentium Dei legem,nempè Iudæi,& Christiani,ostendit Paulus Galat.4.addens, *quæ sunt per allegoriam dicta*. Idem quoque 1.Cor.10.afferens multas veteris Testamẽti historias de nube,mari, manna, aqua, petra, subdit; *Hæc in figura facta sunt nostri* : Idcirco in Apocalypsi cap.5. exhibetur liber scriptus *intus* , *&* *foris* , de quo Diuus Hier.in 2.Ezech. *scriptus foris in historia litteræ, intus in allegoria spirituali* ; estque notandum ipsius monitum ad Paulin.ep.13. *Totum quod legimus in Diuinis libris , nitet quidem , & fulget etiam in cortice , sed dulcius in medulla est . Qui edere vult nucleum , frangat nucem* .

Quær.2. quot sunt sensus Sacræ Scripturæ . Resp.Prima diuisio , & Catholicis omnibus in confesso,habet duos prænotatos, litteralem , & mysticum , seù spiritualem ; at mysticus subdiuiditur, idque diuersimodè. Communis nunc Theologorum distributio , vt habet Diuus Bonauentura in prol.tenet tres sensus mysticos , ita vt quatuor hi sint scripturæ sensus , Litteralis , Allegoricus , Tropologicus , aliàs moralis, & Anagogicus , quem Diuus Hier. in fine ep.ad Edib.vocat spiritualem theoriam . Quatuor ea membra exprimit noster Lyranus eo disticho .

Littera gesta docet , quid credas Allegoria ;
Tropologia quid agas, quid speres Anagogia .

Videlicèt sensus litteralis est ipsa veritas historiæ, seu res ipsa significata per vocem . Quoniam autem sensus mysticus est, qui significatur per ipsam rem litteralitèr significatam ; si hoc secundò significatum spectet ad Ecclesiam Militantem, vt veritas credenda , puta de Christo Rectore Ecclesiæ, de Sacramentis &c. est sensus Allegoricus ; sin autem ad Ecclesiam Militantem, vt actio exercenda, aut vitanda , est sensus Tropologicus , seù moralis; si denique spectet ad Ecclesiam Triumphantem , puta de finali Iudicio, de Beatitudine , aut damnatione , de Angelicis Hierarchijs &c. est sensus anagogicus .

Exemplum quadruplicis sensus profert Lyranus in prol. quod est desumptum ex Cassiano collat.14.cap.4.Ierusalem litteraliter est Vrbs Iudeæ; Allegoricè est Ecclesia Christi in hoc mundo;Tropologicè est anima fidelis; Anagogicè Aeterna Patria Cœlestis . Ita dum Genes. 2. lego quatuor fluuios Paradisi, debeo primùm intelligere litteraliter, fuisse inde erumpentes aquas per quatuor alueos ; at possum accipere Paradisum Ecclesiam Catholicam , in qua lignum vitæ Sacrosancta Eucharistia , & quatuor fluuij quatuor Euangelia. Item Tropologicè Paradisum animam Christianam,in qua lignum vitæ Gratia sanctificans , & quatuor fluuij quatuor Virtutes

Car-

Cardinales, Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudo. Item Anagogicè Paradisum hominem post resurrectionem; in quo lignum vitæ visio, & fruitio Dei, quatuor autem fluuij quatuor dotes corporis beatifici, Claritas, Agilitas, Subtilitas, Impassibilitas.

Quær.3. An sensus spiritualis fundatus in litterali sit intentus à Spiritu Sancto. Resp. affirmatiuè, juxta dicta; nam Deus v.g. ordinauit Moysi, serpentem æneum erigere contra serpentum morsus; quia volebat, vt Christiani legentes historiam istam considerarent pro eo tempore veluti delineamenta Christi exaltati in Cruce contra morsum serpentis seductoris; quare ait Diuus Paulus 1.Cor.10. *Hæc omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram*. Hæc dum scribo, experior quod dolebat Hieronymus de irrepentibus mendis. In Biblia Lugduni 1680. sex tomis paruis distributa per errorem est *ad corruptionem* pro *ad correptionem*. Numquid culpandus interpres? minimè, sed typographus, qui etiam non semel alibi dormitauit. Quoad propositum autem; neque Hebræi negare possunt, sensum mysticum esse legitimum; nam & Philo librum edidit de Legis Allegorijs; & ex ipsa scriptura patet, Deum figuratiuè præcepisse. Exempli gratia, vbi Leuit.16. Deus iubet, super caprum emissarium confiteatur Sacerdos peccata Israelitarum, postea ille hircus emittatur in desertum; ea emissio figurabat ablationem culparum, de qua subditur ibidem; *in hac die expiatio erit vestri &c.* Et profectò nisi ad mysteria referantur illi tot ritus à Deo instituti, frustranei fuissent, ne dicamus ridiculi.

At dices; si admittendus est sensus spiritualis, poterit quilibet de suo cerebro interpretari scripturam, & tamquam de intentione Spiritus Sancti. Resp. non ita est; nam vel interpretatio mystica est in ipsa scriptura, vt vbi Baptismus 1.Pet.3. dicitur figuratus in Arca Noë; vel est conformis doctrinæ alijs in locis datæ in scriptura, & hoc modo alegorizant Sancti Patres; quamobrem notat D.Aug.l.de Doct.Christ. nil occultè alicubi à scriptura tradi, quod non alibi clarè proponatur; adeoque veritas litteralis sustentat intelligentiam mysticam.

Quær.4. Quotuplex sit sensus litteralis. Resp. duplex, videlicet historialis, & metaphoricus, seu parabolicus. Historialis est, quando verba retinent ibi eumdem sensum, quem habent vsualiter in modo communi loquendi, v.g. si nominatur arbor, intelligatur propriè planta germinans in terra; & hoc modo contra Origenem accipitur de veris arboribus, quod scribitur Gen.2. *plantauerat Dominus Deus Paradisum voluptatis*. Sensus autem litteralis metaphoricus est, quando non propriè, sed similitudinariè accipienda statim primò sunt verba; vt si per arborem non arbor, sed v.g. homo accipiendus sit. Ita vbi Iudic.9. ait Ioatham; *Ierunt ligna, vt vngerent super se regem &c.* Etenim sub arborum narratiua primò verum non est quid spectans ad arbores, sed ad homines. Hoc modo intelliguntur omnes metaphoræ in Sacra Scriptura, vt cum dicitur Christus Agnus, Leo, Petra &c. Tunc enim, quando vox est prædicatum propriè discunueniens subiecto, acci-

accipienda est litteraliter metaphoricè, non litteraliter historicè. Differt autem hic sensus litteralis metaphoricus à sensu allegorico, aut alio mystico, quia sensus mysticus est secundarius, & supponit litteralem historicum, in quo fundetur; at metaphoricus non supponit historicum, sed ipse est metaphoricè historicus, seu sub impropria, & figurata locutione statim primò exhibet veritatem, quam habet fundatam in proportione faciente propositionem veram, quæ alioqui esset falsa. Nam si dico; Christus est agnus, in tantum hæc est vera, quatenus in agno est mansueto, & in Christo est humana mansuetudo; & planè istud significo, vbi dico, Christus est Agnus, idest Christus est mansuetus. Cæterum istud solum addo; parabolas omnes, & ænigmata scripturæ habere sensum litteralem metaphoricum. Ita dum ait Christus Matth.10.de Ioanne, *ipse est Elias*, de Beatitudine Luc.22. *vt edatis, & bibatis*; quæ quidem historicè non subsistunt, sed metaphoricè; & huiusmodi sunt innumerabilia in Sacra Scriptura tota. Sic dicitur deut.4.& Heb.12.*Deus ignis consumens*.

Quær.5. An sub iisdem Sacræ Scripturæ verbis possit esse multiplex sensus litteralis, seu historicus, seu metaphoricus. Resp. affirmatiuè cum D.Aug.12.confes.18.19.20.D.Tho.par.1.qu.1. art.10.& communi contra Michaelem nostrum de Medina l.1. de Fide. Et quidem exemplis res est manifesta; quorum aliqua pono. Primò; illud Isa.53.*Generationem eius quis enarrabit*? exponitur à Sanctis Patribus ad litteram, tum de Verbi generatione æterna, tum de Christi generatione temporali. Secundò illud Isa. ibid. *Verè languores nostros ipse tulit,* Diuus Petrus ep.1.cap.2.accipit de salute data animabus, *peccata nostra pertulit in corpore suo, cuius liuore sanati sumus*; at Diuus Matthæus c.8.de sanitate data corporibus, *omnes malè habentes curauit, vt adimpleretur, quod dictũ est per Isaiam &c.*Tertiò;illud Ps.2. *Ego hodie genui te* accipitur à Paulo heb.1. de generatione Verbi æterna, *cui Angelorum dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te*? Item ab eodem Heb.5.de collatione æterni Sacerdotij Christo, *Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum dicens, Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Item ab eodem Act.13. de resuscitatione à sepulchro; *Resuscitans Iesum, sicut in Psalmo scriptum est, Filius meus es tu; ego hodie genui te*. Demum ab Ecclesia accipitur de generatione Christi temporali, vnde in Missa Natiuitatis assumitur in Introitum *Dominum dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genui te*.

Dices cum Medina. Ergo tollitur scripturæ firmitas; neque enim licebit scire, quid ea velit significare, si plura diuersa primò significat. Resp. Negando sequelam; neque enim significat disiunctiuè, & sub incertitudine, vel hoc, vel illud; sed certò, & coniunctiuè, hoc atque illud. At instabis; nimia erit libertas, accipiendi scripturas ad proprium ingenium cuiusque, & vsurpare veluti prolatas eo modo in sensu litterali. Resp. Non est ita, siquidem non pro libito, ac temerè, sed cum ratione in dubijs procedendum est; ac tantum erit pondus assertionis, quanta causa erit asserendi;

v. g.

v.g.Apoc.7.Angelus apparet ab ortu Solis habens ſignum Dei viui. Quid ſignificat ad litteram? Sancti Patres communiter accipiunt de Chriſto; Liranus, & Aureolus, ac Georgius Ederus de Conſtantino Magno. Vtrumque habet pondus opinionis, vtpotè ab Eccleſia non iudicatum, & in Scriptura non expreſſum; & vtraque opinio ſoli nititur authoritati, ac tantę eſt firmitatis vna, quanti valet conſenſus Patrum; atque altera, quanti penditur ſenſus poſteriorum ſcripturiſtarum.

At addemus cum Diuo Bernardino, & Diuo Bonauentura, illam fuiſſe prophetiam ad litteram de Seraphico P. S. Franciſco. Hæc porrò aſſertio tantum ponderat, quantum priuata reuelatio diuinitùs facta, & à Sancto ipſo Bonauentura relata in prol. legen. Ita ſi velis dicere, prophetiam Iacob. Gen. 49. *Fiat Dan coluber in via &c.* fuiſſe litteraliter, tum de Samſone, tam de Antichriſto, aderunt fundamenta, quæ refert Cornelius à lap. in Apoc. Ita illud ibidem Gen. 49. *Beniamin lupus rapax &c.* ait Diuus Auguſt. fuiſſe prophetiam de Saulo vertendo in Paulum.

Quær. 6. An detur vllus ſcripturæ locus, non habens litteralem ſenſum, ſed ſolum ſpiritualem, ſeu myſticum, Reſp. negatiuè cum Diuo Tho. p. p. qu. 102. ar.1. contra Liran. prol.3. & Zumel p.p. qu.1. ar.7. Siquidem vbique eſt illa veritas, quæ primò intenta eſt à Deo, vel litteraliter hiſtoricè, vel litteraliter metaphoricè; & fortaſſe Lyranus conſentit, ſed litteralem metaphoricum apellat myſticum. Ac profectò dici poteſt myſticus, ideſt ſecretus; plerumque etenim latet illud determinatum primò intentum, vt videre eſt in Cantico Canticorum, & Apocalypſi. Cæterum aliquo modo ſemper eſt præſupponendus myſtico propriè dicto ſenſus litteralis; vnde Diuus Hieronymus in Abdiam; *In interpretatione prophetica debemus ordinem noſtrum ſequi; vt primum hiſtoriæ fundamenta iaciamus; deinde ſi poſſimus, excelſas turres, & tectorum culmina ſuberigamus.*

Dices. Primò intentus eſt ſenſus myſticus, adeòque nil curandum de litterali; iuxta illud 2. Cor. 3. *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Reſp. in nouo Teſtamento ipſa littera eſt ſpiritus, quippe myſticè velabatur ſub littera veteris Teſtamenti; adeoque in veteri erat quidem primò intentus ſenſus ſpiritualis primitate perfectionis, non autem primitate conſiderationis; quia niſi cognoſcas ſignificatum vocis, non potes cognoſcere myſterium ſignificati. Quod dicitur, *littera occidit* autem ſenſus eſt duplex, tum quia materialis obſeruantia legalium Moſaicorum præſcindendo à Fide in Chriſtum venturum occidebat negatiuè, ideſt non viuificabat animas; nam abſque Chriſti merito non eſt in homine meritum; tum etiam quia poſt prædicatum Euangelium ea Moſaica occidunt poſitiuè, vtpotè nedum mortua, ſed mortifera. Non ergo ſenſus eſt, vel de littera Noui Teſtamenti, vel de littera etiam Veteris quoad intelligere, ſed de hac quoad obſeruare legaliter, & facto exercere.

Quęr.7. An ex ſenſu Myſtico ſit efficax probatio contra hæreticum Reſp. Quamuis videatur affirmare Diuus Tho. prp. qu.1. ar. 10. & alij id ſequantur,

tur; potiùs tamen dico cum Seraphino à Porrecta p. p. ib. & Molina ibid. ac Salmerone prol. 19. quod solus sensus mysticus absque vllo fulcro, vel scripturæ litteraliter claræ, vel traditionis, aut decisionis Ecclesiasticæ est debilis, & insufficiens; nam semper liberum erit aduersario dicere, expositionem esse ingeniosam, non autem veram. Hinc D. Iren. l. 1. cap. 1. & D. Epiph. hær. 31. irrident hæreticos Valentinianos, qui suos probabant errores per scripturas mysticè ab ipsis explicatas. Et quidem si disputatur de Fide, iam habetur, vel expressa scriptura in sensu Ecclesiæ, vel traditio, vel Concilij definitio; adeoque addi vtique potest, & scriptura mysticè exposita, at non erit talis ratio conuincens, sed ea erit rationis augmentum, seu ornamentum.

Dices cum Sylueira Resol. 2. qu. 4. Paulus 1. Cor. 9. probat, danda stipendia Ministris Ecclesiæ ex illo Deut. 26. *Non alligabis os boui trituranti.* Idem Hæb. 1. probat Christum Dei filium ex eo dicto de Salomone 2. Re. 7. *Ego ero illi in Patrem*. Petrus epist. 1. cap. 3. probat Baptismum saluare ex similitudine cum Arca Noè. Demum Ecclesia canit, *Rubum quem viderat Moyses incombustum, conseruatam agnouimus tuam laudabilem Virginitatem &c.* adeoque probat id per illam typicam figuram. Resp. Istæ non sunt probationes, sed applicationes figurales; & solum conuincunt, talia fuisse primitùs adumbrata. Cęterū supponitur efficax probatio aliunde; puta ex naturali iustitia, & ritu veterum Sacerdotum morali, & non cæremoniali, alendos Dei ministros; ex Scriptura Euangelij, Christum esse Deum Verbum, & Baptismum esse salutiferum; ex traditione Ecclesiæ Mariam esse semper Virginem. Ita dicito de alijs.

Quær. 8. An quilibet Scripturæ locus præter sensum, siue historicè, siue metaphoricè litteralem, habeat omnes illos tres mysticos; & quinam sit nobilior, litteralis ne, an mysticus. Resp. quoad primum negatiuè cum Diuo Aug. qu. 2. in Genes. dicente, in quibusdam locis quærendum solum sensum litteralem; & 17. Ciu. 3. *multum audere, qui prorsus omnia significationibus allegoricis inuoluta esse contendunt.* Et quidem illud Mat. 22. *Diliges Dominum Dęum tuum ex toto corde tuo &c.* non videtur posse habere aliū sensum, quam litteralem. Quoad secundum; Sylueira cum Vasque cedit primatum sensui litterali, alij autem Mystico; illi ideo quia litteralis est fundamentum; isti quia mysticus est nucleus intra rudem corticem clausus. Et vtique ita puto nobiliorem mysticum veteris testamenti, non verò noui; nam de veteri ait Paulus, *littera occidit* oportebat enim, vt illi veteres crederent mysteria sub cæremoniarum velaminibus tecta, ad hoc vt illis contingeret illud *spiritus autem viuificat*.

Quær. 9. An pręter illos enumeratos quatuor sensus admittendus sit sensus accomodatitius. Resp. affirmatiuè; sic enim sepissimè facit Ecclesia; vt dum Virgini applicat Scripturas de Aeterna Sapientia agentes; v.g. *Dominus possedit me in initio viarum suarum &c.* Ita & cuilibet Sancto Confessori applicat illud Sap. 10. dictum de Patriarcha Iacob, *Iustum deduxit per vias*

rectas,

rectas, & ostendit illi Regnum Dei &c. videlicet Gen. 28. quando vidit Cœlestem Scalam. Ita Sanctis Martyribus Ioanni, & Paulo illud Apocal. 11. *Isti sunt duæ oliuæ &c.* quod communiter de Enoch, & Elia interpretamur. Huiusmodi sunt innumera; interim est notandum duplex monitum in scripturarum accommodatione. Primum, ne obtrudatur sensus accommodatitius tamquam litteralis; contra quem abusum Diuus Hieron. ad Paulin. epist. 103. *Quidquid dixerint, hoc legem Dei putant; nec scire dignantur, quid Apostoli, quid Prophetæ senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia.* Alterum, ne scurriliter, aut ridiculè applicetur scriptura; contra quem errorem habet D. Tho. 2.2. qu. 168. art. 2. ad 1. fieri iniuriam Verbo Dei; vt etiam docet Concil. Trid. sess. 4. vbi de vsu librorum; adeòque peccant irreuerentia prædicatores, si quando scurriliter adhibeant Sacram Scripturam; idque tunc est, cum inde oboritur vilipendium Sacrorum Verborum. Quid autem dicemus de impietate hæreticorum? Tanta fuere audacia Lutherus, & Caluinus; vt illud Apoc. 12. *Michael & Angeli eius* sibi ipsis adscriberent. Eiusmodi ergo sint applicationes scripturæ, vt à veritate rei non discordent, sed analogiam realem habeant.

Quær. 10. Qua regula dignoscendus sit verus sensus litteralis Scripturæ. Resp. Primò si est declaratus diffinitione Ecclesiæ, v. g. illud Io. 14. *Pater maior me est,* declaratur in Concilio Nicæno, intelligi de Christo, non secundum totum quod est in Christo, neque secundum personam, quæ est Christus, sed secundum naturam humanam, quæ est in Christo cum natura Diuina per vnionem hypostaticam. Secundò si est conformis alteri scripturę claræ in suo litterali; v. g. illud Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit,* patet esse intelligendum de credere per fidem, quæ per charitatem operatur; sic enim conuincit clarissimus textus Iaco. 2. *Fides sine operibus mortua est.* Tertiò si est expositio communis Sanctorum Patrum, v. g illud Isa. 14. *Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer?* quod dicitur ibi ad litteram de Rege Babylonis, seu Nabucodonosore, vt ait Diuus Hieronymus; seu Balthassare eius filio, qui vtique de Cœlo Regiæ potentiæ decidit victus à Cyro, & Dario, Dan. 5. vt sentit Cyprianus; tamen ad litteram intelligi de casu præcipiti dæmonis Luciferi, patet ex communi acceptione Sanctorum. Ita Diuus Hieronymus 2: adu. Ioui. post allatum cum textum arguit, *si altissima illa sublimitas cecidit, quis cadere non possit? si in Cœlo ruinæ, quanto magis in terra?*

Quær. 11. An sensus litteralis vbique in scriptura sit facilis, & à quolibet perceptibilis. Resp. Negatiuè; quare claudit his verbis suam Prophetiam Osee cap. 14. *Quis sapiens, & intelliget ista?* Vnde & Matth. 13. aiuunt Apostoli, *Edissere nobis parabolam.* Et quidem sunt multa patentissima, vt Io. 1. *Verbum caro factum est*; Mar. 16. *qui non crediderit, condemnabitur,* & alia huiusmodi; sed & in his desudat explicando Theologus Scholásticus; & sunt multo plura omnino ænigmatica, vt Canticum Canticorum, Symbola Prophetarum, Apocalypsis, & sparsim vbique, de quorum primo conceptu

ceptu litterali, si esset euidens, non fierent tot diuersæ opiniones scripturistarum. Fatetur illud Summum Augustini ingenium epist. ad Ianua:cap.6. *In ipsis Sanctis Scripturis multo plura nescio, quam scio*; & maximus Hieronymus in 4. Ephe. *Quo plus in scripturis procedit quis, eo maiores ei occurrunt difficultates*. Ex quo patet quam sit Anabaptistarum nouatorum insana temeritas, qui fœmellis ipsis explicandas vecordi impetu Scripturas tradunt.

Obscuritatis in Scriptura multæ sunt causæ. Primò Deus ita volens, Diuinitatis extare testimonium in ipso libro infinitis referto mysterijs. Quem enim dabis alium, in quo tot sensus rationabiles, & ad virtutem stimulantes claudantur? Iam verò si attentè contempleris Sacram Scripturam, fatebere cum Chrysost. ho.18. in Gen. *Qualibet syllaba, & apiculus vnicus reconditum habet mysteriorum thesaurum*. His similia dedi ex Diuo Hieronymo in Epist. ad Ephes. & in commate notasti, vbi disserui illud Io.1. *Quod factum est &c.* Exam· præced. qu. 9. Secundò, vt superbi priuentùr dulcedine, cuius indignos se præbent, iuxta illud Matt. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*. Tertiò vt Fides habeat maius meriti exercitium; vbi enim quid non capis, Fide ignorantiam sacrificas. Hoc est mysticè illud dictum Exo. 12. de Agno integr[illegible] vorando, nec toto deuorabili; *Si quid residuum fuerit, igne comburetis*. Ore Fidei deuoro integrum Agnum mysterij, *caput cum pedibus, & intestina*; at quia adhuc manet quidpiam non perceptibile, & semper manet residuum meæ ignorantiæ, hoc ignis comburat Humilitatis, & Fidei deuotæ; est quippe vltra satis.

Quær. 12. In quibus consistat difficultas Sacræ Scripturæ. Resp. In multis. Primò; quia plurimæ sunt locutiones metaphoricę, cuiusmodi apud Ezechielem, & passim tota Scriptura, vt vbi Christus appellatur, *Vitis, Leo, Agnus &c.* Secundò; quia multæ sunt apparentes contradictiones, vt vbi Matt. 10. prohibetur delatio virgæ, *neque peram, neque virgam*, at Mar.6. scribitur, *præcepit, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum*. Quæ contradictio nequit auferri absque studio; videlicet nisi perceperis, esse virgam defensoriam hebraicè *Scheneth*, quæ prohibetur, vt species armorum; & virgam viatoriam, baculum peregrini, hebraicè *Mischan*, quę permittitur. Plurimæ itaque apparent, sed nulla est contradictio scripturarum; Tertiò; quia multa videntur casu aceruata, & sonantia battologiam, & tamen ordinatissimè sunt; sed nisi mysterium noueris, caligine obrueris v.g. Ezech. 21, v. 27. *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam*; non est vana replicatio, sed vehemētia assertionis infallibilis absolutè, & prętereа adumbratio Ierosolymæ ter vastandæ, à Nabucodonosore, Antiocho, Tito Vespasiani. Quartò; quia non omnia prædicuntur eodem modo; alia quippè conditionatè, vt illud Ionæ 2. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*; alia absolutè, vt illud Isa. 7. *Ecce Virgo concipiet &c.* Quintò; quia vox eadem non vbique idem sonat, v.g. Io. 20: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*; etenim non eodem modo est Deus Pater noster, ac

Pater

Pater vnigeniti sui Christi. Sextò; quia Scriptura de Deo agit per antiopopathon, seu more humano, vt se nobis accommodet; atqui eo ipso ingerit difficultates, dum Deo tribuit, quæ Deo repugnant, v. g. Gen. 6. *pænituit, quod hominem fecisset.* Vbique igitur opus est, implorare à Deo lumen. Denique multa obscuritas venit e phrasibus proprijs scripturæ, seu ob idiotismos linguarum, hebraicæ, & Græcæ,

NONVM EXAMEN.

De Idiotismis Sacræ Scripturæ; & de Tropis.

QVær. 1. Quid, & quotuplex sit idiotismus Sacrorum Bibliorum. Resp. Idiotismus idem est, quod peculiaritas alicuius linguę in eo differentis ab alijs, v. g. quod in latino sint verba passiui soni, & actiuæ significationis, videlicet deponentia, vt *auxilior*, *assentior* &c. est Idiotismus linguę latinę. Sic itaque Sacra Biblia cum sint, ex partè hebraicè, ex parte græcè primò edita, habent idiotismos, seu proprietates eorum idiomatũ; ex quo etiã capite venit difficultas, vel transferendi in latinum eos libros, vel tra nslatos intelligendi. Distinguntur itaque idiotismi ex parte linguæ in hebraicos, & græcos; ex parte verò vocum, hebraici distinguuntur in negatiuos, & positiuos; hi autem in idiotismos vocis genericæ, itemq; Nominis, Verbi, & particularum orationis, quæ translatæ de hebræo ingerunt obstrusum sensum. De his sigillatim dicemus, & addemus postmodum de tropicis, seu figuratis locutionibus, quæ occurrunt in Sacra Scriptura.

Quær. 2. Qui sint idiotismi hebraici negatiui. Resp. qui ex eius linguæ sterilitate proueniunt. Primò carent hebræi declinatione casuum, habentque nomina indeclinabilia; vndè hebraizando protulit Paulus 2. Cor. 8. v. 23. *siue pro Tito, siue fratres nostri*, at sensus est *pro fratribus nostris*. Secundò carent præsenti, & imperfecto modi indicatiui; & pro ijs vtuntur prę terito perfecto, v.g. psal. 115. *Credidi propter quod locutus sum*, & sensus est; *credo, ideoque loquor*. Aliquando etiam substituunt participium, vt 1. Cor. 12. v. 2. *ad simulacra euntes*, & sensus est, *ibatis*. Tertiò carent nomine comparatiuo, cuius loco ponunt simplex positiuum, vt psal. 117. *Bonum est sperare in Domino &c.* idest *melius est*. Vel affirmant maius, & negant minus, vt Osee 6. v. 6. *Misericordiam volo, & non Sacrificium*, idest *magis, quam Sacrificium*. Ita psal. 21. *Ego sum vermis, & non homo*, idest *potius vermis, quam homo*. Ita 1. Cor. 3. *Non ego, sed Gratia Dei mecum*, idest *plus Gratia, quam ego*. Ita Matt. 23. *Patrem nolite vocare super terram*, idest credite magis paternè amatorem Deum. Vel ponunt contraria, ad exprimendam comparationem; vt Malac. 1. & Ro. 9. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*; idest magis dilexi Iacob.

Quartò carent superlatiuo, adeoque exprimunt excessum nomine positiuo

tiuo, sed addendo vocem *Dei*, v.g. *montes Dei*, idest maximi montes; *cedri Dei*, idest altissimæ; *filij Dei* nempè optimi. Vel superlatiuum exprimunt per epitasim, idest per exaggerationem; v.g. ps.106. *omnem escam*, idest præstantissimam escam; ps.28. *vniuersa vanitas*, idest maxima vanitas; Eccle.12. v.13. *hoc est enim omnis homo*, videlicèt hoc est esse perfectum hominem, seu maximum; 1.Re.4.v.8. *percusserunt Aegyptum omni plaga*, idest grauissima plaga. Vel explicant duplicatione nominis, vt *Sanctum Sanctorum*, idest Sanctissimum; *Canticum canticorum*, idest canticum præstantissimum; *Deus Deorum*, Deus verus Optimus Maximus.

Quær.3. Qui sint idiotismi vocis genericæ. Resp. significationes distinctæ, per vocem confusam, seù significationes particulares per vocem communẽ, & veluti æquiuocam; v.g. hebraicum *tsinah* est nomen commune armorum; & in vulgata variè translatum est; Ezech.23.v.24. pro lorica; cap.26.v.8. pro clypeo, cap.28. v.4. pro hasta. Ita hebraicum *tannim* significat monstrum immanis molis, & vertitur Gen.1. v.21. *cete grandia*, videlicèt acceptum est pro balena; & alibi, tum in vulgata, tum apud LXX vertitur differenter, pro dracone, sirene, fauno, struthiocamelo, vel ironicè passere camelo. Ita hebræum *belodach* significat quodlibet durum pellucidum, ideoq; Gen. 2.v.12. scribitur bdelium, ac apud LXX carbunculus, & alibi crystallus. Ita hebraicum *ela* significat genericè arborem glandiferam, adeoque Diuus Hieron. & LXX vertunt modò quercum, modò ilicem, terebinthum, vel castaneam.

Aliquando autem ipsa æquiuocatio translata est in latinum, seù ex hebraico, seù ex greco, v.g. ex hebraico *tsachaqu* significante ludum, translata est etiam, in latinum vox ludendi, sed ęquiuocè nam Gen.21.v.9. *vidit Sara ludentem Ismael cum Isaac*, idest pugnis aggressum, seù persequentem, vt explicat Paulus Gal.4. at verò Exo.32. v.6. *surrexerunt ludere*, idest tripudiare, vel idolatrare; atqui 2.Re.2. *surgant pueri, & ludant*, idest duellent contra se. Ita in græco *prophetare*, quod propriè significat futura prædicere, est tamen æquiuocum, & æquiuocè est etiam translatum in latinum de hebręo, & de græco, videlicet 1.Re.10. v.5. *ipsosque prophetantes*, idest laudantes Deum; at 1.Re.18.v.10. *Saul prophetabat* 3.Re.18. *prophetas Baal.* Iere.29. v.8. *non vos seducant prophetæ vestri*: his, & huiusmodi locis prophetare est insana loqui. Eccli.48.v.14. de Eliseo, *mortuum prophetauit corpus eius*, idest miracula operatum est; ibid. cap.49. v.18. de Iosepho, *ossa ipsius post mortem prophetauerunt*, idest prophetiam, seù præditionem confirmarunt 1.Cor.14.v.3. *qui prophetat*, idest interpretatur scripturas.

Quær. 4. Qui sint idiotismi nominum. Resp. Varius vsus nominum in Sacra Scriptura. Primò, sępè appellantur loca nominibus hominum, ad quos ea spectant, v.g. Idumæa dicitur Edom, quod nomen est Esau; nomine Israel, vel Iacob accipitur populus totus de Iacob descendens, vt psal. 78 *quia comederunt Iacob*; nomine Iudæ Regnum Iudeæ, vel tribus Iuda, vt Iudic. 1. *Iudas ascendet*; & sępè alibi nominantur Reges Iuda. Secundò; sunt

sunt plurima synonyma, nedum personarum, sed & locorum, v.g. Regnum decem tribuum diuisarum à Regno Iudeæ dicitur, Ephraim, Ioseph, Samaria, Israel, Iacob. Nec vtique casu, nam dicitur Samaria ob metropolim suam; dicitur Ephraim, quia in tribu Ephraim erat ea vrbs; dicitur Ioseph, quia tribus Ephraim venit de Ioseph patre; dicitur Israel, vel Iacob, quia Regnum hoc potiorem habuit partem populi Israel, videlicèt decem tribus. Tertiò; Vrbes, vel Regna humanis appellatiuis nominibus quandoque exprimuntur. v.g. Tyrus *filia maris*, quatenus erat insula; Ierusalem *filia Sion*, quia sita sub monte Sion; Regnum Iuda dicitur à Ieremia *filia populi mei*, Thren.4.v.3.

Quartò; Scriptura solet significare excessum per nomen filiationis, v.g. *filius superbiæ* valdè superbus, filius mortis valdè dignus morte, *filia fœminarum* pulcherrima fœmina, *filius lucis* multum illuminatus. Quintò; per replicationem signatur multitudo v.g. ps.32.v.11. *in generatione, & generationem*, idest in multas, vel in omnes generationes; ps.86. *Homo, & homo*, idest multitudo hominum. Osee 2. *dicite fratribus vestris, & sororibus*, idest cunctis Israelitis. Sextò; adhibet aliquando nomina mystica vt Eze. 34. v.23. *suscitabo pastorem Dauid*, idest Christum Messiam; 1.Pet.5. *Ecclesia, quæ est in Babylone*, videlicèt in Vrbe, quæ est caput Monarchiæ terrenæ, in Vrbe Romæ; Apoc.11.v.8. *ciuitatis, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus*, vtique ibi indicatur Ierosolyma. Septimò; nonnunquam Scriptura loquitur paraphrasticè, & per circumlocutionem, vt canem nominat *mingentem ad parietem* 2.Re. 25. & alibi. Octauò; vtitur nominibus per heterosim, idest per alterationem, commutando concreta in abstracta, v.g. Isa. 60. *ponam visitationem tuam pacem*, idest dabo visitatores pacificos; 1.Cor.1. *factus est nobis iustitia, & sanctificatio, & redemptio*, idest Iustificator, Sanctificator, Redemptor 2.Cor.5. *facti iustitia in Christo*, idest iustificati per Christum. Ita pariter accipitur vox visionis pro re visa v.g. *Visio Isaiæ*, vel verbum pro re narranda; *Factum est verbum Domini &c.* idest hæc res contigit à Deo..

Vtitur etiam Scriptura nominibus mythicis, seù fabulosis; non quia probet fabulas; Sed per mimosim, seù imitationem irrisoriam citat; vt vbi nominat, Titanas, Arcturũ, Cocytum &c. Iudith 16. *Nec filij Titan percusserunt eum*; Iob.9.v.9. *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas*; Iob.21.v.33. *dulcis fuit glareis Cocyti*; Iob 42.14. *cornu stibij* LXX *Amalthea cornu*; Isa.34. v.14. *occurrent dæmonia onocentauris*. Item vtitur nominibus Symbolicis, vt apud Ieremiam nominatur ira columbæ, & gladius columbæ, vbi per columbam subintelliguntur Chaldæi, nempè Babylonij, in quorum militari labaro erat columba, vt in Romanorum erat aquila; fingebant siquidem illi, primam Reginam Semiramidem versam fuisse in columbam.

Quær. 5. Qui sint idiotismi Verborum. Resp. Modus peculiaris vtendi verbis. Primò; aliquando exprimitur actio, & intelligitur solum principiũ, seù exordium actionis, v.g. Hebræi egressi dicuntur de Egypto *vespere*. Deut.16.

Deut.16.*noctu* Exod.12.*mane* Num.23.videlicet vespere præpararunt exitū; noctu obtinuerunt permissionem à Pharaone, & manè egressi sunt. Aliquando è contra capitur inceptio actus pro actu, vt Apoc.3.*incipiam te euomere*, idest euomam te. Secundò; sæpè in verbo facti intelligitur debitum, intentio, aliudue tale v.g.heb.13. *ipsi peruigilant*, idest vigilare tenentur; Io:1. *lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, idest intendit illuminare, quantum est de se. Leu.20. *Ego Dominus qui sanctifico vos*, idest iubeo, vt sancti sitis; Leuit.13.v.11. *contaminabit eum Sacerdos*, idest contaminatum esse iudicabit. Ierem.1. *euellas, & destruas, & ædifices, & plantes*, idest pronuncies, hos ædificandos, illos destruendos. Aliquando ex opposito, dici, aut dicere, accipitur pro esse, vel facere, vt Isa.7. *vocabitur Emanuel*, idest erit Emanuel, videlicèt, in nostra natura Deus. Iere.4. *loquar iudicia*, idest infligam pœnas.

Tertiò;alicubi verba neutra fiunt actiua, vt ps. 51. *emigrabit te* prò emigrare te faciet. Ionæ 3.*clamauit Rex*, idest clamare fecit, Osee 8.*ipsi regnauerunt* idest Regem constituerunt Rom.8. *Spiritus postulat* idest postulare facit 2. Cor.2.*Deus triumphat vos*, idest triumphare facit. Quartò; ad emphasim, nempè ad significandum plusquam dicatur, geminat verbum participio, vt 1.Re.26.*faciens faciet*; ps.117.*castigans castigauit*. Thre.1. *Plorans plorauit*. Ita etiam addendo nomen suo verbo deriuatiuo, vt Gen. 2. *Morte morieris*. Idem exaggerandi modus est contraponendo opposita, vt Isa.38. *Morieris*, *& non viues*. Eze.18. *Vita diuet*, *& non morietur*. Io:1. *Confessus est, & non negauit*.

Quær.6. Qui sint idiotismi præpositionum, & aliarum particularum. Resp.Vsus particularis earumdem. Primò;præpositio *a* idem potest valere, ac ante, v.g.Eccl.41. *erubescite à patre*, idest coram patre. Præpositio *ad* potest esse pro *de*,v.g.2.Re.3.*Dominus locutus est ad Dauid*,idest de Dauid; Luc. 19. *ait Iesus ad eum*, idest de eo; heb.1. *ad Angelos quidem dicit*, idest de Angelis; heb.4. *ad quem nobis sermo*; idest de quo. Præpositio *in* potest esse pro *per*, v.g. Luc.22.*si percutimus in gladio*, idest per gladium. Secundò; particula *si* est sæpè negatiua,v.g. Iudic.5.*si apparuerint*, idest non apparuerunt;ps.94.*si introibunt*, idest non introibunt. Tertiò; particula *autem* aliquando est pro, *&*, *sed*, *quia*, *ideo*, *ergo*, & aliquando prorsus redundat. Ex opposito quandoque est *enim* pro *autem*. Quartò; particulę causales, *quia*, *propter quod*, *propterea* aliquando non sunt causales. Quintò demum; particula *donec* non semel abstrahit à termino ponendo,v.g. ps.109. *donec ponam inimicos tuos &c.* non est sensus, tunc non sedebis, sed *sede à dextris meis*, & interea ponam &c. ita Mat. 1. *Non cognoscebat eam*, *donec peperit*, idest Virgo peperit.

Quær.7. An Scriptura Sacra vtatur Tropis. Resp.affirmatiuè. Tropus idem sonat, quod modus figuralis, estque tropus orationis extraordinarius loquendi modus. Hisce abundat Sacra Scriptura. Primò; habet metaphoras creberrimè; est autem metaphora translatio vocis à proprio ad improprium,

prium, sed similitudinarium significatum, v.g. Isa.11. lupi, serpentes, dracones sunt barbaræ gentes; Calix est sors, seu bona, seu mala, vtpote sorbenda, qualisque contingit, vt ps.115. *Calicem salutaris*, idest sortem salutiferam; Eze. 23. *Calice mœroris*, idest sorte funesta. *Fodere* Osee 3. significat emere. *Caput canis* 2.Re.3. denotat rem vilissimam; *adepes frumenti* est optimum frumentum; *baculus panis* victus sustentationis; *onus* prophetia ærumnæ; *pactum salis* pactum imputribile, idest æternum; *funis*, vel *funiculus* possessio, quippe funibus mensurabantur agri; esse *caput*, vel *caudam*, esse primum, vel vltimum; *indui* re aliqua, eam firmiter habere; *animam in manibus* habere, vitam exponere; *reuelare aurem*, indicare secretum; *suscitare verbum* præstare promissa; *suscitare arcum &c.* adhibere arma. Vasa dicuntur quælibet instrumenta, *vt vasa mortis* quidquid lethale, *vasa belli* arma, *vasa psalmi* musicalia instrumenta. Huiusmodi sunt inter innumeras præcipue metaphoræ. Est autem adnotandum, Scripturam ab vna metaphora subinde ad aliā transire, vt Zach.3. Christus vocatur *Oriens*, mox idem dicitur *lapis*; Osee 2. Synagoga dicitur *mulier*, itemque *vinea* Isa.27. Diabolus dicitur *leuiathan*, seu balena, itemque *draco*, & *vectis*.

Secundò; vtitur Scriptura Synechdoche, quæ est acceptio partis pro toto, vel è conuerso. Ita Arabes, Aegyptij, aliaue natio ethnica omnes infideles persæpè indicat, inquit Diuus Hieron. in 60. Isaiæ. Ita accipitur caput pro corpore, vel pro vita, anima pro toto homine, vel quandoque pro cadauere, cui anima infuit, vt Num.9. vbi de immunditia legali *super anima hominis*, idest ob cadaueris contactum. Accipitur item materia pro re materiali, vt 2.Re.6. ludere in *lignis*, idest instrumenta musica tractare. Ita etiam in numerando solent omitti numeri articuli, & soli numeri pleni supputari, v.g. Septuaginta Seniores recensentur, atqui erant septuaginta duo; & ex opposito quandoque crescit numerus, vt Iudic.9. dicuntur occisi septuaginta filij Gedeonis, de quo tamen numero excipiendi duo; Abimelec fratrum occisor, & Ioatham natu minimus, qui euasit.

Per Synechdochen item accipitur illud Mat.12. *Sicut Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*, participauit quippè tempus mortis Christi, sed non impleuit tres dies, & tres noctes. Item vbi capitur genus pro specie, vt Dan.7. *Tempus, & tempora, & dimidium temporis*, idest vnus annus, & duo anni, & semiannus, videlicèt, tres anni, & semis. Vel è contra species pro genere, vt ps.50. *libera me de sanguinibus*, idest de peccatis; atqui propriè sanguis indicat homicidium. Item vbi de Christo dicitur, quod de eius corpore mystico est adimpletum, vt Zac.2. v.8. *misit me ad gentes*; atqui Apostoli ad eos missi sunt. Ita Gen.13. promittitur Abrahæ terra, non illi, sed posteris danda.

Tertiò; habet Scriptura Metonymiam, quæ est sumere causam pro effectu, & viceuersa, ita portare peccatum est portare pœnas peccati; ita accipitur caro pro concupiscentia radicata in corpore; ita Mundus pro amatoribus

Mundi.

Mundi. Habet Antonomasiam, quæ est excellentia alicuius in aliqua appellatione; ita non semel *Fluuius* significat Euphratem, qui futurus erat terminus terræ promissæ. Habet Antiphrasim, quæ est acceptio significati oppositi vocibus, vt Iob.1. *benedic Deo*; 3.Re.21. *Benedixit Naboth Deum*, accipitur benedicere pro maledicere, quæ vox quia horrenda, non ponitur. Ita Deut.22. v.9.*& quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur*, idest polluantur. Habet Catachresim, quæ est abusio vocis, dum pro alia vsurpatur, vt Mat.9.diffamare est famam celebrare; Gen.4. Iubal dicitur Musicorum *pater*, idest author, vel Magister; & ita dicitur diabolus pater mendacij; sunt demum in scriptura omnes formæ eloquij.

Quær. 8.Numquid Scriptura Sacra sit ornata Figuris Rhetoricis. Resp. affirmatiuè. Quamuis enim alicubi appareat rudis quædam simplicitas dicendi; alicubi tamen idioma eius genuinum est elegantissimum, vt hebraicus textus Isaiæ teste Diuo Hieronymo; at præterea ipsa simplicitas, est eloquentissima multiplicitas, quæ supra omnem vim Rhetoricam suum finem assequatur. De hoc Diuus Hieron. ep.103. ad Paulin. *Nolo offendaris in scripturis sanctis simplicitate, & quasi vilitate verborum, quæ de industria sic prolata sunt, vt rusticam conciõẽ faciliùs instruerent, & in vna, eademque sententia, aliter doctus, aliter audiret indoctus*. Quis Tullius, aut Demosthenes id præstiterit; semel loqui, & bis fructuosè percipi? atqui ps.61. *Semel locutus est Deus, duo audiui*, Cæterum sunt in Sacris Biblijs omnia Rhetoricarum genera figurarum. Figura est orationis variandæ modus, siue fiat locutione tropica, siue naturali. Esto sequens enumeratio in exemplum.

Alegoria vtique Regina Figurarum, si suo oportuno potiatur loco, est amplificatio metaphoræ, dùm videlicèt conceptus metaphoricus per suas circumstantias dilatatur, vt videre est in parabolis Euangelij; v.g. in Seminatore est metaphora Doctoris, seù Prędicatoris; hanc autem Christus Math.13. longiùs explicat, & per partes edisserit. Ita pulcherrimè Paulus Gal.4.explicat allegoriam duorum filiorum Abrahæ.

Adiunctio est modus loquendi, cum ad vnum nomen plura verba feruntur; vt crebro Paulus, v.g. Tit.2. *loquere, quæ decent, sanam doctrinam, Senes vt sobrij sint, pudici, prudentes, sani in Fide, in dilectione, in patientia*.

Agnominatio est, quando voces plures ita assimilantur mutuò, vt altera alteri alludat; v.g. Mat.16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*.

Antithesis, quando alterum alteri oppositum contraponitur; vt 2.Cor.4. *Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus*.

Apostrophe, quando conuertitur de repente sermo ad aliquẽ, cui alloqui occurrit; v.g. ps.4.post laudem, & inuocationem Dei, vertit se Propheta ad homines mundanos, *Filij hominum vsquequo graui corde &c.* Etiam quandoque fit ad insensata, ne dum ad absentia, vt ps.113. *Quid est tibi mare, quod fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?*

Com-

Commoratio, quando in eodem argumento diutiùs perſtamus, quippe ſi ſit efficax, non eſt leuiter attingendum. Ita Dauid miſericordiam Dei varijs formis pro ſuo beneficio exaltat pſ.50. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum &c. amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me &c.* quo toto pſalmo artificium eſt ſanè gratioſum pœnitentis per exaggerationem, hinc Diuinæ Miſericordiæ, hinc humanæ miſeriæ.

Conceſſio, quando aliquid contendenti conceditur, vt indè ad hominem validiùs arguatur, & proprium concludatur intentum. Ita Paulus ad Hebræos concedit veteris Teſtamenti prerogatiuas, vt multo maiores exaggeret noui Teſtamenti glorias; quare cap.9. *Habuit quidem, & prius iuſtificationes &c. Tabernaculum &c. Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius Tabernaculum &c.*

Correctio, quando quid ex induſtria quaſi exorbitanter dictum corrigitur, vt validius aſſultet argumentum. Ita Paul.2. Cor.12. poſt enarratas ſuas glorias, quaſi id fuiſſet iactantia, corrigit inquiens; *Factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis*, at repetit vehementiùs bona ſua miniſteria Corinthijs præſtita; eius quippè intentum eſt, eos firmare in affectu, & credulitate ſuis prædicationibus, quæ videbantur minùs profuiſſe quam par fuiſſet.

Deprecatio, quando quidpiam deprecamur; vt Rom.12. *Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem &c.*

Dubitatio, quando ambiguum quid proponitur pro vna parte determinandum, vt Luc.16. *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam &c.*

Epiphonema, quando clauduntur probationes acclamatione; vt Eccl. vltimo poſt multipliciter probatum illud *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, videlicèt, cuncta mundana eſſe vaniſſima, concluditur his denique verbis. *Finem loquendi pariter omnes audiamus; Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo &c.* Ita pſ.106. poſt longam Diuinorum operum narrationem concluditur; *Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc? & intelliget Miſericordias Domini?*

Exclamatio, quando prorumpitur in exceſſum; ſeù admirationis, vt Ro. 11. *O altitudo diuitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei!* ſeù commotionis vt Mat.17. *O generatio incredula, quandiu vos patiar!* ſeù commiſerationis, vt Gal.3. *O inſenſati Galathæ, quis vos faſcinauit &c.*

Gradatio, quando fit progreſſio veluti per gradus ordinatos ſiſtendo replicatione, vt Rom.5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit &c.*

Hypotypoſis, quando veluti ob oculos poſita res deſcribitur ad viuum; vt eſt equi deſcriptio Iob. 39. *gloria narium eius terror; terram vngula fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis, contemnit pauorem, nec cedit gladio.*

Hyperbole, quando in dicendo exceditur, vt 2.Re. 2. à Dauide dicuntur

Saul, & Ionathas *aquilis velociores, leonibus fortiores*. Ita Gen. 41. frumentum comparatur arenæ maris. Ita Io:vlt. Mundus non est satis capiendis libris de vita Christi scribendis.

Imprecatio, quando malis mala optantur, vt de hostibus Israelis ait Moses Exodi. 15. *Irruat super eos fortitudo, & pauor &c.*

Interpretatio, quando aliena testimonia sibi applicantur dicenti. Ita Paulus Act. 17. vsurpauit epigraphe Altaris Atheniensium *Ignoto Deo*, & ad suam rem applicuit, inferens: *quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis &c.*

Interrogatio, quando aliquid inquiritur; seù per modum examinis, vt Gen. 3. *Quare hoc fecisti?* seù detestando, vt ps. 2. *Quare fremuerunt gentes?* seù exprobando, vt ps. 51. *Quid gloriaris in malitia?* seu dubitando, vt ps. 115. *Quid retribuam Domino?* seu excitando, vt ps. 41. *Quare tristis es anima mea?* seu afferendo intentum, vt ps. 61. *Non ne Deo subiecta erit animam mea?*

Ironia, quando in materiali laudatione intenditur vituperatio, vt Gen. 3. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*. Ita Zach. 11. de triginta argenteis proditionis Christi dicitur per sarchasmum, *decorum pretium!*

Licentia, quando periculosa assertio præmittit petitionem libertatis loquendi, vt Iudith 5. ait Achior Holoferni, *Si digneris audire Domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo de populo isto*.

Pheriphrasis, quando circũloquimur pluribus verbis, quod vnico exprimi potest, vt ps. 106. Nauigantes dicuntur, *qui descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis*.

Prçteritio, quando videmur nolle prosequi, aut dicere, & magis dicimus, vt Paul. heb. 11. post multa fidei exempla subdit. *Et quid adhuc dicam? deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Sampson, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis.*

Præocupatio, quando obiectiones præuidentur, & exuflantur, vt Ro. 6. *Quid ergo dicemus? permanebis in peccato, vt gratia abundet? Absit; qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?*

Prosopopeia, quando loquitur absens, vel res, cui locutio non competit; vt in illa arborum parabola Iudic. 9. *locuta sunt ligna ad vitem; veni, & impera nobis; quæ respondit eis &c.*

Repetitio, quando eadem vox concinnè replicatur, vt 2. Cor. 11. *periculis fluminum periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus.*

Synonymia, quando idem ęquiualentium verborum repetitione dicitur, vt ps. 94. *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo*.

Sustentatio, quando suspenditur auditoris intelligentia aliquantulum, vt Mat. 11. *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Sed quid existis viderę? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam Prophetam.*

Transi-

Transitio, quando ab vna materia fit processus ad aliam. Ita Paulus 2. Cor.12. transit ab historia suarum passionum, ad narrationem suarum gratiarum; *si gloriari opportet, veniam ad visiones &c.* Hic iam vides Scripturam sanctam totius Sapientiæ thesaurū totius eruditionis magisterium. Sed adhuc pro honore Scripturæ.

Quær.9. An Scriptura Sacra habeat Poemata. Resp. affirmatiuè. Diuus Hieron. epi.155. ad Paulam Vrbicam ostendit aurifodinam totius doctrinę in Sacris Biblijs. *Quomodo Philosophi solent, Disputationes suas in Physicam, Ethicam, Logicamque partiri, ita & eloquia Diuina, aut de natura disputant, vt in Genesi, & in Ecclesiaste; aut de moribus vt in Prouerbijs, & in omnibus sparsim libris; aut de Logica, vt in Cantico canticorum, & in Euangelijs; licèt Apostolus sæpè proponat, assumat, confirmet, atque concludat, quæ propriè artis dialecticę sunt.* Patet præterea ibi fons omnis historiæ; prima item semina legum. Sed neque desunt Poemata, vt notat ibi Hier. Quatuor Psalmi, nempè 110. *Confitebor tibi Domine*, & 111. *Beatus vir*, & 118. *Beati imaculati*, & 144. *Exaltabo te Deus meus Rex*, sunt carmine compositi; priores trimetro Iambico; posteriores tetrametro. Item lamentationes Ieremię carmina sunt Saphica, sed caput tertium trimetro constat. Finis quoque Prouerbiorum ab eo loco cap.31. *Mulierem fortem* tetrametro iambico est. Sunt præterea ista poemata acroastica, cuius generis est nobis hymnus ille Natalitius, *A solis ortus cardine* secundum ordinem litterarum alphabeti, vt patet in Threnis, & ps.118. vbi litteræ alphabeti hebraici indicant, hebræum ibi carmen eo charactere incipere, adeoque in ps.118. est diuisio octonum carminum per singulas alphabeti litteras. Adde, esse poema tetrametro iambico Canticum Deut.32. *Audite cœli, quæ loquor*; & vt notat idem Hier. præf. in Iob maxima pars libri Iob carmine est hexametro per dactylos, & spondęos, aut ęquiualentes pedes, videlicèt ab eo loco cap.3. *Pereat dies* vsque ad illum cap.42. *idcirco me reprehendo*.



DECIMVM EXAMEN.

De Mensuris Biblicis.

QVær.1. quę sint ad notitiam Sacræ Scripturæ notanda de ponderibus, & valore ponderati argenti, atque auri in pecunijs. Resp. Quoniam talia non rarò ibi scribuntur, vt etiam de vasis diuersæ capacitatis, de varijs etiam extensionis quantitatibus; hæc omnia prænouisse, conferet liberiorem motum ad sacri lecturam libri. Quoad pondera itaque notandum; vnciam, itemque duodecim vnciarum libram esse vniuersalia, & vetustissima in Orbe pondera, atque adeo tum apud hebræos tum apud Gentiles æqualia; at verò alia pondera in duplo erant apud hebræos, excepto

Siclo item vbique æquali; adeoque vna drachma Hebrea habebat duas Atticas, vna mina hebræa duas atticas, itemque vnum talentum hebræum duo talenta attica, ideſt græca, ſeu etiam Romana, vt Tirin. in prol. colligit ex Gellio, Budæo, Villalpando. Libra integra duodecim vnciarum dicta eſt *As*, vel *pondium*, vel indeclinatè *pondo*; & ita dupondium ſunt duæ libræ, tripondium tres libræ, ſeu tres aſſes.

Duodecim partes vnius libræ ita nominantur; vt *vncia* ſit vnica pars; *Sextans*, ideſt ſexta libræ pars habeat duas vncias; *quadrans* tres; *triens* quatuor; *quincunx* quinque; *ſemis*, ideſt dimidium ſex; *ſeptunx* ſeptem; *bes*, cui nempè ad libram deeſt tertia pars, habeat octo; *dodrans* nouem; *dextans*, vel *decunx* decem; *deunx*, cui nempè vncia deeſt, habeat vndecim. Antiquitùs pretia fiebant ſolo pondere; Sicque *As* erat libra æris duodecim vnciarum; at mercaturę commodo cœpit vſus monetæ in ære ſignato, ſicque As neque vnciam ponderat, eſt enim quod dicimus Baiochum Romanum valoris decimæ partis Iulij argentei. Retinet autem Baiocchus rationem Aſſis, ſeu libræ duodecim vnciarum, videlicet, continet duodecim quatrinos, qui ſunt indiuiſibilia in valore, vt vncia eſt indiuiſibilis in pondere groſſiorum, puta in pondere æris. Cæterum in argento eſt ſubtilior ſubdiuiſio; atque tum in pondere, tum in valore monetarum prima radix eſt Siclus, vt notat Arias Montanus in Apparatu Bibl. Regior. ſicut in menſuris vaſorum prima radix eſt Satum, & in menſuris longitudinũ eſt Cubitus.

Quær. 2. Quid ſit Siclus. Reſp. eſt pondus drachmarum quatuor, vnde & dicitur græce *tetradrammum*, hebraicè autem *SeKel* à radice *SaKal*, quę ſignificat ponderare, quaſi dicatur *Siclus* prima ponderum regula. Eſt itaque dimidium vnciæ, non vulgaris, ſed pharmacopęorũ, vt notat Arias; qui & monetam Siclum habuit cuſam ante ſeparationem decem tribuum, in quo argenteo nummo ſunt characteres hebræi priſci, quos Samariticos appellauimus; atque ex vna parte icon vaſis alludens ad gomor mannæ, quæ colligebatur in deſerto; ex altera autem virgæ Aaron per miraculum floridæ, triceps veluti lilium. Scriptura autem Samaritica præfata orbiculatim ex parte vaſis *Sekel Iſrael*, ideſt Siclus Iſraelis, ex parte altera nempè virgæ *Ieruſalaim Kedeſſah*, hoc eſt Ieruſalem Sancta. Moneta Sicli ergo habet quatuor Iulios, ſeu drachmas argenti, quarum octo ſunt in eo nummo communiter dicto *Pezza*. Dicitur etiam Siclus *Stater*, vocatur item *Argenteus*. Atq; ita Chriſtus Dominus venditus fuit tringinta argenteis, videlicet Siclis, qui pendunt Iulios centum viginti,

Antiquiſſima pecunia fuit Siclus; nam Gen. 23. Abraham prò ſpelunca ſepulchrali condendæ Saræ *appendit quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ*. Quoniam autem in ſcriptura nominatur etiam Siclus auri, vt Num.7.v.14. *Mortariolum ex decem ſiclis aureis plenum incenſo*; itemque ſiclus æris, & ferri vt 1. Re.17. dicitur de lorica Goliæ, *pondus loricæ quinque millia ſiclorum*, & de cuſpide ferrea ſuæ haſtæ *ſexcentos ſiclos habebat ferri*,

ferri; notat Arias, non fuiſſe pecuniam vllam ſiclum aureum, vel æneum, ſed ſolam hic haberi ponderis ſicli argentei rationem, ſiue ſolas intelligi, ſeu auri, ſeu alterius metalli ſemiuncias; argenteum porrò Siclum fuiſſe tantidem ponderis pecuniam.

Quær. 3. An fuerint pecuniæ minores Siclo iuxta Scripturam. Reſp. Affirmatiuè. Fuit enim dimidium Sicli, ſeu didrachma, pendens duos Iulios, de quo Exo. 30. v. 13. *Siclus viginti obolos habet; media pars ſicli offertur Domino*. Fuit etiam tertia pars ſicli, nempe inter ſex, & ſeptem obolos, de qua 2. Eſdræ 10. v. 32. *Demus tertiam partem ſicli per annum &c.* Fuit item quarta pars ſicli, nempe quinque oboli, ſeu moneta æqualis Iulio Romano, de qua 1. Re. 9. v. 8. *inuenta eſt in manu mea quarta pars ſtateris argenti*; vbi in hebræo eſt *ſicli argenti*; adeoque ſtater, & ſiclus idem eſt. Fuit denique obolus vigeſima ſicli pars hebraicè *Gerah*, alias etiam *Meghah*, vel etiam *Keſcitah*, vt habet Arias. Hoc fortè ſignabatur imagine agni, vt etiam Gentiles pecude figurata pecuniam olim nuncuparunt. Siquidem Gen. 33. v. 29. vbi legimus, Iacob emiſſe *partem agri centum agnis* hebr. eſt *centum Keſcitoth*, quod etiam vocabulum *Keſcitoth* eſt Ioſu. 24. v. 32. *centum nouellis ouibus*; & Iob 42. v. 11. *dederunt ei vnuſquiſque ouem vnam*; quamuis fortaſſe maioris momenti fuerit ea moneta *Keſcitah*, quippè obolus minima argentea eſt. Videlicet obolus, ſeu *Gerah* pendit vnum granum ſicli, ſeu vigeſimam partem, adeoque duos baioccos Romanos; vnuſque obolus teſte Aria Montano ponderabat, quantum vnum ſemen ſiliquæ communis, quæ Hiſpanicè *algarroua*, Italis *carobba* dicitur, & ferè eius ponderis erat, ac modo turcicum *aſprum* argenteum.

Experimento ſiquidem didicit Arias, æquiponderare vni ſiclo viginti ſemina ſiliquæ communis, ſicque ſingula grana ſingulis obolis æquari. Eſt autem notandum, apud Authores dici obolum etiam litram; porrò maius eſſe Romanum *H S* ſeſtercium, ſi quidem ſeſtercius eſt quarta pars Iulij, ſiquidem habet dupondium cum ſemiſſe, nempe duos aſſes, & ſemis. Notandum inſuper, Denarium Atticum eſſe vnam Drachmam, ſeu Iulium, de quo videtur illud Matt. 18. v. 28. de Seruo, *qui debebat centum denarios*; at verò Denarius hebraicus fuit duplo maior, pendens nempe duos Iulios, & de hoc videtur agi Matt. 20. *conuentione facta ex denario diurno*. Hoc loco, vbi de Siclo eſt ſermo, notatur ingens difficultas de area Ornan Iebuſæi, quam dicitur emiſſe Dauid 2. Re. 24. *argenti ſiclis quinquaginta*, computatis etiam bobus; at 1. Paral. 21. dicitur dediſſe *Siclos auri iuſtiſſimi ponderis ſexcentos*. Verùm ſoluit Arias, tum primò emptum ſolum locum ſubitò ædificandi altaris; deindè verò tam ampliori pretio coemptum reliquum montis Moria, amplo Templo conſtruendo, quod eo loci perfecit Salomon.

Quær. 4. Qui fuerint iuxta ſcripturam nummi aurei. Reſp. Quomuis Arias dicat, non fuiſſe aureum ſiclum, tamen quo ad pondus ratio Sicli cunctis metallis competit, adeoque etiam auro. Itaque auri Siclus ponderat ſe-

miun

miunciam modo prænotato, videlicet drachmas quatuor, quod est dicere iuxta Tirinum duas Italicas dopias Iuliorum viginti quatuor. Dico quatuor drachmas atticas, quod est dicere duas hebræas. At verò quoad nummos; fuit Medi nummi genus, quod apud Esdram legitur *Adarcon*; etenim cap. 8. v. 27. vbi legimus de aureis crateribus habentibus *solidos millenos*, hebr. est *adarconim*, vt etiam 1. Paral. 29. v. 7. *auri solidos decem millia*. Habuit *Adarcon* duo *Zzelaghim*, atqui vnum *Zzelagh* duos Siclos, vt notat Arias, adeoque vnum *adarcon* quatuor siclos, seu dopias Italicas octo. Fuit etiam nummus aureus *DraKmon*, isque est in hebræo, vbi legimus 1. Esdre 2. v. 69. *auri solidos sexaginta millia, & mille*, quæ fortè fuit drachma aurea, seu dimidia Italica dopia.

Quær. 5. Quid sit Mina, quidque Talentum. Resp. Mina, seu Mna est pondus siclorum quinquaginta, seu vnciarum 25. adeoque Mna argenti habet Iulios ducentos, Mna auri dopias Italicas centum, loquendo de Mna hebraica. De Minis aureis habes 3. Re. 10. v. 17. *trecentæ minæ auri vnam peltam vestiebant*; de argenteis 1. Esd. 2. vers. 69. *argenti mnas quinque millia*. Talentum est pondus siclorum trium millium, seu librarum 125. loquendo de hebraico, & dicitur hebr. *Chichar*, adeoque Talentum argenti habet Iulios duodecim millia; aureum verò talentum dopias Italicas sex mille; atque adeo iulios tot, quotùs numerus signatorum in Apocalypsi, nempè centum quadraginta quatuor millia. Quinque ergo talenta aurea Euangelij data fideli seruo sunt dopiæ triginta millia; atqui 3. Reg. 10. annuus certus prouentus Salomonis sexcentorum sexaginta sex talentorum auri sunt dopiæ tres milliones nongentæ nonaginta sex mille. Aurum à Dauide legatum Salomoni in Templi fabricam, atque argentum, de quibus 1. Paral. 22. v. 14. *Ecce ego in paupertate mea præparaui auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, æris verò, & ferri non est pondus*; est immensa summa, quanta fortasse vix in tota Europa; nam talenta auri 100000. sunt sexcenti milliones dopiarum; & argenti 1000000. redacta in valorem auri sunt quingenti milliones dopiarum, adeoq; summa tota vndecies centum milliones dopiarum. Imperceptibile, vnde potuerit Dauid tantum thesaurum habere, nisi quod Diuus Hieron. in libro de locis lit. c. scribit. *Cata Chrysea, idest aurea. Sunt autem montes auri fertiles in deserto procul vndecim millibus à Choreb, iuxta quos Moyses Deuteronomium scripsisse perhibetur; sed & metalli æris, quod nostro tempore corruit, montesque venarum auri plenos olim fuisse vicinos existimant*. Inde ergo fortasse effodit Dauid, & ipse textus Deut. 1. habet de Arabiæ illo deserto, *vbi auri est plurimum*.

Quær. 6. Quæ sint notanda de mensuris vasorum. Resp. Apud Romanos mensura præcipua erat Congius habens capacitatem decem librarum aquæ. Apud hebræos autem Satum, de quo Gen. 18. v. 6. *tria sata similæ commisce*, & Mat 13. *in farinæ satis tribus*. Hebraicè dicitur *Zzeah*; tantæ capacitatis, quanta caperet liquidum ouorum comunium gallinæ centum quadra-

draginta quatuor, inquit Arias, seu vncias aquæ 320. hoc est libras 26. & vncias 8. ait Tirinus. Sexta pars Sati est Cabus, hebr. *Kab*, iuxta Ariam præfatum, & habet capacitatem 24. ouorum. De Cabo habes 4. Re. 6. v. 25. *quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis*. Porrò idem est Satum, quod Modius Romanus, vnde 4. Reg. 7. vulgata legit modios, atque LXX mensuras similæ, & hordei; in hebr. autem sunt Sata, vt legit etiam Chaldæus Paraphrastes.

Dimidium Sati est Hin, & Semimodius Romanus appellatur à Tirino, qui & conuenit cum Aria assignante capacitatem Hin dimidiam Sati, nempè ouorum 72. De Hin habes pluries vt Exo. 30. v. 24. *olei de olivetis mensuram Hin*. Erant etiam mensuræ minores, dimidium hin, tertia pars hin, quarta pars hin, & sexta pars hin, de qua Eze. 4. v. 11. *aquam in mensura bibes, sextam partem hin*. Ea sexta pars continens oua 12. dicitur hebraicus sextarius, voce hebraica *Log*, de quo appellatam lagenam putat Arias. Ita vbi Exo. 14. v. 10. legimus *olei sextarium*, heb. est *Log*. Est etiam Sato minor mensura *Gomor* de quo Exo. 16. estq; mensura victus sufficientis viro bene edaci, & iuxta Tirinum habet aquæ libras octo. Cumque dicatur Exo. 16. v. 36 *Gomor decima pars est Ephi*, iam patet Ephi habere libras 80. Continet vnũ ephi tria sata, vnde Ruth. 2. v. 17. *quasi ephi mensurã, idest tres modios*.

Batus eadem est mensura ac ephi, quæ item dicitur Metreta, cuius dimidium dicitur Vrna, habens aquæ libras 40. Hoc loco de bato est difficultas, nam mare æneum Salomonis dicitur fuisse capax, ita quod 3. Re. 7. v. 26. *duo millia batos capiebat*, atqui 2. Paral. 4. v. 5. *capiebat tria millia metretas*; Pagnin. *batos tria millia*. Quidam vt concordent, distingunt batum vulgarem, & batum sacrum dimidio capaciorem, at dici potest, batum aridis plenum posse capi, vel cum suo culmo, vel eraso culmo, adeoque capacitas duorum batorum cum culmo est capacitas trium, æquato, & abraso culmo. Denique maxima hebræis mensura erat *Homer*, qui est Corus græcorum habens 10. Ephi, seu libras octingentas; de hoc 3. Re. 5. v. 11. *viginti coros purissimi olei*. Esse autem decuplum Ephi constat, nam leuit. 27. v. 16. *Si triginta modijs &c.* legunt LXX *pro coro*, & Pagnin. ex hebr. *Semen Chomer*, iam vero triginta modij sunt decem Ephi.

Quær. 7. Quæ sit proportio ponderabilium. Resp. quo ad metalla in valore, proportio auri ad argentum est vt vnum ad duodecim, adeoque vt vnciæ ad libram; proportio autem auri ad æs signatum est millecupla, vndè ait Tirinus, vnum auri Sestertium valere mille æneos, nempè Iulios 25. Quantum autem ad pondus ita se habent ponderabilia; vt vas capiens vncias 20. aquæ, capiat farinæ vncias 9. olei 18. frumenti Italici 15. mellis 30. stanni 150. ferri 162. cupri 182. argenti 208. plumbi 233. argenti viui 300. auri 375. Manna putatur æqualis ponderis cum farina, adeoque Mannæ gomor vix superat vncias 50. seu libras 4. vncias 2.

Quær. 8. Quę scienda pro Sacris Biblijs circa mensuras extensionis. Resp. Prima mensura Sacra secundum primitatem excellentiæ est cubitus, hebr.

Ama.

Ama. Sed statim notandum est, duplicem fuisse cubitum, nempè vulgarem digitorum 20. iuxta Ariam, quanta communiter computatur longitudo in homine à flexura brachij ad extremos digitos manus, & cubitum sacrum quatuor digitis, seu vno palmo minore longiorem, eo quod magis proceræ staturæ priscorum hominum ante diluuium congruat; de quo Exo. 43. v. 13. *in cubito verissimo, qui habebat cubitum, & palmum*; & de huiusmodi est ea supputatio cubitorum Arcæ Noe Gen. 6. atque fabricæ Tabernaculi Exo. 23. &c. atque vbi in scriptura est mensuratio cubitalis. Habet ergo cubitus sacer digitos 24. iuxta Ariam, adeoque est sesquipes Romanus; pes enim Romanus habet digitos 16. Porrò digitus iuxta Ariam intelligitur pollex, habetque longitudinem æqualem crassitudini sex granorum hordei.

Habet ergo iuxta Ariam digitus grana sex hordei; atqui *Taphabh*, quod est palmus minor habet quatuor digitos, de quo Exo. 25. *coronam interassilem altam quatuor digitis*; Pagnin. legit *palmę*; LXX, & Chaldæus *altam pugillo*; hebr. autem *Taphabh*; at verò tria *Tephabhim* seu digiti 12. faciunt palmum maiorem, de cuiusmodi Exo. 28. v. 15. *Rationale quadrangulum mensuram palmæ habebit*; hebr. *Zereth*. Duos ergo palmos maiores habet cubitus digitorum 24. Porrò *Taphabh* quatuor digitos, seu quartam partem pedis geometrici, vt videtur sensisse Diuus Hieron. qui illud vocabulum vertit *quatuor digitos*, vt visum est, vel etiam *palmum* 2. paral. 4. v. 5. *habebat mensuram palmi*; atqui 3. Re. 7. v. 26. *grossitudo luteris trium vnciarum erat*; adeoque quarta pars pedis duodecim vnciarum; sicque tres vnciæ habent digitos quatuor. Pes igitur habet digitos sexdecim, vt dictum est. Quinque pedes, seu palmi minores 20. faciunt vnum passum Romanum compositum, qui habet duos simplices, seu duos gressus.

Calamus habet iuxta Ariam sex *Emoth* cum *Zereth*, idest sex cubitos sacros, & dimidium cubiti; iuxta illud Eze. 40. v. 5. *Calamus mensuræ sex cubitorum, & palmo*, adeoque habet tredecim palmos maiores duodenorum digitorum. Iter Sabbathi habet bis mille pedes, vt refert Diuus Hieron. qu. 10. ad Algas. Idest passus compositos quadringentos, seu vnius milliaris duas quintas partes.



VNDECIMVM EXAMEN.

De Supputatione Chronologiæ ab Ortu Mundi.

QVær. 1. Numquid haberi possit annorum calculus ab Orbe cōdito ad Christum natum. Resp. Nulla exacta haberi potest certitudo; idque duplici de causa. Primò quia diuersimodè procedunt in supputandis quorumdam vitæ annis nostra vulgata, ac septuaginta Interpretes; v. g. Gen. 5. Lamech pater Noe secundum vulgatam vixit annis 777. at secundū

LXX

LXX 753. sed quod maius est, crescit computus LXX multis centenarijs ante diluuium. Siquidem Adam anno 230. genuit Seth, qui anno vitæ 205. genuit Enos, qui anno 190. genuit Cainan, qui anno 170. genuit Malaleel, qui anno 165. genuit Iared, qui anno 162. genuit Enoch, qui anno 165. genuit Mathusala, qui anno 165. genuit Lamech, qui anno 188. genuit Noe, cuius anno sexcentesimo fuit Diluuium, adeoq; iuxta LXX fuit id ab Orbe condito anno 2240. atqui iuxta Vulgatam anno 1656. sicque est differentia annorum 584. Item alibi est diuersa supputatio textus Greci ab Hebraico, idque Deo soli cognita ratione. Quapropter Diuus Hieron. epis. 132. ad Vitalem. *Relege omnes, & veteris, & noui Testamenti libros, & tantam annorum reperies dissonantiam, vt huiusmodi hærere quæstionibus, non tam studiosi, quam otiosi hominis esse videatur.*

In nouo quoq; est difficultas cum Mundana chronotaxi; quippe constat natum Christum, imperante Romæ Octauiano Augusto Luc. 2. Agente Præsidem Syriæ Cyrino, de quo Suetonius, & Iosephus; at non constat, quo anno Romani Imperij, seu quo anno Iuliano. Aera nostra Dionysiana à Dionysio exiguo e Scythia monaco Romæ ordinata, anno Christi 527. supponit natum Christum anno 45. Iuliano; at Diuus Hiero. Euseb. Genebrar. putant fuisse 43. videlicèt 42. Octauiani, sicque nostræ epochæ desunt duo anni, neque is est 1693. sed 1695. Hinc Baronius in Annalibus, ne perpetuò dissideret, decidit e fastis duo paria Consulum, videlicèt, anno 259. Fuluium Aemilianum, & Pomponium Bassum, atque anno 260. Cornelium Sæcularem, & Iulium Donatum, quos omnes historici agnoscunt.

Altera causa difficultatis in reperiendis annis Veteris Testamenti, seu ab Ortu Mũdi est, quia siue quis sequatur vulgatam, siue septuaginta Interpretes, historia dat continuationem vsque ad finem Paralipomenon, reliqua sunt schediæ absque iuncturis; quapropter diuinandum est. Hinc illa tanta hypotheseon diuersitas; Picus Mirandul. ponit, venisse Dominum Christum anno orbis conditi 3508. Bellarminus 3995. Tirinus 4000. Salianus 4052. Martyrologium ex Beda 5199. Alphonsus Rex astrologus 6984. alij aliter. Ego reperio, præcessisse annos tria millia nongentos sexaginta, adeoque natum Saluatorem anno Mundi 3961.

Quær. 2. Qua ratione possit demonstrari, quadragesimo Orbis sæculo natum Dominum, anno videlicèt præfato 3961. Resp. sequendo computationes Bibliæ vulgatæ cohærentis hebraicæ veritati, & inuestigando post captiuitatem Babylonicam iuncturas temporum ex narratis in ipso sacro libro; Et quod certè mihi mirabile est, comprobando altera duplici chronotaxi e duobus libellis à Ioanne Annio Viterbiense vulgatis, videlicet Metasthenis de Monarchis Assyriorum, ac Persarum, & Philonis de Breuiario temporum; seu de Iudæis Pontificibus. Et quidem tribus omninò dissitis tramitibus conuenire in idem punctum, ita vt ne vnius anni discrepantia conuincatur, non casu concurrisse videtur. Mihi planè obtigit casu, vt postquam è Sacris Biblijs deprehenderam ordine mox subijciendo annos

sub distinctione ab Ortu Mundi, ad captiuitatem, indeque ad Christi natiuitatem, viderim, non ante consideratum codicem Annij, quem vbi confero iam signatæ supputationi, non obstupescere mirandam consonantiam non potui. Neque id adscribendum artificio Annij, qui nec eos libellos inuicem librauit; immo est inter eos disparitas duodecim annorum, sed eo magis pro veritate concludens; nec ille ex Scriptura supplicationem addit, qua maximè comprobasset.

Sed obijcies Volaterranum, Posseuinum, Blondum, Canum, & alios negantes præfata opuscula, vt suppositiтias, & aniles Annij fictiones. Resp. contraponendo Ioannem Driedonem, Nauclerum, Ioannem Lucidum, Sixtum Senensem, Quaresminum, Didacum Stellam, & alios eorum opusculorum susceptores, pro quibus est ratio, neminem non conuictum subesse debere calumniæ. Obijcit Posseuinus in Biblioth. Selec, l. 1. cap. 16. quod apud veteres numquam sit agnitus Metasthnes, sed Megasthenes historicus. At quid si fortè similitudo nominis deceperit, vel mendosus codex illuserit? Sed præterea; etiam Dionysij Areopagitæ nō meminit Diuus Hieron. in Catalogo Scriptorum, in quo tamen ponit Dionysium Corynthiorum Episc. alium quoque Alexandrię Episc. qui multo minoris famæ fuere, ac Areopagita. Nunquid ergo iste non scripsit de Diuinis Nominibus, de Cœlesti, & Ecclesiastica Hierarchia, de Mystica Theologia? Instat Posseu. esse Metasthenem Annianum discordem ab Herodoto, qui authoritatem obtinet apud Patres, Clementem Alexandrinum, Hiero. & alios. Resp. Illos hi adhibuere historicos, qui præstò erant, cæterum Herodotus ab antiquis historicis non leuiter est insimulatus mendaciorum, teste Ioscpho in lib. contra Appionem, vt obinde dixerit Iuuenalis; *Quidquid Græcia mendax audet in historia.* Obiectiones reliquas argumēti leuioris transeo.

Grauius est, quod opponit Melchior Canus contra libellum Philonis; etenim videtur omninò absurdum, quod ibi narratur de stirpe Salomonis extincta in Ochozia. Resp. Fuerit id fabulosum intrusum ab Abbreuiatore; siquidem intercidit liber Philonis de Temporibus, vt colligitur ex fine addititio; *Explicit Philonis eruditissimi &c.* Non obinde sequitur, falsatam fuisse ab Abbreuiatore supputationem Chronologię Pontificum. Addo ego, hunc errare in numero personarum extra lineam Pontificalem, vt patet cōferendo cum Diuo Luca cap. 3. At id non vetat, quin recta sit supputatio annorum Pontificalium ita adamussim conformis duabus alijs. De his ergo distinctè.

Quær. 3. Quot colligantur anni ex nostra vulgata ab Orbe condito ad finem Regni Iuda, seu ad captiuitatem Babylonicam. Resp. Termille trecenti septuaginta tres; idque hoc modo. Ab Orbe condito ad Diluuium sunt anni mille sexcenti quinquaginta sex; vt patet Gen. 5. & 6. A Diluuio ad Abraham 292. ex Gen. 11. Aetas Abrahami, quando habuit Diuinas promissiones, erat annorum 75. ex Gen. 12. A promissione vsque ad legem datam Moysi sunt anni 430. Gal. 3. v. 17. A lege data vsque ad Templi Salomo-

lomonis fundationem sunt anni 480.ex 3.Re.*6.* v.1. A Templo fundato ad eius destructionem per Nabucodonosor, computata Regum Iuda tempora lib.4.Re.dant annos 440. sicque sunt 3373.

Quęr.4, Quomodo idipsum colligatur ex Metasthene, & Philone. Resp. non agnoscit Metastenes annos ante Diluuium, adeoque supponendi sunt illi 1656. A Diluuio autem incipit supputare, & ponit vsque ad Ninum annos 249. inde ad vsque primum Sardanapalum 1234. congruitque planè cum Berosi computo; inde ad vsque decimumnonum Nabucodonosoris, quando iuxta Iere. 32. excisum est Templum, sunt anni 234. è quibus omnibus fit planè illa eadem summa 3373.

Quoad computum Philonianum; suppositis illis 1656.ante diluuium, ponit hic à diluuio ad Abramum annos 292. inde ad Mosen 425. quod etiam ex Biblijs comprobatur; ætas deinde Mosis ad legem ei datam est annorũ 80. inde ad fundatum templum Salomonis 480. Assignat posthac Philo annos 138. ad vsque Regem Ioas, vbi inseritur ab abbreuiatore fabella excisę stirpis Salomonis, quod licèt admittat Didacus Stella in 3.Luc. ego non probo; sequor tamen supputationem, eo quod videam duabus præfatis congruentem. A Ioas ergo ad Ioachinum Regem ponit annos 291.inde verò ad finem Sedeciæ, quando contigit captiuitas, annos 11. sicque vndecimus Sedeciæ est annus Orbis conditi, prorsus idem vt supra 3373.

Quær.5. Quot annos è Sacris Biblijs valeamus computare à captiuitate Iudæorum ad natum Messiam. Resp. Quingentos octoginta septem; hoc modo. Captiuitas fuit annorum septuaginta ex Iere.25.v.11. Adde his vnũ annũ relaxatæ à Cyro captiuitatis 1.Esd.v.1.Adde preterea duos annos post reditum vsque ad restaurati Templi fundationem 1.Esd.3.v.8. Ab hoc exordio transiere quadraginta sex anni vsque ad sextum Darij, quando completum est opus, 1.Esd.*6*.v.14. idque est illud Ioan.2. *Quadraginta, & sex annis ædificatum est Templum hoc*, vt sentit etiam Diuus Hieron.in cap. *9*. Danie. Notandum autem; quod iste Darius est ille Artaxerses, qui anno Regni vigesimo concessit Nehemiæ, reædificare Ierosolymam 2.Esd.2. quòd opus paucis diebus peractum est, nempè quinquaginta duobus 2.Esd.*6*. v.15. Illud opus est exitus sermonis, vt reedificetur Ierusalem, de quo Daniel *9*. vers. 25.


Ergo à sexto anno Darij Artaxersis ad vigesimum sunt 14.quos adde supranotatis. Ab exitu autem præfato, seu à reædificata Ierosolyma ad vsque mortem Christi erant futuræ septuaginta hebdomadæ annorum minus tribus annis, nam in medio septuagesimæ occidendus erat Christus Daniel. *9*. Iam verò sexaginta nouem, & semis dant annos 487. à quibus subtrahe 33. ætatis Christi, & manent 454.quorum omniũ summa est 587. Hanc ergo si addas præcedenti 3373.erunt anni ante natũ Christum 3960.

Quær.*6*. An idem habeatur computus ex Metasthene, & Philone. Resp. Planè idem, si suppleamus reliqua ab vltimo Dario Persarum, vbi desinit Metasthenes, ex Eusebij Chronico. Fiet igitur hoc modo. Ab anno vndeuigesi-

vigesimo Nabucodonosoris supputantur apud Metasthenem anni 70. vsque ad Cyrum captiuitatis relaxatorem. Inde ad vltimum eius Darij, quem vicit Alexander Macedo, numerantur anni 190. & hic definit Metasthenes. Iam verò Chronicon Eusebij dat annos 300. Græcæ Monarchiæ, videlicet ab exciso Dario ad annum vsque 15. Octauij Augusti, qui est annus sextusdecimus Iulianus; quando Augustus plenam cœpit Monarchiam Romanam, extincta Græca in Cleopatra de Græcis descendente Aegypti Regibus Ptolomæis. Adde prædictis annos 27. videlicet à 16. Iuliano, seu 15. Augusti ad eiusdem Augusti 42. quando natus est Christus, & ecce habes hac via annos 587. qui cum 3373. sunt prorsus 3960.

Quoad Philonem; accepta captiuitate ad eius finem, quando factus est Iosedech Pontifex sunt anni 70. Numerat deinde à Iosedecho ad finem Iadi Pontificis annos 191. inde à successore Onia ad expulsionem Oniæ secundi annos 154. deinde 129. à principio Iudæ Machabæi ad finem Machabęorum, seu Assamonæorum. Tandem annos ponit 37. Herodis Ascalonitæ, cuius anno trigesimo secundo natus est Christus, vt scribit Eusebius. Positis ergo 31. Herodis dat Philonianus computus annos à cœpta captiuitate ad natum nobis Christum 575. adeoque variat à duabus præcedentibus supputationibus annos 12. Hæsi aliquandiù in hac diaphonia; sed re iterum iterumque perpensa, deprędendi stupendam harmoniam; quippè Philo dat solum annos legitimorum Pontificum, quibus ad apicem desunt 12. anni interpontificij, quod ex ipsa Scriptura Sacra nouimus in libris Machabæorum.

Enimuerò expulso Onia secundo per Antiochum Epiphanem, ab hoc intrusi sunt tres successiuè pseudopontifices, Iason, Lysimachus, Menelaus. Tenuit sedem Iason triennio 2. Mach. 4. v. 23. alij duo nouennio; nam Antiochus Epiphanes obtinuit Regnum anno Græcorum 137. vt habes 1. Mach. 1. v. 11. Iudas autem Machabæus recuperauit Ierosolymam, instaurauitque Templum anno Græcorum 148. vt habes 1. Mach. 4. v. 52. atque cœpit Pontificatum, adeoque ab initio Epiphanis anno vndecimo, quem si supponas completum, habes interpontificium duodecim annorum. Si ergo addas hos duodecim annos præfatis 575. Philonianis, iam habes ad apicem 587. adeoque cum illis 3373. fiunt in summa ab Orbe condito ad Christum 3960.



DVODECIMVM EXAMEN.

De Varijs quibusdam à studioso Scripturæ non nesciendis.

QVær. 1. An Nouum Testamentum sit excellentius veteri. Resp. Affirmatiuè; idque multis rationibus; licet enim vtrobique idem author Deus, tamen differenter se communicans homini, & vt summatim perstringamus. Prima differentia est Sacramentorum; nam iuxta Diuum Thomam

mam nulla fuerunt verè Sacramenta in Lege veteri; at iuxta Scotum,& Diuum Bonau. erant quidem vera Sacramenta Circumcisio, & illud aliud remedium pro fœminis contra peccatum originale, vel pro vtroque sexu ante institutam Circumcisionem Genes. 17. at verò grandis est imparitas; tum quia faciliùs remedium est Baptismus, & maioris gratię collatiuus; tum quia præter Baptismũ habemus alia sex Sacramenta, in quibus vnum summè necessarium,ad resurgendum è morte peccati actualis,alterum summè excellens ad conseruandam, & augendam vitam gratiæ; videlicet Pœnitentia,& Eucharistia. Gratiam inquam,ampliorem conferunt Sacramenta nouæ legis; quippè & congruum ita est, vt plus possit pretium solutum, quam soluendum.

Secunda differentia est ex parte Rituum; nam quanto præcellit Christus Melchisedecho, vel Aaroni, tanto Sacerdotium noui testamenti, & Sacrificium; in quo non nudè panis & vinum, vel victimæ animalium Deo offeruntur; sed realiter ipse Agnus Dei Christus. In hoc probando totus est Paulus in Epis. ad Hebr. atque adeo,tum Sacramentorum, tum rituum noui testamenti erant vmbræ illa, quæcumque celebrabantur in veteri. Quod vt denotaretur, erant velamentis obtecta ea Sacra, seruata in Sancto Sanctorum. Tertia differentia est ex obiectis creditis; quippè Fides de Trinitate, & de Incarnatione, itemque de Beatitudine est multo explicatior in Scriptura nouæ legis.

Quarta est ex parte pręceptorum. Legem Mosis appellat August. Ser. 9. de Verb. Dom. *Sarcinam innumerabilium obseruationum*; Vnde Act. 15.nu. 10. dicitur, *iugum, quod neque Patres, nec nos portare potuimus*, intellige de posse absque difficultate; & dolore grauaminis. Numerantur siquidem in lege Mosaica sexcenta tredecim pręcepta, videlicet affirmatiua ducenta quadraginta septem, atqui negatiua trecenta sexaginta quinque, ennumerata à Rabbi Mose, quem citat ex Augustino Scotus 3. d. vlt. atqui in lege noua non sunt tot adeò molesta; quapropter hæc appellatur Rom. 9. *Verbum breuiatum*. Porrò congruebat statui imperfecto, & nondum per Magistrum Christum erudito ea tanta disciplina, vt occuparetur in Dei seruitio, & non diffueret in idololatrias. Quinta differentia ex modo pręcipiendi; videlicet, præcipiebat in veteri Deus, vt Dominus Seruis, non dato in se exemplo obseruantiæ; in noua lege præcipit, vt Pater Filijs; vt Amicus Amicis, dato in se exemplo summę obedientiæ pro nobis. Hinc vetus dicitur lex timoris, noua autem amoris; & inquit August. 1. de morib. Eccl. cap. 28. *Hæc est breuissima, & aptissima differentia duorum testamentorum; timor, & amor*.

Sexta ex parte Ministri; illa enim per purum hominem promulgata, videlicet, primò per Adamum, mox per Abramum, deindè incremento dato à Deo per Moysem; atqui lex Euangelica, & in eo, in quo conuenit cum pręcedente, puta in lege morali Decalogi, & in eo, in quo differt; puta in Sacramentis, & modo perfectiùs obseruandi Decalogum, est promulgata à Christo Homine Deo.

Septi-

Septima ex parte latitudinis; nam vetus fuit scripta vni nationi Israeliticæ, at noua toti Orbi terrarum; illa erat habitura aliam, qua abrogaretur; ista duratura ad Sæculi finem, quare & dicitur Testamentum Aeternum; & idcirco etiam tempus hoc Gratiæ ab ipso Euangelij exordio dicitur finis Sęculorum, & nouissima hora. Octaua differentia demum ex parte Beatitudinis; nam lex vetus promittebat solum bona temporalia; & licèt per fidem in merita Christi conferret Gratiam, tamen erat clausa Porta Glorię, quousque à Christo meritum solueretur. Iam verò est aperta Ianua Cœli, & Gloria parata statim, quam promittit Euangelium.

Quær, 2. Quid sit Prophetia. Resp. Fans idem est, quod loquens; vndè infans, qui nedum loquitur. Prophetans ergò idem est, ac *procul fans*, inquit Lyra; nam ea nouit, atque edicit, quę procul sunt à naturali cognitione. Hinc Hieronymus epi.103. *Propheta appellabantur vidètes, quia videbant eum, quem cæteri non videbant*. Ex Diuo Tho. 2. 2. quęst.171. art.1. ita definitur Prophetia. Cognitio supernaturalis fundata in reuelatione Diuina de his, quæ distant ab hominum notitia. Vbi intellige de immediatè à Deo facta reuelatione. Id autem potest contingere; vel Deo species in intellectu infundente, aut habitas disponente ad hoc, vel illud exprimendum; vel Deo species phantasticas creante, aut iam habitas disponente, vel sensibilia obiecta producente, quomodo Ieremię ostendit Virgam vigilantem, & ollam succensam. Huiusmodi porrò obiecta fiebant per Angelos, vt docet Diuus Tho. 2.2. qu. 172. nam & act. 7. dicitur Angelus, qui Mosi apparuit in igne rubi Exo. 3. Est itaque Prophetia gratia gratis data, consistens in ea actuali Dei motione ad cognitionem obiecti non naturaliter cognoscibilis, extra tamen obiectum beatificum; atque ita etiam cognitio secreti mentis alienæ, vel cognitio nedum futuri ignoti, sed & præteriti, est Spiritus propheticus, seu prophetia; quo pacto Moses nouit, & descripsit ea, quæ fuerunt à Mundi primordio. Hac in re aduerte cum Sco. 3. dist. 24. quòd in Propheta, seu cui à Deo quidpiam primò reuelatur, est considerandа species repræsentans talem veritatem; ac præterea habitus inclinans intellectum ad assensum certissimum, adeòque, & credebant Prophetæ id, quod prophetice nouerant; & credebant eam reuelationem esse à Deo; vtique Deo specialiter mouente intellectum ad huiusmodi firmam credentiam, qui & cæteris per signa euidentia testificabatur, talem fuisse verè prophetam à Deo illuminatum.

Quær. 3. An lumen propheticum differat à lumine fidei. Resp. cognitio Fidei, & cognitio prophetica in multis conueniunt; puta vtraque est supernaturalis, neutri potest subesse falsum, vtraque certissima ex fundamento Dei reuelantis, & vtriusque assensus est cognitiuus, idque cognitione abstractiua. At differunt etiam; quippè Fides est ad sanctificationem habentis, prophetia autem pro bono communi Ecclesię; Fides est habitus permanens, Prophetia actus transiens, quare non semper est in Prophetæ

pote-

poteſtate, vt teſtatus eſt Eliſæus 4. Re.4.v.27. *Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* Numquid autem poſſit eſſe Spiritus propheticus habitualis, incertum eſt.Caiet. 2. 2 quæſt.171. negat; Sylueira affirmat opu.1. Reſ.1. qu. 8. eo quod Chriſtus fuerit Propheta perſeueranter; at Abul. in cap. 11. Nume. qu. 64. negat, fuiſſe in Chriſto Prophetiam propriè dictam, quia de ratione prophetiæ vult eſſe obſcuritatem. Et quidem Chriſtus fuit propheta quo ad prædictionem, non quoad modum prædictionis; ſicut nec Gabriel reuelans Danieli tempus ortus Meſſiæ, fuit propriè propheta. Itaque differt lumen propheticum à lumine Fidei, ſi accipiatur per lumen illa inclinatio ad aſſenſum, quia vna eſt à Deo actualiter inclinante, alia ab habitu, quoad credere,eſſe à Deo talem reuelationem; ſed quoad aſſentiri veritati reuelatæ, dico, quod etiam Propheta aſſentiebatur veritati ſibi à Deo reuelatæ, & veram eſſe credebat, per eumdem Fidei infuſæ habitum, quo nos credimus eiſdem veritatibus à Deo per hominem reuelatis.

Quær. 4. An ſicut aliqui Prophetæ ſcripſerunt quædam, etiam Deus, vel Chriſtus aliqua ſcripſerit. Reſp. Probabile eſt, Deum ſcripſiſſe Decalogum prima vice, vt habet Auguſt. quæſt.15. in Deuter. *Priores tabulas, & Deus fecit, & Deus ſcripſit*, de quibus Exo. 3. v. 18. & Exo. 32. v. 15. & Deuter. 9. n. 10. vbi ſemper ea dicitur Scriptura acta digito Dei. At ſecundæ tabulæ, de quibus Exo. 34. v. 28. dedolatæ, & ſcriptæ ſunt à Moyſe; vndè Hugo Card. in Deut. 9. *Primas tabulas Dominus ſolus ſcripſit; ſecundas Dominus, & Moyſes; Dominus, vt Magiſter dictans; Moyſes, vt Miniſter notans.* Immo & alphabetum à Deo primum editum ait Rupertus 3. de Victo.ver. cap. 21. & 22. *Ipſe Deus litteras ipſas, elementorum figuras primus per ſeipſum conſcripſit; & ei, qui primus ex omnibus hominibus ſcribere meruit, ſcilicet Moyſi, ſcriptas tradidit.* Quantum autem ad Deum in carne, certum eſt,non ſcripſiſſe vllum librum;eius enim Vita fuit liber Vitæ, cuius tranſumptum eſt Euangelium. At numquid aliquid ſcripſerit, non conſtat euidenter. Io. 8. *digito ſcribebat in terra*; at Maldonatus putat, fuiſſe characteres non alphabeticos; tamen communis Patrum ſententia eſt, fuiſſe verè verba ſcripta; ſed quænam fuerint, nemo ſcit. Epiſtolam ſcripſiſſe Abagaro Regi Edeſſæ in Syria Damaſcena,tradunt aliqui; aſſeritque Euſebius l. 1. hiſt. cap. 25. eam ſe reperiſſe in archiuijs publicis Edeſſenæ vrbis reſponſiuam miſſæ Epiſtolæ Abagari ad Chriſtum. Deiparam etiam ſcripſiſſe epiſtolas, alteram ad Diuum Ignatium, de qua Flauius Deſter ad an.86. & alij, alteram ad Maſſanenſes, de qua Bartol. de los Rios; aliam etiam ad Florentinos, de qua Caniſius l.5. de Deip. celebris fama eſt.

Quęr. 5. Cur ipſe Chriſtus non ſcripſerit Euangelium. Reſp. Gręca vox Euangelium ſonat Bonum Nuntium; ſiquidem nuntiat Mundo Redemptionem, & Regnum Cœlorum. Hinc illæ cæremoniæ accendendi luminaria in lectione Euangelij in ſignum lætitiæ de optimo nuntio; oſculandi librum ipſum, veluti & recipiendo à Deo pacis oſculum, & aliæ huiuſmodi. Conueniens autem fuit, vt non ipſe Chriſtus, ſed eius Miniſtri San-

cti

cti Euangelistæ id scriberent; vt ostenderet, quod ipse per alios erat locuturus, & Mundum conuersurus. Et præterea Regiæ Maiestatis est, non per se legem scribere, sed per Ministros Regni; cumque Moyses fuerit non legislator, sed merè promulgator; eius erat scribere, quæcumque à Deo audierat; iam verò Christus homo Deus est ipse legislator; ideoque per suos Ministros, & scripsit, & toto orbe publicauit Legem Euangelicam. Erat etiam id conueniens; vt sciremus, ipsum vnum Deum vtriusque testamenti authorem in vtriusque scriptione non per se, sed per homines processisse; atque adeo in authentica authoritate parem vtrobique virtutem; quare inquit Aug. 1. de consen. Euang. *Prophetia est Euangelium velatum*; *Euangelium verò est Prophetia reuelata*.

Quær.6.Quomodo Euangelium tradat Christi Genesim. Resp.Ita vt supplendum sit ex traditione Ecclesię, quæ semper tenuit, Regali ex progenie Mariam exortã.Enim verò Matthęus c.1.& Lucas c.3.deducunt lineam genealogicam Sancti Ioseph de Stirpe Dauid; atqui Mariæ Virginis veræ matris Christi non texitur progenitorũ series. Et quamuis lege cautum esset, vt mulieres nuberent viris suæ tribus; id tamen eo casu ordinabatur, quando essent heredes; vt ita videlicet prouideretur conseruationi patrimoniorum per suas quasque tribus distinctorum; nec tamen e scriptura constat, fuerit nè Maria hęres,vt neque cuius filia fuerit recensetur. Traditione ergo Apostolica, & consequentia argumenti scripturæ promittentis Messiam de tribu Dauid, tenemus de fide, Mariam deiparam esse natam de stirpe Dauidica. Etquoniam Luc. 3. v. 23. *putabatur filius Ioseph*, quod expressiùs vertit Syriacus, *& existimabatur filius Ioseph*, poposcit ordo historię, vt Ioseph Genealogia texeretur; quamobrem, vt inquit Diuus Hieron. cont. Heluid. *Euangelistæ opinionem vulgi exprimentes, quæ vera historiæ lex est, patrem Ioseph dixerunt Saluatoris*. Porrò duas diuersas ducunt lineas à Dauid ad Iosephum, Matthæus, & Lucas; iste per filium Dauidis Nathan, ille per Salomonem, de quibus 1. Par.3. v. 5.*Simmaa, & Sabab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Bethsabea*.

Obijciebat veluti dissonantiam Euangeliorum Iulianus apostata; quod Matthæus scribat, Sanctum Iosephum fuisse filium Iacobi, de stirpe Salomonis; & Lucas filium Heli de stirpe Nathani. At respondet Diuus Hiero. in cap. 1. Mat. Sanctum Iosephum fuisse filium naturalem Iacobi, & legalem Heli; vtpote natum de vxore Heli mortui absque liberis; iuxta illud Deut. 25. v. 5. *Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit*; idest vocabit filium defuncti; ideòque Ioseph vocatus est filius Heli. Quòd si ita est, Heli recensitum à Luca decessisse absque filijs, vt Africanus, Damascenus, Hieronymus, & alij tenent, iam falsa est positio Cornelij à lapide, & Tirini, hunc Heli fuisse Ioachinum patrem Mariæ Virginis. At quomodò Iacobus Matthæi, & Heli Lucę fuere fratres, si Iacobus est filius Mathani,

atqui

atqui Heli filius Mathati ex linea omninò diuersa? Respon. Ex Africano; qui ita se audisse ab ipsis Diui Iosephi consanguineis refert; Iacobum, & Heli fuisse fratres vterinos ex vna matre Iesca, quæ peperit Mathano Iacobum, & alios infranotandos; deinde relicta vidua nupsit Mathato, genuitque Heli.

Peperit inquam Iesca Mathano plures filios à Menologio Græco, Lyrano, Galatino, & alijs recensitos, videlicet, præfatum Iacobum Iosephi Sancti patrem, Sanctam Annam Deiparæ matrem, Sobe matrem Sanctę Elisabeth, & Mariam matrem Salomę senioris. Elisabeth est vxor Zachariæ mater Ioannis Baptistæ; Salome autem senior est vxor Zebedæi mater Ioannis Euangelistæ, & Iacobi Apostoli appellati maioris, quia senior altero Iacobo dicto minore, de quo mox dicemus. Porrò Sanctus Ioseph fratrem habuit Cleopham, aliàs dictum Alphæum, vt asserit etiam Cornelius à lap. adeòque ille antedictus Iacobus Ieschæ filius, & Mathani habuit ex vidua vxore sterilis Heli duos filios, Iosephum, & Cleopham, qui duo fratres duas duxerunt coniunges sorores, videlicet, Ioseph Mariam semper Virginem, Cleophas autem aliam item Mariam Deiparæ sororem, atque horum sex matrem, Iacobi minoris Apostoli, Iudæ Thaddæi Apostoli, Iosetis, Simeonis, ac Salome iunioris; quæ dicitur Math. 28. *altera Maria*.

Hi sex Deiparæ nepotes; filij Cleophæ ex Maria sorore Deiparæ sunt illi, de quibus Mat. 13. v. 55, *Nonne fratres eius, Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas? & sorores eius nonne apud nos sunt?* Hic Ioseph est ille act. 1. v. 23. propositus in Apostolum cum Matthia, sed forte postpositus, ne tres essent in Collegio fratres; Simon autem est ille dictus Chananæus, de quo in Breuiar. die 18. Februarij. Quo loco notandum studiosis historiarum, hunc Simeonem successisse fratri suo Iacobo in Episcopatu Ierosolymæ, atque teste Diuo Dorotheo se tunc appellasse item Iacobum; quare & is, vt eius præcessor, dictus est Iacobus frater Domini Episcopus Ierosolymorum. Et ad hunc secundum est ea epistola Diui Clementis Papæ citata, & recepta à multis Pontificibus; at à quibusdam eruditis reuocata in dubium; vtpotè directa ad Iacobum fratrem Domini, tractans autem de Petri Apostoli morte, ante quam septennio iam obierat Iacobus frater Domini. Quarè ludit Mendoza in Virid. num vnquam ad mortuos missæ sint epistolæ à viuentibus: soluitur inquam ille nodus, notando, scriptam fuisse ad secundum Iacobum fratrem Domini, videlicet ad Simeonem præfatum.

Quær. 7. quæ sit naturalis, & directa genealogia Christi, videlicet generatio Mariæ semper Virginis. Resp. Explicatur præclarè à Diuo Damasceno l. 4. Fid. cap. 15. quomodo à Dauide per Nathan descenderit Ioachim Pater Marię Virginis, & Mariæ vxoris Cleophæ, quam Christi materteram, appellat Hieronymus lib. cont. Eluid. & qu. 4. ad Edib. immo clarè ait Euangelium Io. 19. v. 25. *stabant iuxtà Crucem Iesu, mater eius, &*

soror matris eus Maria Cleophæ. Ita ergo Damascenus refert. *Ex stirpe Nathan filij Dauid, Leui* (de quo Luc. 3.) *genuit Melchi* (qui à Luca dicitur Mathat, vtpotè binomius) *& Pantherem. Panther autem genuit Barpantherem. Barpanther genuit Ioachim. Ioachim genuit Sanctam Dei genitricem*; adde & Sororem eius Mariam Cleophę. Panther itaque Ioachini auus, fuit frater Mathati, qui Mathat ex Iesca vxore priùs Mathani, adeoque matre Sanctę Annæ, & auia Sancti Iosephi, genuit Heli patrem legalem Iosephi absque liberis defunctum. Fuit ergo Sancta Anna matertera Sancti Iosephi, & Cleophæ.

Quęr. 8. Quo temporum ordine scripti sint libri veteris testamenti. Resp. Supposita iam pręmissa annorum ab Orbe condito supputatione, temporumque deductione, quam alio loco seruo, hanc esse Chronotaxim Sacræ scriptionis veterum Bibliorum; quam etiam cum authoribus librorum subijcio.

Iob liber patientiæ, quæ est primum fundamentum sapientiæ; agens de apice item veræ sapientiæ, videlicet conformitate voluntatis nostræ ad voluntatem Dei; videtur omnium librorum primus; siue fuerit à Iobo ipso conscriptus, vt vult Diuus Gregor. siue vt sentio ex antea dictis cum Origene, Isidoro, Abul. & alijs, à Moyse pascente oues Iethro; adeoque circa annum orbis 2450. vno anno post mortem Iob.

Genesis est à Moyse conscripta, vt fas est credere, statim post iniunctum sibi à Deo ministerium, educendi populum de Aegypto; vt videlicet eorum aliquos doceret litteras, & erudiret de Mundi creatione, deque stirpis Israeliticæ origine; demum de virtutibus, quarum præfulsit specimen in Patriarchis. Scriptus est ergo hic liber iuxta meam supputationem anno Mundi 2453.

Exodus videtur scripta altero anno egressionis, quando iam erectum erat tabernaculum, adeoque anno 2454. Scriptor fuit Moses, à quo editos quinque libros Pentateuchi, citra omnem controuersiam est. Leuiticus eodem anno statim post Exodi scripturam; pro vt Deus dictabat è Sancto Sāctorum, intra spatium vnius mensis, nempe Nisan, seu Martij, qui fuit anniuersarius egressionis. Liber Numerorum videtur scriptus anno peregrinationis deserti vltimo, nempe egressionis quadragesimo, adeoq; 2493. Deuteronomium eodem anno à Mose iam morti proximo.

Liber Iosue ab ipso Iosue conscriptus circa vitæ suæ finem, qui fuit 2510. porrò quod in hoc libro dicitur de morte Iosue, vt & in Deuteronomio de morte Mosis, est postea suppletum ab Esdra, vt sentit communis opinio. Liber Iudicum, eiusque appendix liber Ruth, itemque primus Regum ad caput vsque 25. vbi de morte Samuelis legitur, ab ipso Samuele putantur conscripti. Quod si id fuit vno anno ante mortem, comperio fuisse an. 2888. Iunilius Africanus l. 1. cap. 8. tenet, librum Iudicum esse multò posteriorem, ac ignoti authoris, eo quod cap. 18. v. 30. scribatur de tribu Dan *vsque ad diem captiuitatis*, quæ videlicet acta est per Salmanassar 4.

ſar 4. Reg. 18. v. 9. at id non cogit; quippe poteſt eſſe illud ab Eſdra additum. Et certè incongruum fuiſſet, ſcribi acta Regum, & duum vltimorum Iudicum, Heli, ac Samuelis, prætermiſſis Iudicibus anterioribus.

Liber primus Regum à cap. 25. itemque ſecundus totus ignotum habet authorem. Abulenſis aſſignat Ieremiam; Sixtus Senenſis Nathan, & Gad, de quibus 1. Paral. vlt. v. 29. *geſta Dauid ſcripta ſunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad videntis.* Fortaſſis ergo reliquum primi ſcriptum eſt à Nathan, ſecundus autem liber à Gad; idque non diù ante obitum Dauid, qui deceſſit anno 2929. Interim ſcriptus eſt liber pſalmorum cuius author Dauid. Poſt Dauidicum Pſalterium ſcripti ſunt libri Salomonis, de hoc ipſo authore ſic appellati; videlicet Canticum canticorum, liber Prouerbiorum, & Eccleſiaſtes. Hi ergo ſcripti ſunt ante annum 2969. quo Salomon deceſſit.

Libri, tertius, & quartus Regum ignotum habent ſcriptorem. Diuus Hieronymus ait, Ieremiam Prophetam è publicis Regum Hiſtorijs collegiſſe memorias, atque hiſce duobus compræhendiſſe libris. Quartus deſinit ad annum Euilmerodachi primum, qui fuit 3399. adeoque ſcripti ſunt hi libri circa annum 3400. Interea ſcripti fuerant omnes libri Prophetarum, exceptis, Daniele, Aggæo, Zacharia, Malachia; itemque liber Tobiæ, de quibus mox diſtinctiùs.

Libri duo Paralipomenon item ignoti authoris ſunt. In Sacris ipſis codicibus enumerantur quidam *à Commentarijs*, nempe Regum Hiſtorici, vt 2. Reg. 8. verſ. 16. Ioſaphat filius Achilud fuit Dauidi regius à Commentarijs; & 2. Paral. 34. verſ. 8. Ioha erat Ioſiæ Ragi à Commentarijs; adeoque ſinguli Reges habebant, qui poſteritati ſuas memorias demandarent. Ex huiuſmodi ergo diarijs, ſeu annalibus compilati ſunt libri Paralipomenon, fortè à Ieremia, vltimamque manum addidit Eſdras, nam idem eſt finis ſecundi Paralipomenon, & initium primi libri Eſdræ; quod fortaſſe indicat reparationem diuinitùs actam ab Eſdra omnium Scripturæ Canonicæ librorum eo vſque editorum. Libri ergo Paralip. quoad ſcripta per Ieremiam videntur editi paulò poſt 3400. Interim ergo.

Oſee Propheta omnium primus eorum, qui titulantur hoc nomine; vaticinatus eſt ſub Regibus, Ozia, Ioathan, Achaz, & Ezechia. Cœpit Regnum Ozias, an. 3140. Ezechias autem 3224. Iiſdem temporibus prophetarunt etiam, Iſaias, Ioel, Amos quoque, & Ionas ſub Ozia; Michęas item ſub Ioathan, Achaz, Ezechia; Nahum etiam ſub Ezechia. At verò Sophonias, Abdias, & Ieremias ſub Ioſia, qui factus eſt Rex anno 3320. duodecimo poſt anno obijt Tobias Iunior. Liber Tobiæ communiter cenſetur ſcriptus à Tobia patre vſq; ad finem cap. 13. exindè ad cap. 14. v. 16. à Tobia iſto filio, mox fine ab alio ſuppleto. Quod enim ipſi ſint libri authores, deducitur ex cap. 12. v. 20. nam illud. *Narrate omnia mirabilia eius,* Gręcus habet, *ſcribite in libro.*

Ezechiel incipit prophetare anno 3367. Tempore autem captiuitatis, quæ

cœpit anno 3373. propheta runt, Habacuc, Baruch, Daniel, & quidem Baruch anno quinto ab excisa Ierosolyma abijt ex Aegypto Babylonem, ibique scripsit; Danielis autem tempore fuisse prophetam Habacuc, eumdemq; esse, de quo Dan. 14. v. 32. constat. Porrò liber Danielis completus est iam soluta captiuitate, & regnante Cyro; adeoque circa secundum annum Cyri, qui est 3444. quo anno prophetarunt Aggæus, & Zacharias, ac fortè tunc vltimus Malachias. Prophetæ duodecim minores, qui videlicet sunt, Osee, Ioel, &c. apud hebreos vnico volumine compræhenduntur, vt notat D. Hieron. in prol. Neque eodem ordine sunt apud LXX, quo apud nos hebraicum sequentes. Etenim Ioel nobis secundus, illis est quartus, Amos nobis tertius, illis secundus, Abdias nobis quartus, illis quintus, Ionas nobis quintus, illis sextus, Michæas nobis sextus illis tertius.

Liber Esdrę primus cum secundo apud hebræos in vnum volumen coartatur, teste Diuo Hieron. in prol. vel quia idem restaurandæ Ierosolymæ, ac Templi gerunt argumentum, vel ob vtriusque codicis breuitatem; vnde & dicitur secundus Esdrę, qui tamen authorem habuit Nehemiam. Videntur editi circa ann. 3520. postquam Esdras eos libros, qui conflagrarant, reparauit diuinitùs. Liber autem Esther, quæ vxor euasit Artaxersis Mnemonis, si Philoni credimus, videtur editus à Mardocheo, vt colligitur ex cap. 9. v. 20. & cap. 12. v. 4. idque ipso anno 3554. quo contigit finis illius historiæ. Philo ait scriptum à Pontifice Eliacimo, fortè intelligens ab hoc reuisum, & approbatum; quippè eo ipso anno, qui & fuit vltimus Eliacimi, actum est Concilium Synagogæ pręsidente hoc Pontifice Ierosolymis, decretumque est de Canone sacrorum librorum.

Hinc fortasis est, quod pars vltima libri Esther, vt & Danielis non sit in Canone hebraico, quia à suis Authoribus adiunctæ post clausum Conciliū; at à Pontifice successore agnitæ, vt legitimæ, & quoad Scriptores, & quoad Spiritum scribendi. Porrò liber Iudith fuit totus editus ab ipso Pontifice Eliacimo, vt habet Philo; sed post Concilium illis paucis diebus vitæ superstitis; ideoque non habuit locum inter libros illius Canonis, licèt ea historia euenerit ante illam Estheræ, videlicèt, sub Monarcha Xerse, qui anno 3477. subegit Arphaxadum; quapropter in nostro Canone ponitur liber Iudith ante librum Esther. Sed neque liber Tobiæ ambos præcedens positus fuit in eo Canone, vtpotè non satis tunc examinatus; & neque ab Esdra reparatus, quippè scriptus in Assyria, non perierat incendio Ierosolymæ.

Liber Sapientiæ à quodam Philone Seniore vno è septuaginta duobus Interpretibus editus est, in persona Salomonis, vtpotè ast liber de Regimine Principum. Liber Ecclesiastici authorem habet Iesum filium Syrach, vnum item prædictorum Interpretum septuaginta duum, istumque putant aliqui nepotem, vel abnepotem Pontificis Iesu filij Iosedech. Translatio Bibliorum per iam dictos Interpretes fuit anno 3680. adeoq; circa id tempus est etiam scriptio Sapientiæ, & Ecclesiastici.

Primus liber Machabæorũ, vt censet Ioannes de la Haye, authorem habet Ioannem Hircanum, qui factus est Pontifex anno 3832. Secundus autem quo ad ibi narrata præcedit primum, sed postponitur loco; vel quia est per modũ non hystoriç, sed Epistolæ, vel quia posteriùs editus ea forma. Putatur author à Serario quidam Iudas Essenus, nominatus ibi cap.1.v.10. qui breuiando quinque libros Iasonis Cyrenæi hanc Epitomem ediderit, vt habetur cap.2. v.24. sed quidem afflante Spiritu Sancto, vt postmodum est iudicatum ab Ecclesia Christi, quæ hunc & alios supra recensitos tenet pro Canonicis.

Quær.9. Quando scripti sint libri singuli noui Testamenti. Resp. Prænotando; nullam esse de horum Scriptoribus modo dubitationem; quippè cũ ab Ecclesia adhibeantur sub prætitulatione suorum authorum, vnico excepto libro Actuum Apostolorum, quem tamen Diuus Hieron. in Catal. & omnes nemine contradicente sentiunt ab Euangelista Luca editum. Aliquando tamen dubitatum est de authore Epistolç ad Hebræos, quam teste Diuo Hieron. in Catal. Tertullianus adscribebat Barnabæ, alij Lucæ, alij Clementi Romano Pontifici. Pariter dubitatum est de Iacobo authore Epistolæ; quippè Lucius Dexter, & quidam alij Hispani adstruunt Iacobum maiorem; Dorothæus, Cyrillus Hierosol. & alij Iacobum non Apostolum, sed Iacobi minoris Successorem Episcopum Ierosolymæ. At Hieron. in Catal. est pro Iacobo minore Apostolo, & filio *Mariæ sororis Matris Domini*, adeoque filio Cleophæ, aliàs Alphæi. Et quidem Ecclesia Epistolam prætitulat Apostoli.

De Ioanne quoque Scriptore secundæ, ac tertiæ Epistolç Ioannis difficultas fuit; Siquidem Papias Ioannis Apostoli auditor, teste diuo Hieron. in Catal. has duas adscribit, non Euangelistæ, sed cuidam Ioanni Presbytero; attamen præualet Ecclesiæ sensus adcensens vni eidem Ioanni Apostolo, & Euangelium, & tres Epistolas, & Apocalypsim; licèt de hoc etiam sit dubitatum aliquando. Enimuerò textus Græcus adscribit Ioanni Theologo, ipsumque diuersum ab Apostolo vnum de alijs Christi discipulis putauit Dionysius Alexandrinus; at D.Hieron. immo tota Ecclesia adcenset etiam Apocalypsim Apostolo Ioanni. Sed iam dicendum de tempore, quo scripti sunt libri singuli iuxta Baron.

Euangelium Matthæi editum est anno Christi 42. Anno autem 45. scripta est Romæ prima Epistola Petri. Anno 49. Romæ Euangelium Marci. Anno 52. Corynthi prima Pauli ad Thessalonicenses. Anno 53. item Corynthi secunda ad Thessalonic. Anno 57. Ephesi prima ad Corynthios; Anno eodem in Macedonia est scripta prima ad Timotheum. Anno 58. Nicopoli secunda ad Corynthios. Eodem anno, eodemque loco scripta Epistola ad Galatas. Item eodem anno, & loco data Epistola ad Titum. Eodem anno Cenchris, nempè in portu Corynthi data est Epistola ad Romanos. Anno 60. scriptum est, fortè in Achaia, Euangeliũ Lucç. Anno eodem à Paulo in Carcere Romano data Epistola ad Ephesios. Itemque ad Philippen-

lippen-

lippenses. Anno 61. Romæ scriptus est à Luca liber Actuum Apostolorum. Anno 62. à Paulo in præfato carcere datæ sunt Epistolę ad Colossenses, ad Philemonem, ad Hebræos. Anno 63. Epistola à Iacobo scripta Ierosolymis. Paulò post edita Epistola Iudæ Thaddęi. Anno 68. Romæ à Paulo morti proximo scripta est illa ad Timotheum secunda; Itemque eodem loco, & anno à Petro data est secunda Epistola. Anno 97. in insula Pathmo videt, & scribit Ioannes Apocalypsim. Anno 99. idem Ephesi tres Epistolas. Denum circa an. 100. scribit Euangelium.

Quær. 10. An scripserit Paulus alias Epistolas. Resp. aliquas vtique scripsit ad Senecam, teste Diuo Hieron. in Catal. sed vt notat Iustus Lipsius cap. 10. de vita, & script. Sene. non sunt illæ, quæ modò circumferuntur; in quibus nec adest, vel Senecæ stylus, videlicèt in octo prætitulatis Senecæ ad Paulum, nec in illis Pauli ad Senecam extat specimem Paulinę virtutis. Citat Diuus Hieron. ex vna Senecæ ad Paulum hanc clausulam, *optare, se eius loci esse apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos*, quæ tamen verba non extant in vlla ex prænotatis octo Epistolis. Fictitię item à quibusdam editæ sunt sub Pauli nomine Epistolę quædam, vt tertia ad Corinthios, tertia ad Thessalonicenses, vna ad Laodicenos, quam refert Sixtus Senen. libro 2. ab omnibus tamen explosa, vt inquit Diuus Hieron. in Catal. Quod si obijcias illud Pauli Colos. 4. v. 14. *eam, quæ Laodicensium est, vos legite*, soluitur difficultas è textu Græco, qui ita habet, *eam, quæ est ex Laodicea*, adeoque non Pauli, sed ad Paulum.

Quær. 11. Quare Epistolæ aliorum Apostolorum, nempè Iacobi, Petri, Ioannis, Iudæ appellentur Canonicæ, vel Catholicæ. Resp. Quatuordecim Epistolas edidit Paulus, alij quatuor Apostoli ediderant solas septem, quæ omnes à Patribus nuncupantur Catholicæ. Vnde Diuus Hieron. in Catal. *Iudas frater Iacobi, paruam quidem, quæ de septem Catholicis est, Epistolam reliquit*. Hæc agnominatio Catholicæ non venit ad differentiam Paulinarum, quasi Paulus ad particulares, seù viros, seù populos scripserit, alij verò toti Ecclesiæ, vt putant, Oecumenius, Cornelius à Lapide, & communis opinio; siquidem etiam Diuus Ioannes scribit Epistolam secundam Electæ, & tertiam Caio. Neque placet ratio Syluerￅi. Resol. 5. qu. 15. ideo sic dici, quia reliquæ partes Scripturę habeant sua nomina, vt Apocalypsis, Epistolæ Pauli, Euangelia, atqui hæ non possint alio nomine dici. Id inquã nescio, quomodo concludat; nam patet, potuisse appellari Epistolas Ioannis, Epistolam Iacobi &c. Adhuc peior est altera eiusdem ratio; nomen Pauli notum vbique fuisse, non ita istorum, quorum stylus non erat notus; nam certè notissimi in Christianis erant Petrus, & alij; neque titulus Catholicæ approbat stylum. Dicerem ergo; ideo has septem dici Catholicas; quia in libro noui Testamenti, cum primum tota Scriptura in vnum volumen est redacta, quod videtur fuisse in Concilio Nicæno, nam Diuus Hieron. in prol. de libro Iudith, *Hunc librum Synodus Nicęna in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse*; tunc Epistola Iacobi, & Epistola

Iudæ,

Iudæ, inter quas sunt quinque reliquæ; titulum Catholicæ obtinuerunt, ideoque, & intermediæ sic sunt appellatæ.

At superest indagare, cur in nostra vulgata pretitulentur Catholicæ istę duæ extremæ, nempè Iacobi, & Iudæ. Puto sic appellatas, ob vniuersalitatem; idq; nedum personarum, sed & argumenti; siquidem neque ad certam personam, vel Ciuitatem directæ sunt, vt illæ Pauli; neque de vna re particulari agunt, sed ea Iacobi directa omnibus Christianis sub nomine duodecim tribuum dispersarum, videlicèt, Fidelium toto Orbe sparsorum, agit de illo duplici generalissimo argumento, quod est Catholicæ Ecclesię Axioma, videlicet Fides, & Opera; illa verò Iudæ tota est ad dignoscendos Hæreticos, & minandum illis Diuinum Iudicium. Porrò eo ordine sunt positæ Epistolæ, quo occurrit earum examen, & authenticatio, siue in Concilio Nicæno, siue antea.

Quær. 12. Qui sint Scriptores Postillarum, Glossarum, Concordantiarum Sacræ Scripturæ. Resp. Postilla est expositio alicuius textus Magistralis, quā solebant studiosi meditatores, & collatores scribere ad latera ipsius textus; & dicta est Postilla quasi *post illa*. Primus postillator totius Scripturę, & litteraliter, & moraliter, sed magis moraliter fuit Hugo de S. Caro Card. Ord. Præd. Primus item postillator, & litteraliter, & moraliter, sed magis litteraliter, est Nicolaus de Lyra noster. Si Lyrano iungas Iacobum Tirinum Soc. Ie. habes ex veteri, & nouo abundè pro expositione Sacrorū Bibliorum

Glossa græcè, latinè *lingua* idem sonat, quod Interpretatio. Videtur in hoc differre Glossa à Postillis, & Commentarijs; quod Glossator est propriè vocum expositor; Postillator addit locorum collationes veterumque traditiones; atque Commentator superstruit etiam diuersorum Doctorum explicationes, seù opiniones; qua de re Hieronymus in Apolo. adu. Ruffin. *Hic est Commentariorum mos, & explanationum regula; vt opiniones in expositione varias persequantur; & quid, vel sibi, vel alijs videatur, edisserant.* Hoc modo habet ipse Commentarios in Prophetas, & alios aliquos Scripturæ libros. Glossam ordinariam è Sanctorum Patrum integris sententijs cōcinnauit Vualfridus Strabo, seù Strabus Germanus Monachus Rabbani Mauri amanuensis, obijtq; an. 849. Hanc ampliauit, adiecitq; insuper Glossam interlinearem Anselmus Laudunensis Scholasticus circa 1117. estque hausta è Sanctis Patribus, alicubi litteraliter, alibi moraliter. Porrò à Lyrano est edita Glossa moralis.

Concordantiarum liber est index Onomasticus Sacræ Scripturæ. Primam ideam protulit Seraphicus Sanctus Antonius Paduanus, qui Concordantias Morales, ordine tamen œconomico, non alphabetico texuit; quas è corrosis membranis Aracælitanę Bibliothecæ vindicatas optimè meritus de Seraphico Ordine Lucas Vuadingus euulgauit. Editum quoq; à Diuo Antonio autumat opus Concordantiarum, quod ab Arlotto de Prato nostro Ministro Generali electo anno 1285. ampliatum, & nostra ætate ad plenum adauctum, digitis omnium teritur sub nomine Hugonis Cardinalis. Et

quid

quidem prodijt primò liber Concordantiarum valdè exuctus; vt obinde pateat, esse fabulosum, quod neoterici quidã compinxere, ab Hugone per quingentos Monachos fuisse digestum. Quo enim volumine primam aspexit lucem, potuit percommodè paucis mensibus per sex, vel octo studiosos compleri. Cæterum, illud opus non esse Hugonis, obseruat etiam Gaspardo Zamora in Concordantijs Romæ excusis anno 1627. sed eas marginales, quæ sunt in ipso Bibliorum codice. Ita & Platina in Innocentio Quarto ait, *Hugo fecit Concordantias in Biblia; vnde initium sumpsit vetus Bibliorum titulus. Biblia cum concordantijs*. Refert ergo Zamora huius libri originem ad Conradum Halberstadiensem, Ord. Prædic. ex attestatione Trithemij; at verò Trithemius, Iacobus Bergom, & his anterior noster Pisanus, authorem asserunt Ethruscum præfatum Arlottum de Prato; qui fortè inchoatum, seù diminutè actum à Diuo Antonio auxit. Et quidem extitisse necessitatem operis, liquet; potuisse autem omninò facillimè adnotari in Indicem notabiliora Scripturæ loca ab hoc Seraphico Esdra, patet ex opere Moralium Concordantiarum. Sed iam pro huius nostri opusculi complemento adsit in singulos sactos libros ad paradigma Hieronymi

PROLOGVS GALEATVS.

§. I. *Genesis*.

HEbraicè *Beresith*, hoc est *in principio*, ob hoc eius libri primum verbum; Græcè autem *Genesis*; quia primæ ibi hominum generationes ab Initio Mundi recensentur, post præmissam ipsius Mundi creationem. Historicè describit statum Orbis totius, quoad humanam originem ante diluuium, & quoad gentium primordia post diluuium; directo tamen tramite ad stirpem Abrami, de qua venturus erat Christus. Est ergo Ecclesiastica Historia de statu legis naturæ; tenetque huius libri tempus, vt ego supputo, annos 2399. quorum vltimo obijt Ioseph. Dictum est ex vniuersali consensu, scriptorem fuisse Moysem; At dices; cap. 14. vers. 14. scribitur de Abramo, *persecutus vsq; Dan*; atqui hoc nomen ei vrbi cõtigit multo post obitum Mosis Iud. 18. v. 29. siquidem vrbs Lais occupata à Danitis appellata est Dan. Resp. vel ab Esdra ita positum, vt communis fert opinio; vel à Mosè propheticè præscio anticipatè scriptum, quo modo Isa. 44. v. 28. prædicitur nomen Cyri, vt adnotat Sylueira.

Conclusio potissima Theologica huius libri est hæc. Deus Optimus Maximus est Alpha, & Omega, principium, & finis in omni ordine Naturæ, & Gratiæ. Id enim intendit docere, & deducere ex hoc, quod Deus creauit, & ornauit Mundum; & condito homini statim dedit meriti principium, & obedientiæ præceptum, Peccauit homo; atque Deus Iustus eum puniuit morte. At Deus ipse Misericors præparauit remedium, promisitque Christum Saluatorem. In filijs Adæ abundauit peccatum per alia crimi-

crimina; at à Deo Patre Misericordiarum superabundauit Gratia; dum castigauit quidem Diluuio, sed noluit delere humanam speciem. Delegit in generationibus stirpem Abrahæ, & sua Gratia magnos effecit, atque in sanctitatis exemplaria euexit, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, quorum acta plenius describuntur. Vltima pars libri est descensus totius familiæ Israelis in Aegyptum, vbi inter tribulationes erant parandi lapides extruendæ sub forma noua Ecclesiæ.

§.2. *Exodus*.

HEbraicè *Veelle semoth*, idest *Hæc sunt nomina*; quippe sic incipit; grecè autem liber ipse dicitur *Exodus*, quia narrat historiam exitus Israelitarum de Aegypto; vbi steterunt annos 215. à descensu Iacob. Historia huius libri complectitur annos 145. videlicèt, ab obitu Ioseph adusque secundum annum egressionis. Inter historiam narrantur Dei præcepta data populo per Moysen. Conclusio est ergo. Deus est Sapientissimus, Clementissimus, Potentissimus, Prouisor Ecclesiæ suæ. Siquidem ostenditur, quomodo Israelitas ab oppressione Aegyptiaca liberauit per tot portēta, ac dedit media perfectiora ad salutem Aeternam.

§.3. *Leuiticus*.

HEbraicè *vaicra*, nempè *vocauit*; græcè *Leuiticus*, quia disposito à Deo in familijs Leui toto Ordine Sacrorum Ministrorum, de horum ritibus hìc agitur. De hoc volumine Diuus Hieron. ad Paulin. epis. 103. *In quo singula sacrificia, immò singulæ penè syllabæ, & vestes Aaron, & totus Ordo Leuiticus spirant Cœlestia Sacramenta*; quod quidem encomion cunctis Diuinis Biblijs commune huic est peculiare, quia sub sacrificijs typicis prænuntiabatur Summi Pontificis Christi sacrificium, cruentum in Cruce, incruentum quotidianum in Ecclesia, vt considerant, Augustinus, Leo, & alij Patres. Conclusio deducitur; Deus est colendus, nedum interno, sed & externo ritu, sed ab ipso ordinato. Patet illatio ex hoc, quod Deus eos particulares ritus iussit pro eius temporis Ecclesia.

§.4. *Numeri*.

HEbraicè *Vaiedabber*, idest, *Locutus est*, græcè *Arithmi*, latinè *Numeri*, eo quod multæ ibi ponantur numerationes, videlicèt, Populi Israel, Mansionum in Deserto, Ciuitatum refugij, & aliæ. Continet historiam 39. annorum, quibus commoratum fuit in Deserto post erectum Tabernaculum. Auctor absq; controuersia est Moyses, vt & de reliquo Pentateuchi constat. Sed fortè obijcies; quod Num. 12. v. 3. laudet seipsum; *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra*. Resp. Diuino impulsu ita scripsit pro veritate rei, & ædificatione proximi; ita enim & Dauid ps. 118. ait *Media nocte surgebam, ad confitendum tibi*; & Diuus Ioannes ferè se appellat Discipulum, *quem diligebat Iesus*. Conclusio è libro Numerorum elicitur. Deus est Ecclesiæ suæ ordinator, & conseruator. Etenim omnia voluit certo numero præfinita, & recensita; atq; nouellam tunc Synagogæ Ecclesiam mirabiliter conseruauit in Deserto, ac miraculis stabiliuit

uit in hoc libro narratis. Hic liber est primordium historiæ Ecclesiasticæ in lege Mosaica, & planè ei correspondet liber Actuum Apostolorum in Euangelica.

§.5. *Deuteronomium*.

HEbraicè *Haddebarim*, idest *hæc sunt verba*, græcè *Deuteronomium*, & latinè sonat *secunda lex*. Videlicèt, quia est Epilogus trium præcedentium; seù repetitio Diuinorum præceptorum præmissis libris digestorum, qua occasione epilogatur totum iter per desertum. Quouis anno Sabbatico relegendum erat publicè populo totum Deuteronomium; præceptumque præscribitur futuris Regibus, sibi describere hoc volumen; vt videlicèt Princeps in lege Dei meditetur assiduè. Conclusio deducitur; Deus est toto Corde diligendus, & maximè à communitatis Rectore. Etenim toto libro Dilectio Dei repetitur, quæ finis est totius Legis.

§.6. *Iosue*.

HEbraicè *Iehosuah ben Nun*, idest Iosue filij Nun. Ita liber appellatur ex nomine tum scriptoris, tum ipsius eiusdem, cuius acta describuntur. Ipse inquam Iosue scripsit hunc librum, vt sentiunt, Diuus Dorothæus in Synopsi, Origen. in 2. Iof. Isidor. l. 6. non autem Samuel, vt vult Abulen. vel Esdra, vt sentit Andreas Masius. Enimuero cap. vult v. 26. habetur; *scripsit quoq; omnia verba hæc in volumine legis Domini*; idest addens libro Pentateuchi; atqui clariùs Hebræus, & Græcus habent expresè, *scripsit Iosue*; nec vnquam de perdito libro Iosue disputatio extitit. Sed obijcies; cap. 10. v. 13. citatur liber *Iustorum*, ergo ille erat antiquior, de quo transumptis est hìc breuiore compilatione. Deinde in libro isto narratur de morte, & sepultura Iosue, & de lapidibus Iordanis dicitur cap. 4. v. 9. *sunt ibi vsque in præsentem diem*. Resp. liber Iustorum erat Catalogus historicus ab aliquo actus in memoriam illorum virorum, qui digniores virtute præstabant; fortè cœptus ab aliquo historico in deserto per illud spatium quadraginta annorum, & prosequens aliquis alter cœptum Catalogum, in eo etiam scripserat de Iosue diffusiùs, adeoque & scribens Iosue in fine vitæ hunc suum librum, citat illum latiùs pertractantem.

Ad aliam obiectionem dici potest; vel ea ab Esdra suppleta, vt diximus de morte Mosis narrata in Deuteronomio; vel tum de his, tum de hac, spiritu prophetico anticipatè scripta. Ita ait Philo l. 3. de vita Mosis in fine; *Viuens prophetauit de seipso tamquam mortuo*. Cæterum liber Iosue historiā prosequitur septedecim annorum, quotus fuit eius Ducatus; quorum primi septem bello impensi, reliqui deuotioni, ac litterarum studijs. Conclusio est; Deus fideliter præstat, quæ benignè pollicetur; siquidem promiserat Abramo, Isacco, Iacobo terram Canaan, & ipsam vtique eorum posteris dedit, à Iosue obtentam.

§.7. *Iudices*.

HEbraicè *Sophtim*, latinè *Iudices*; ita appellatus liber, ob personas, de quibus agit. Successerunt hi Iosue in gubernio politico; Monarchico

vtique

vtique, sed citra ius Regium; quia nec leges condere, nec noua exigere tributa, nec grauiores causas absque Concilio Sinedrij septuaginta Seniorum *Sanedrim* dirimere poterant. Munus eorum erat, populum regere ius dicendo, & armis præesse. Fuere omnes sedecim, si etiam Debboram fœminam, & Abimelechum tyrannum computaueris; tenuitque tempus huius Aristocratiæ annos circiter 370. quorum 300. spectant ad historiam huius libri, in quo nō agitur de duobus vltimis Iudicibus, Heli, & Samuele, vtpote de ipsis tractatur in primò Regum; eo quod Samuel fuerit Dei minister Propheta ad inungendum primum Israelis Regem Saul, & discipulus fuerit Sacerdotis Pontificis Heli; adeoque ex occasione describendi libri de gubernio Regio opportunè reiecta est illuc tractatio de Heli, & Samuele eius discipulo. Conclusio est libri Iudicum; Deus est Misericors, & Iustus. Etenim narratur, quomodo toties punierit Idololatrias Israelitarum; atqui eos pœnitentes liberauerit ab oppressoribus ethnicis, prouidendo strenuos Iudices in Duces.

§.8. *Ruth.*

HIc liber est appendix libri Iudicum; agitque historiam Ruth, fœminæ Moabitidæ, quæ facta vxor Booz extitit abauia Regis Dauid, in cuius genealogiæ gratiam conscriptus est libellus; vt ita series generationis Christi pateret ab Abramo ad Dauidem. Fames illa, quæ hic narratur, contigit iuxtà Salianum sub Iudice Abimeleco Gedeonis filio, fuitque tunc Noemi peregrinatio cum marito Elimelecho; euenit autem Ruthæ coniugium sub Thola Iudice Abimelechi successore. Fuit Ruth è Petra vrbe Metropoli Arabiæ Petrææ, seù Moabitidis, & huic fœminæ alludit Isa. 16. *Emitte agnum Domine de Petra deserti*, vt inquit Diuus Hieron. epi. 103. Conclusio est huius libri. Deus complacet in bonis operibus. Ita enim præmiare voluit pietatem Ruthæ impensam derelictæ Noemi, vt & illam ditaret connubio diuitis Booz, & per veram Fidem saluaret.

§.9. *Regum Primus.*

APud Hebræos dicitur Samuelis primus; eo quod agat de vltimo Iudicum à Deo suffecto in locum abiecti Heli negligentis. Inter maximè notanda Samuelis gesta est, ab eo fuisse vnctum primum Regem Saulem, in quo Israelitica Aristocratia in Monarchiam Regiam transijt; ideoque & pergit narratio ad Saulem eiusque facta. Continet historia huius libri annos 80. videlicèt, 40. Heli, & totidem Samuelis, ac Saulis. Conclusionem exhibet hanc; Deus est negligentium, ac superborum reprobator. Etenim repulit à Pontificatu familiam Heli; à Principatu Samuelem ob iniquitates suorum filiorum, & à Regno, ac vita Saulem.

§.10. *Regum Secundus.*

AB Hebræis dictus Secundus Samuelis; vtpote tractans de Dauide, quē etiam pro reprobato Saule inunxit iussu Diuino in Regem ipse Samuel. Habet historiam annorum 40. Regni Dauidici, Conclusionem autem hanc; Deus est Mansuetorum protector. Mira siquidē patet Dei tutela,

Dauidem è tot periculis eruentis, & ad summum fastigium euehentis.

§. 11. *Regum tertius.*

HEbræis primus *Melachim*, idest Regum; quia de successoribus Dauid vsq; ad Iosaphatum edisserit. Historiam texit annorum 126. sub quinque Regibus, Salomone, Roboamo, Abia, Asa, Iosaphato; agitque de Schismatico Israel Regno per Ieroboamum separato à Regno Iuda sub Roboamo. Est huius libri Conclusio; Deus est suauiter expectans pœnitentiam. Etenim tot peccata Salomonis, & successorum, necnon scelera Regni Samariæ non statim puniuit, sed longanimiter expectauit conuersionem.

§. 12. *Regum quartus.*

HEbræis secundus *Melachim*, tractans reliquam historiam vtriusque Regni, Iuda, & Israel. Percurrit tempus annorum 318. vsque ad destructionem Regni Iuda. De authore huius, & præcedentis diximus ex Diuo Hieronymo, esse Ieremiam. Et quidem vltimum capitulum tum quarti Regum, tum prophetiæ Ieremiæ narrat eamdem rem, videlicet, Ierosolimæ, & Regni destructionem. Sed occurrit difficultas, eo quod in hoc libro à cap. 18. v. 13. vsque ad cap. 20. v. 19. sunt plurima etiam ad verbum conuenientia, cum textu Isaiæ cap. 36. vsque ad 39. quæ est pars historiæ Regis Ezechiæ. Qua in re nil aliud potest dici; nisi vel Isaiam scripsisse tertium, & quartum Regum vsque ad vigesimum capitulum; porrò addita ab Ieremia quinque vltima capitula; vel Ieremiam diuinitùs coincidisse in verba eadem Isaiæ; vel vtrumque in eadem conuenisse, eo quod ambo legerint in Diarijs historiarum regij cartophylacij. De reliquo huius quarti Conclusio elicitur; Deus est incorrigibilium obstinatorum destructor. Ita enim nolentes audire minas Prophetarum, & ædificari exemplis Eliæ, ac Elisæi castigauit; euertens Regnum Israel per Salmanassar, & Regnum Iuda per Nabucodonosor.

§. 13. *Paralipomenon primus.*

HEbraicæ *Dibre Haiamim*, idest *verba dierum*; siquidem vt ait Diuus Hieronymus in prol. Galeato, *Chronicon totius Diuinæ historiæ possumus appellare*. Hic cum secundo est vnicum volumen apud Hebræos, at apud nos diuiduntur in duo, ob magnitudinem, inquit Diuus Hieronymus in prol. paral. *quod nonnulli in Bruto Ciceronis dialogo faciunt; vt eum in tres partes secent, cum vnus à suo authore sit editus*. Videtur igitur ille vnus liber à septuaginta interpretibus in sua traductione bipartitus; à quibus etiam vterque sit appellatus *Paralipomena*; idest derelicta, seu prætermissa. Hinc optimè dicuntur à Diuo Hieronymo epi. ad Dama. hi libri *præteritorum supplementum*; siquidem historiæ genealogiæ Dauid, & gestorum eius, ac successorum in Regno Iuda explicatio narratur. Tractat hic primus liber ab Adamo ad obitum Dauidis, adeoque annos 2929. eiusque est Conclusio; Deus Regem Messiam Christum præparauit. Siquidem genealogiam Christi à Dauide per filium suum Nathan, descriptam à D. Luca cap. 3. non possemus comprobare è veteri Scriptura, nisi extaret hic primus

mus liber Paralipomenon. Ex hoc Rupertus colligit, Christum fuisse Regem Iudææ iure sanguinis; quippè rectà linea descendit Ioseph à Dauide; adeoque deficiente linea Salomonis, & linea Nathan in Iosepho, naturaliter descendente è Salomone, & legaliter è Nathano, vt supra vidimus; dum Ioseph decessit virgo, vt scribit Hieron. cont. Eluid. sequitur, deuolui hæreditatem iuridicam Regni Dauidici ad Iesum filium naturalem Virginis veræ sponsæ Iosephi.

§. 14. *Paralipomenon secundus.*

TRactat historiam præcisè Regni Ierusalem, seu Iuda à Salomone ad finem Sedeciæ captiuati, adeoque annorum 444. Vbi maximè explicatur Templi Salomonis ædificatio, & dedicatio, adeoque figuratè proponit Conclusionem. Deus Pontificem Messiam Christum ordinauit. Illud quippè Templum Ecclesiam Christi adumbrabat in typico mysterio.

§. 15. *Esdræ primus.*

HIc liber habet absque controuersia authorem Esdram, de cuius item gestis edisserit. De persona Esdræ est dubitatio. Hebręi putant, ipsum fuisse Prophetam Malachiam, vt refert Diuus Hieron. prol. in proph. cui opinioni fauet Rupertus, at ab omnibus exploditur. Sixtus Senen. lib. 1. Bibliot. tenet fuisse Pontificem Iosedechum, filium Saraiæ Summi Pontificis occisi à Nabucodonosor 4. Reg. vlt. v. 21. Et quidem fuisse Esdram Saraiæ filium constat 1. Esd. 7. vel ergo fuit Esdras binomius, & aliàs dictus Iosedech 1. Paral. 6. v. 14. vt censet Sixtus præfatus; vel fuit simplex Sacerdos frater minor natu Iosedechi Pontificis, vt autumat Tirinus. Fauet opinioni priori liber tertius Esdræ cap. vlt. v. 50. vbi habetur; *& dixit Esdræ Pontifici*: at dici potest, appellatum esse Pontificem, idest de genere pontificali fratrem Pontificis. Vtcumque sit; abductus est in Babylonem à Nabucodonosore, & post septuaginta annos dimissus à Cyro. Agit in hoc libro, quomodo Cyrus libertatem populo dederit, & facultatem reædificandi templi; innuit autem hanc Conclusionem mysticè deductam. Deus est Ecclesiæ reparator. Videlicet e Synagogæ ruderibus Ecclesiam excitauit. Id vtique præfigurabatur sub littera illius historiæ; quapropter Diuus Hieron. epist. 103. de hoc & sequenti libro infit; *aliud in cortice præferunt, aliud retinent in medulla.*

§. 16. *Esdræ secundus.*

PRopriè dictus liber Nehemiæ, namque à Nehemia scriptus; at verò appellatus Esdræ, quia etiam de Esdræ actis habet, atque apud hebręos vnum cum priore volumen est; sicut autem prior liber tractat de Templo reædificando, sacrisque restituendis, quod quidem Pontificis fratrem decebat, ita hic agit de Vrbis Ierosolymæ reædificatione per Nehemiam; quem licèt asserant de Tribu Iuda ortum, D. Isido. cap. 62. de vita Sanct. & Sixtus Senen. tamen Leuitam Sacerdotem indicat liber 2. Machab. cap. 1. v. 18. & vnum eumdem restauratorem fuisse hunc Sacerdotem innuit, videlicet missum à Rege Persidis, puta à Dario Longimano; cui erat charissimus,

mus, & officio pincernarum præfectus, seu à regijs poculis. Iam verò est huius libri Conclusio; Deus est populi sperantis adiutor. Siquidem etsi permiserit Ierosolymam ruinæ, eam tamen erexit per Nehemiam.

§. 17. *Tobias*.

Legenda est Sanctarum virtutum Tobiæ Nephtalitæ; qui natus est anno Oziç Regis Iuda 51. vno anno antequam Isaias Dei cerneret Maiestatem; ac Tobiæ etiam Filij, nati anno 4. Ezechiæ, ac mortui anno 12. Iosiæ, vt mihi licet supputare. Scriptus est liber potiori parte à Tobia seniore, videlicet à patre; ac à cap. 14. *v.* 1. ad *v.* 16. à Tobia iuniore; finis autem ab alio quopiam adiunctus est, de huius Tobiæ iunioris obitu. Primò est editus Chaldaicè idiomate Assyriorum, in quibus erant dispersæ illæ decem Tribus abductæ à Salmanassar. Diuus Hieron. adiutore hebræo vtriusque idiomatis, Hebraici, & Chaldaici peritissimo transtulit de hebraico in latinum; videlicet latinè referens, prout ille hebraicè dictabat. Hanc adhibuit diligentiam Vir cæteroqui etiam chadaicæ peritus.

De huius libri canonica authoritate dubitatum est aliquando etiam à Diuo Hieronymo in prol. Galeato, à Lyrano in Tob. Abulen. qu. 46. & Caiet. eo quod non sit inter hebraicos libros Canonicos; at modò indubitanter est receptus ab Ecclesia ob Canonem Innocentij primi, Concilij Carthagin. & nouissimè Tridentini; quidquid contra ructet Lutherus in Symposiacis. Qua in re adnotandum, nunquam librum aliquem diuinitùs editum, & Pontifici præsentatum, à primo puncto approbationis fuisse apochryphum, seu dubiæ authoritatis; at verò potuisse multum ætatis intercedere inter eius editionem, & approbationem solemnem. Hinc esse potuit, vt liber Tobiæ, & alij aliàs notati conseruarentur quidem apud Sacerdotes Synagogç; & postmodum apud Apostolos haberentur exemplaria, conseruata quidem, vt pia scripta, sed sub Iudice, quousque in Concilio Nicæno, vel alio per approbationem Ecclesiæ denuntiarentur ponendi in Canone Bibliorum. De reliquo est libri Tobiæ Conclusio; Deus est pietatis in defunctos impensç remunerator. Ita enim hæc exaggeratur Tobiæ misericordia, ob quam eum promeritum præclara Dei beneficia asseruit Raphael.

§. 18. *Iudith*.

Hic quoque, vt præcedens liber, est Deutero canonicus, id est adscriptus Canoni post primam sub Esdra Canonis constitutionem. Anabaptistæ eum reijciunt; Lutherus in Sympos. vocat tragædiam, & figmentum poeticum Virgiliano haud absimile; at Sancti Patres citant vt Diuinam Scripturam; & nobis iam est indubitata ex Ecclesiæ testimonio. Historiam agit victoriæ ab Hebræis diuinitùs reportatæ de Holoferne; quç quando contigerit, difficultas est à Bellarmino reputata difficillima. Ex vna parte videtur res euenisse ante Ierosolymæ euersionem, seu ante captiuitatem; quippè nominatur in hoc libro Nabuchodonosor Rex Assyriorum, idque tenent, Salmero, Bellarm. Salian. & alij; at ex altera parte, quia cap. 5.

v. 23. dicuntur hebræi nuper reuersi de dispersione; & cap. 6. v. 11. negotium belli non agitur ab vllo Rege, sed à Ducibus, Ozia, & Charmi; idcirco videtur referendum ad tempus post solutam à Cyro captiuitatē; idque sentio cum Lyrano, Hugone, Euseb, Philone Anniano, & alijs.

Diuus Augustinus 18. Ciu. cap. 26. assignat id sub tempus Cyri quando recens erat soluta captiuitas, & cæpta ædificatio Templi noui. Res ergo ita fuit, teste Philone Anniano, cui males subscribere, quam penitus ignorare. Cyro Persarum Monarchæ erant duo Vicarij; Arphaxad in Media, & Artaxerses, nempe famosus ille Xerses Babylone. Extincto Cyro in prælio contra Thamirim Scytharum Reginam, præfati duo Vicarij se Reges dixere; ac Xerses vt Babylonis Rex appellari voluit Nabucodonosor; atque meditans Orbis Imperium deuicit Arphaxadum, & in Iudæos, aliosque Occidentales moliri cæpit, Duce militiæ potissimum Holoferne; quod quidem nomen Persicum est, vt Tisaphernes, & huiusmodi. Xerses ergo appellatus à Græcis est ille Persarum Monarcha, qui Darij Medi filius, dixit se Nabucdonosorem, ac Monarchiæ sedem è Babylone transtulit Niniuem; eiusque Dux Holofernes excisus est à Iuditha an. mihi 3478. qua de re librum hunc scripsit Eliacim aliàs Ioachim Pontifex; præfertque Conclusionem; Deus Ecclesiam suam triumphare facit de inimicis. Ita enim admirando artificio vsus est debili fœmina contra horrendos Assyriorū conatus.

§. 19. *Esther*.

PRotocanonicus est liber vsque ad cap. 10. v. 4. de cuius authoritate non est vnquam dubitatum, eoquod extet eousque in Canone hebraico. Exinde ad finem habet parem authoritatem, sed ex posteriore Ecclesiæ sententia. Iure mirandum, quod Sixtus Senen. post Concil. Trid. audeat reputare apochrypham eam partem post cap. 10. cum ex cap. 13. sit epistola Missæ fer. 4. post dom. 2. quad. quapropter Inquisitio Hispanica sententiam Sixti præfatam deleri mandauit, teste Silueira Resol. 3. qu. 13. Quo ad argumentum libri, is agit historiam Estherę, nuptæ Regi Persarum Artaxersi; qui tamen quis fuerit non constat. Iosephus putat, fuisse Xersem, Tirinus Darium Istaspis, Philo Annius asserit Darium Mnemonem dictum Magnum Artaxersem; contingitque historia Mardochæi iuxta eius supputationem anno 3554. porrò est libri Conclusio; Deus pro merito operibus retribuit. Sic enim Vasthi superbam deiecit, humilem Estheram exaltauit; Amanum truculentum suspendio, Mardochæum fidelem honore affecit.

§. 20. *Iob*.

DE hoc libro ait Diuus Hier. epist. 103. *Iob exemplar patientiæ; prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur; omnesque leges Dialecticæ, Propositione, Assumptione, Confirmatione, Conclusione determinat. Singula in eo verba plena sunt sensibus.* Agitur hìc ergo de Sancti Iob Patientia heroica; quod quidem vera historia fuit; vnde Tob. 2. v. 13. hoc fortitudinis exemplum citatur; & Apostolus Iacobus cap. 5. n. 11. ait *Patientiam Sancti Iob audistis*; & sanctitatem huius Viri laudat Deus Eze. 14. v. 14.

Qua-

Quapropter exploditur fatuitas hebræorum Thalmudistarum appellantium hanc narrationem, non historiam, sed parabolam; item impietas Lutheri, & Anabaptistarum aientium esse fabulam. Obijciunt autem veluti absurdum, quod narretur Deus egisse Concilium Angelorum, cui interfuerit etiam Sathan. At quid? Nonne fuit Angelus, qui vice Dei apparuit Exo. 3. Mosi in rubo? Lege act. 7. v. 30. Nonne Angeli inter se disputant? Vide Dan. 10. v. 13. quomodo Angelus Persarum resistebat Gabrieli. Nonne 3. Reg. 22. v. 20. Michæas Propheta vidit coram Deo Concilium Angelorum cui etiam comparuit Sathan decepturus Achabum? Ita ergo tempore Iob actum est Angelorum aliquot Concilium pro hominum gubernatione, præsidente vice Dei vno à Deo ad id ordinato; eique congressui adstitit etiam Sathan, vt hominum accusator, & aduersarius. Fortasse ita est à Deo pro huius sæculi decursu dispositum, vt certis quibusdam temporibus fiant in aliqua terræ parte determinata congressus Angelorum; vbi agatur de humanæ naturæ regimine; vt ita videlicet detur locus, & tempus dæmonibus, ad tentandum permissis; vt compareant, & motiua praui desiderij exprimant; & certam, nec pro libito permissionis licentiam recipiant.

Quoad librum itaque Iob; dictum est aliàs, à cap. 3. v. 3. *Pereat dies &c.* vsque ad 42. v. 6. *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere* esse carmina exametra, dactylo, spondęoque currentia in hebraico. Editus est liber hebraicè, admixtis tamen vocibus Arabicis, seu antiquis Syriæ Damascenæ; e qua regione erat Iob, Princeps, seu Regulus vrbis Hus, quæ modò vocatur *Oms* vltra Iordanem in Trachonitide, seu Idumæa versus Damascum. Est ergo regio Husitis, seu Ausitis inter montem Hermon, & Trachonitidem eo terræ loco, qui cessit in sortem dimidiæ tribus Manasse vltra Iordanem; & adhuc visitur saxea pyramis sepulchri Sancti Iob, teste Adrichomio, & Quaresmio. Hinc Iob appellatur quandoq; Arabs, quandoque Idumęus. Fuit autem Sanctus hic vir Propheta, vt aiunt, Aug. ser. 2. Natiu. & Hieron. epist. 103. fuit item Sacerdos, vt colligitur ex verbis cap. 1. *consurgensque diluculo, offerebat holocausta*; videlicet pro statu legis naturæ, in quo Iob floruit, quilibet primogenitus, seu caput familię erat Sacerdos; & quidem erat animarum rector, vt asserunt Sancti Patres.

De stirpe Iob superest dicere. Hebræi tradunt natum de stirpe Nachor fratris Abraham; siquidem Gen. 22. v. 21. genuit Nachor *Hus primogenitum*, à quo nomen regioni Husitidi inter Arabiam, & Idumęam prouenisse volunt; atque huius abnepotem fuisse Iobum; cui opinioni adherent, Diuus Hieronymus in tradit. Gene. ac Bellarminus; at Aug. 18. Ciu. 47. Greg. 1. Moral. & alij, quibus fauent LXX, & Origenes putant nepotis Esau illum filium dictum Iobab Gen. 36. v. 33. *Iobab filius Zaræ de Bosra*; videlicet Esau genuit Rahuel, is autem Zaram, qui de vxore appellata Bosra genuit Iobum; vt notatur præliminio in Biblijs Regijs. Demum quisquis fuerit; libri est Conclusio. Deus tribulationes non semper immittit in pę-

nam,

nam, sed aliquando mittit ad meritum maioris gloriæ. Ita enim toto libro contendit Iob disputatione cum suis amicis.

§. 21. *Psalterium*.

HEbraicè *Sepher tehilim*, idest *Volumen hymnorum* à LXX dictum Psalterium, videlicet Dei laudes psallendo pronuntiandæ. Continet 150. Diuina Cantica, omnia carmine composita, vt eo dulciùs aptarentur musicis instrumentis; etenim vt habet Diuus Hieron. prol. Commen. *Psalterium græcum est, & latinè organum dicitur, quod hebræi Nebel vocant*. Iam præmonui, versionem nobis vsualem esse iuxta LXX, at correctam, vel potiùs denuò versam latinè à Diuo Hieron. qui id præstitit semel, & iterum, vt habet prologus eius in Bibl. Regijs. Quoniam autem contigit, vt Sophronius Hieronymi amicus semel disputans cum Iudæo, & citans psalmos iuxta LXX, ab isto derideretur per singula replicante, non citari legitimè; eo quod in hebraico fonte non ita extaret; rogatu Sophronij Diuus ipse vertit de hebræo in latinum, quod mox de latino in græcum transtulit ipse Sophronius. In huius suæ editionis præfatione adnotat, hebræos diuidere Psalterium in quinque partes; vt videlicet vbicumque in hebraico est *Amen Amen*, quod nos legimus *fiat fiat*, finis libri sit; adeoque, vt idem habet epist. 139. primus liber sit à psal. 1. ad 40. secundus à 41. ad 71. tertius à 72. ad 88. quartus ab 89. ad 105. quintus à 106. ad finem totius Psalterij. Id autem in prænotato prologo non laudat; nam ostendit, sæpè aliàs in scriptura poni *Amen Amen*, & non tamen ibi esse finem libri, vt Numer. 5. v. 22. & respondebit mulier *Amen Amen* Isa. 25. *cogitationes antiquas fideles Amen*; & alibi.

In eo prologo, vt etiam epist. 139. ad Cyprian. asserit multos Psalmorum authores, prout videntur indicare tituli varij Psalmis pluribus præfixi. At verò in Prologo Commentarij, quem vt Hieronymianum vendicat Marianus Victorius, habet; *Quamuis Dauid omnes Psalmos cantasset, tamen omnes Psalmi in persona Christi pertinent; & qui prætitulati esse non videntur apud hebræos, pro vno Psalmo habentur*. Problematicus ergo fuit Hier. modò sentiens plurium Psalmos Authorum; *Dauid, Asaph, Idithun, filiorum Choræ, Eman Ezrahitæ, Moysi, Salomonis, & aliorum, quos Esdras vno volumine comprahendit*; vt habet prol. suæ versionis; modò agnoscens vnicum Dauidem authorem, vt habet prol. Commentarij. Priorem sententiam de pluralitate sustinent, Origen. Diuus Hilar. D. Atha: Lyra, Sixtus Sen. Bonfrer. & aliàs magis placuit; sed modò moueor in alteram de vnico Dauide, quam tenent Diuus August. 10. Ciu. 14. Ambro. in psal. 43. Basil. Chrysost. & alij. Id autem huc me abducit, quod magis accedat ad sonum verborum Concilij Trident. vbi scribitur, *Psalterium Dauidicum centum quinquaginta Psalmorum*; ita & Concil. Carthagin. tertium vocat *Psalterium Dauidicum*; quæ quamuis possint referri ad potiorem Dauidis partem, puta septuaginta trium, quot Dauidi concedit Sixtus Senen. tamen simplicior est acceptio si totum Dauidi tribuas.

Neque verò absque grandi motiuo; siquidem regula Origenis, & Hieronymi epist. ad Cyprian. quod psalmus carens titulo adscribatur illi, cui & præcedens, non subsistit; nam in hebræo primus, & secundus carent titulo; atqui de secundo ait Petrus act. 4. v. 25. *per os Dauid dixisti; Quare fremuerunt gentes &c.* Quod si dicas, apud LXX haberi titulum primi psalmi, *Psalmus Dauid*, non tollitur tamen difficultas, nam LXX in Biblijs Regijs habent psalmo primo; *Psalmus Dauid sine titulo apud hebræos*; quo indicant, omnes psalmos titulo carentes esse Dauidicos. Iam verò etiam si titulum habeant subodorantem de alieno scriptore, neque id concludit; siquidem psal. 108. habet titulum datiui in hebr. *Victori Dauid psalmus*; & tamen esse Dauidicum constat act. 1. v. 16. vbi citatur ex eo illud, *Episcopatum eius accipiat alter*. Vbi item aduerto; quod cum dixerit Petrus; *oportet, impleri scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os Dauid de Iuda*; postea subdit; *scriptum est enim in libro Psalmorum &c.* quasi indigitans totum librum Psalmorum esse Dauidis. Restat, difficultates, & quidem valdè implicatas enodare.

Obijcies. Ad quid illi tituli tam diuersi? alicubi enim nominatur Asaph, alibi Idithum, Aggæus, Zacharias, & alij. Resp. A LXX Interpretibus additi sunt illi tituli, qui non sunt in hebræo, v.g. psal. 145. *Alleluia Aggæi, & Zachariæ*, nec alius est sensus, nisi ab his fuisse solemniter cantatum hunc psalmum, cæterùm à Dauide compositum; nam & titulus psal. 64. est *Psalmus Dauid, Canticum Ieremiæ, & Ezechielis*. Quod aliqui psalmi habeant in titulo Asaph &c. sensus est à Dauide compositos, vt canerentur ab illis cantoribus; nisi fortè accipienda sint ea nomina appellatiuè; nam v.g. *Asaph* significat hebraicè, quod latinè *Congregans*, & fieri potuit, vt pro Sacris Congregationibus tales psalmos ediderit Dauid, sicut alios pro alijs occasionibus; qua de re longiùs esset dicendum, & prohibet opusculi breuitas.

Instabis tamen adhuc. Psal. 123. *Nisi quia Dominus* habet in hebr. titulum *Canticum graduum Dauid*; & psal. 126. *Nisi Dominus ædificauerit* habet *Canticum graduum Salomoni*, alij non habent titulum; cur ita? Deinde psal. 89. *Domine refugium* titulatur vtrobique *Oratio Moysi*. Resp. Quidam psalmi habent nomen Dauidis, alij non; quasi id indicet à Dauide factos illos, à seipso præcipuè decantandos, iuxta illud psal. 56. v. 8. *Cantabo, & psalmum dicam*; alios autem cantandos à Choro cantorum, vel aliquos à Chori magistris, Asaph, Ethan, &c. de quibus 1. Paral. 25. Aliqui autem habent titulum Dauidi in datiuo; nec tamen, vt volebat D. Athan. in Synop. est signum, non esse Dauide authore; nam psal. 17. *Diligam te Domine* est titulus, *Puero Domini Dauid, qui locutus est Domino &c.* ex quo patet, illum datiuum non inferre diuersum authorem, sed fortè intendere, ordinatos cantari tales psalmos in memoriam certorum euentuum, vel diuinarum promissionum, quæ in persona Dauid præcesserant; quasi inde inferatur magis principaliter esse propheticos, Dauidi inspiratos, & planè esse immediatè de Christo, vt patet psal. 15. Quod autem scribatur aliquis psalmus

Salo-

Salomoni, sensus est, à Dauide compositum, vt à Salomone cantaretur, sicque ex aliqua parte in hoc Dei obsequio Rex filius patrem Regem imitaretur. Demum illa Oratio Moysis indicat, initium illius psalmi fuisse orationem iaculatoriam frequentem Mosis suspirantis Deo, ***Domine Refugium factus es nobis à generatione in generationem***; ac etiam fortaßè finis psalmi, *Respice in seruos tuos, & in opera tua &c.* familiaris fuit precatio Mosis; quam traditione discebant, & frequentabant Israelitę, atqui Dauid alia addidit, & psalmum integrauit.

Quod superest in presenti, adest Conclusio totius psalterij. Deus est corde, & ore glorificandus. Enimuerò si psalmus est moralis de virtutibus, vel contra vitia, vt ille *Beatus vir, qui non abijt &c.* laudatur Dei iustitia; si est prophetalis, vt ille *Quare fremuerunt gentes*, laudatur Dei Sapientia; si historialis, vt ille *Domine quid multiplicati sunt*, laudatur Dei Prouidentia; si deprecatiuus, vt ille *Domine ne in furore tuo*, laudatur Dei Clementia; si encomiasticus, vt ille *Domine Dominus noster*, laudatur Dei Maiestas: Hinc Ecclesia Psalmos omnes concludit eo versu *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*.

§. 22. *Prouerbia*.

HEbraicè *Misle* dicitur is liber; cuius authorem fuisse Salomonem, patet ex ipso eius initio. Difficultas esse potest de parte postrema. Nam cap. 25. dicuntur *Parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ*; & cap. 30. *verba congregantis filij vomentis*, hebr. *Verba Agur filij Iake*; & cap. 31. *Verba Lamuelis Regis*. At dico; etiam hæc spectare ad Salomonem; siquidem à cap. 25. Scribæ Ezechiæ transtulerunt è varijs repertis schedis, & à Pontifice tunc examinatis, & comprobatis, vt Diuinis dictis per Salomonem expressis, in ipsum volumen Parabolarum. Quoad Agur & Lamuelem notandum, hos figurari veluti collocutores in conuiuio Sapientię; sicut enim solebant veteres inter Symposia, nempe conuiuia miscere disputationes, & dicere sententias, ac ænigmata proponere; vt patet de Sampsone in nuptijs proponente ænigma Philistæis Iudic. 14. v. 12. qua ratione librum agit Plutarchus de conuiuio Septem Gręcię sapientum; ita Salomon introducit Sapientiam agentem conuiuium, & post eius dogmata ponuntur veluti collocutores, Agur, & Lamuel; quæ nomina mysticum opportunè ethimon habent.

In toto libro sunt sententiæ memorabiles, seu gnomæ promiscuæ, politicæ, ethicæ, œconomicæ, theologicæ. Variat aliquantulum ab hebræo translatio Diui Hieronimi, eo quod hoc loco, vnde non sumuntur in Iudæos argumenta, maluit plusculum adhærere septuaginta Interpretibus; qui potiùs periphrasim ediderunt, quam transtulerint textum. Huius est libri Conclusio; Deus est incipientium excitator per exhibitionem suæ doctrinæ. Siquidem tractat eruditionem de discretione boni, & mali; maximè autem mala exaggerat à peccato prouenientia; vt ita hominem inducat in viam purgatiuam, quæ est elongatio à peccato. Considerat Diuus Hieronymus

in cap. 1. Eccle. tria nomina eiusdem personæ; hic etenim Rex filius Dauidis appellatus est *Salomon*, ideſt Pacificus, item *Eccleſiaſtes*, nempe Concionator, atque etiam *Ididia*, ſcilicet Dilectus; & ait *Is itaque iuxta numerum vocabulorum tria volumina edidit; Prouerbia, Eccleſiaſtem, & Cantica Canticorum. In Prouerbijs paruulum docens, & quaſi de officijs per ſententias erudiens; vnde & ad filium eius ſermo crebrò repetitur. In Eccleſiaſte verò maturæ virum ætatis inſtituens, ne quidquam in Mundi rebus putet eſſe perpetuum. Ad extremum iam conſummatum virum, & calcato ſæculo præparatum in Cantico Canticorum iungit amplexibus*.

§.23. *Eccleſiaſtes*.

HEbraicè *Coheleth*, græcè Eccleſiaſtes, latinè *Concionator*; ſiquidem Salomon concionem agit de omnium mundanorum vanitate. Cenſet Pineda; ; compoſitum librum à Salomone conuerſo ad Deum, & reſipiſcente poſt crimina idolatriæ, atque luxuriæ: pro qua ſententia citat 14. Patres. Et quidem pœnituiſſe eum præteritę vitæ, aſſerit Diuus Hieron. epi. 9. ad Saluin. ſcribens; *Dauid amicus Domini; & Salomon amabilis eius victi ſunt, quaſi homines; vt & ruinæ nobis ad cautionem, & pænitudinis ad ſalutem exempla præberent*. Bellarm. & alij contendunt ſcriptum hunc librum à nondum lapſo Salomone; etenim narraret ſua peccata, ſi poſt illa pœnitentialem librum edidiſſet. Sed tamen id non conuincit; quippè intentio erat, ſcribendi, non de omnibus ſuis peccatis, ſed de his, in quæ etiam fideles impingunt, puta de vano Mundi amore; adeoque eius extat Concluſio. Deus eſt proficientium inſtructor. Siquidem fideles admonet, conſiderare naturam creaturarum; vt agnita earum omnium vanitate, vertat cor dilectionem ad Deum ſolum; ſicque bono vtili, & delectabili pręferat honeſtum, & verum hominis bonum.

§.24. *Canticum Canticorum*.

HEbraicè *Sir Haſirim*, ideſt nobiliſſimum Canticum. Authorem Salomonem pręfert titulus in Biblijs nouiter correctis; at hebraicus textus in Biblijs Regijs nomen Salomonis non habet; benè quidem græcus LXX ſic incipit; *Canticum canticorum quod eſt Salomoni*; adeoque expreſſerũt ſcripto, quod traditione acceperant. Putãt Rabbini, in hoc libro agi profanos amores Salomonis cum Abiſag Sunamitide, vel cum filia Pharaonis; at quomodo inter diuinas Canonis ſcripturas potuiſſet collocari? Sylueira Reſol. 3. qu. 18. ait, diuino quidem ſpiritu editum, ſed occaſione nuptiarum cum filia Pharaonis. At non placet mihi, cogitare talem fontem tanto gurgiti caſtiſſimi Chriſti amoris; eo ſiquidem tempore iam Salomon non parum deſipuerat per fœminarum libidines. Ait enim ſacer textus 3. Re. 11. *Rex Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis*. Tunc ergo autumo editum librum hunc; quando Templo completo, & dedicato, congruebat Canticum ſpirituale componere, quo templi animæ ſanctificatio per Diuinum amorem exprimeretur.

Amatorio ergo, & dramatico ſtylo agitur de Anima Dei ſponſa; vbi miſcen-

scentur colloquia inter Deum, & animam. Singula octo capita videtur esse veluti gradus in scala spirituali; ita vt sint primi tres inceptio, alij tres progressio, duo vltimi perfectio, post quos sit expectanda seraphica in Cœlis consummatio. Primus gradus incipientium est, dimittere peccata, vnde cap.1.ait anima *trahe me post te*; secundus perimere etiam venialia, quare ait Deus cap.2. *capite vulpes paruulas*; tertius desiderare, & procurare vnionem familiaritatis cum Deo, vnde cap.3.*circuibo ciuitatem, quæra quem diligit anima mea*; Primus gradus proficientium est exercitium omnium virtutum, quare & cap.4. laudatur sponsa in singulis, *quam pulchra es amica mea &c.* secundus excitatio ad patiendum pro Deo, vnde tandem ait cap.5. *Manus meæ stillauerunt mirrham*; tertius est feruor in virtutibus intensior, vnde & dicitur cap.6. *Quæ est ista, quę progreditur*. Primus gradus perfectorum est exercitatio Charitatis ad proximum, quare cap. 7. *Quam pulchri sunt gressus tui*; secundus familiaris conuersatio contemplationis, nempè cogitationis, & amoris ad Deum; vnde cap.8. *Quis mihi det te fratrem meum, vt deosculer te?* Tertius gradus clara visio, & plena fruitio speratur in Aeternitate. Interim extat Conclusio; Deus est vnica nostra perfectio. Et quidem visa in Prouerbijs differentia boni, & mali; in Ecclesiaste omnium Mundanorum vanitate, restat vt perfectionem quæramus, diligendo Deum.

§.25. *Sapientia*.

ITa appellatur is liber; quia de Diuina Sapientia hominibus manifesta agit; atque de hominis vera Sapientia, quæ est studium erga Deum. siue consideratio, & dilectio Dei. Librum esse canonicum, constat ex Concil.Trid. Tempore Diui Hieron. non erat adeo publicatum, esse in Canone; & tamen puto in Concilio Nicæno declaratum Canonicum, vt Iudith, Tobias, Ecclesiasticus, & Machabæi. Sylueira citat illud Matth.13. v.43. *Fulgebunt iusti* quasi desumptum ex Sap.3.v.7.& illud Rom.11.v.34. *Quis consiliarius eius fuit?* ex Sap.9. v.13.vbi *Quis hominum potest scire consilium &c.* At reuera est friuola deductio: ex leui similitudine verborum non citatorũ arguere, citatum fuisse librum. Neque hoc argumentum effugisset Diuus Hieron. qui prol. prouerb. in Bibl. Reg. scribit. *Porrò in eo libro, qui à plerisque Sapientia Salomonis inscribitur; & in Ecclesiastico, quem esse Iesu filij* Syrach *nullus ignorat, calamum temperaui, tantummodo canonicas* Scripturas *vobis emendare desiderans.* Puto tamen postmodũ sibi fuisse persuasum, adeoq; sicuti in libris Iudith, ac Tobiæ, ita in his duobus, atque in Machabæis, ipsum Diuum Hieron. edidisse suam versionem, vel ab alio editam correxisse. Etenim in Biblijs Regijs textus græcus habet ex vno latere latinum innominatum Interpretem, ex altera verò textum nostrum vsualem sub epigraphe *Translatio B.Hieron.* tum in libris Tobiæ, ac Iudith, tum in Sapientia, Ecclesiastico, Baruc, & vtroque libro Machabæorum.

Impiè autem Caluinus post pluries publicatum hunc nostrum Ecclesiæ Canonem refragatur. Obijcit immo, sed quam insulsè, mendacium in libro Sapientię; quippe in quo cap.14.v.15.tradatur origo idolorum dolor patris

in funere filij, cuius ad leuamen meroris fecerit statuam; id autem carpit Caluinus, eo quod idola multo antiquiùs extitere, vt patet Gen. 31. v. 19. de Rachele, quæ abstulit idola sui patris Laban. Quam stolida sit Caluini logica, videt vnusquisque. Nunquid enim ante Rachelem non potuit pater lugere filium, & statuam ei erigere? Thare pater Abrahæ filio Aran defuncto erexit statuam, vt Scribunt Epiphan. l. 1. de hæres. & Suidas ver. *Abraham*, vnde & ab Abramo est reprahensus. Ninus filius Nembrodi, seu Beli huic parenti defuncto, statuam, aras, & templum posuit, vt referunt Hieron. in 2. Ose. Aug. 16. Ciu. 4. & alij.

De authoritate ergo libri Sapientiæ nefas est dubitare; sed de authore scriptore non leuis est difficultas. Contendit Sylueira Resol. 3. qu. 19. esse Salomonis, tum quia plurimi Patres ita asserunt, tum quia cap. 9. v. 7. scribatur, *Tu Domine elegisti me Regem &c.* tum quia textus Græcus titulum præferat, *Sophia Salomonis.* Totum concederem; sed quare nusquam hebræus reperitur? quomodo intercidit hebraicus hic, & non prophetia Danielis, vbi tam clarè de tempore aduentus Messiæ, vel alius liber Scripturæ? Quare Esdras non reparauit; nec apud hebræos vnquam sit recensitus in Canone? Ergo post editum ab Esdra Canonem editus est. Patres asserunt Salomoni, eo quod titulus græcus id habeat; porrò titulus habet, quia pro Regibus editus est liber hic, ideoque & in persona sapientissimi Regum, qui idcirco introducitur cap. 9. ea loquens. In Concil. Carthag. tertio notantur in Canone, *Salomonis libri quinque*, sicque etiam Ecclesiasticus esset Salomonis, quod tamen non concedit Sylueira, vtpotè concedens editum à Iesu Syracida. Nec absque motiuo Gelasius in Concil. Rom. scribit in Canone Bibl. *Salomonis libri tres*; Si tres, ergo non erit Salomonis liber Sapientiæ; at verò tum iste, tum Ecclesiasticus adscribuntur Salomoni, eo quod sint libri sapientiales.

Diuus Hiero. prol. prou. habet: *alius pseudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur, apud hebræos nusquam est; quin & ipse stylus græcam eloquentiam redolet, & nonnulli scriptorum veterum, hunc esse Iudæi Philonis affirmant.* Non vtique Philonis illius, qui ad Caium Imper. legatione functus est, cuius erudita quidem extant scripta; sed vnius ex LXX Interpretibus, vt aiunt, Michael Medina 6. Fid. 12. Driedo, Canus. At instat Sylueira cum Escalante l. 4. Clypei cap. 43. hoc esse nimis Philonizare; nam nulla alterius Philonis Iudæi fit mentio vllibi; & præterea qua authoritate loqui in persona Salomonis? Resp. fuisse vnum è LXX, conuincitur ex hoc; quod debet esse vir de Ecclesia author Canonicæ scripturæ, adeoque religione Iudæus, si præcessit ætatem Christi; item græcè eloquens, si eo idiomate est editus liber; demum imbutus Spiritu Sancto, vt per eum Deus scriberet librum authoritatis Diuinæ. At verò hæ notæ in nemine conueniunt, ac in illis Interpretibus. Nunc ergo licet asserere eum, qui apud Sixtum Senen. l. 4. ver. *septuaginta* dicitur *Theophilus* de tribu Isachar; etenim Philo & Theophilus conueniunt; Philo enim est Amator; & Theophilus

Dei Amator. Quoad alteram instantiam; quo iure iste Philo in persona loquatur Salomonis; dico. Vbi Salomō Eccl.3.v.19.ait; *Vnus interitus est hominis, & iumentorum*; D.Greg.4. Dial. cap.4. & D.Tho.p.p. qu.75.a.6. Sco. 4.d.43.qu.1.aiunt,cum ibi loqui in persona stulti; an ergo non licuit Amatori loqui in persona Regis sapientis? At denique huius libri Sapientiæ detur Conclusio. Denses iustitiæ norma, semper præ oculis habenda à Principe. Ita planè procedit Rectores instruens per dogmata, & per exempla Dei punientis improbos, & adiuuantis rectos.

§.26. *Ecclesiasticus*.

ITa dictus,quia cunctis de Dei Ecclesia necessarius; & rectè hoc loco positus; vt post datam eruditionem incipientium in Prouerbijs,proficientium in Ecclesiaste, perfectorum in Canticis,Principum in Sapientia, demū adsit pro cuncta Ecclesia in Ecclesiastico; qui obinde dictus est à Græcis *Panaretos*, idest omnia continens. Ita D.Hieron. prol. prouerb. *Fertur & Panaretos Iesu filij Syrach liber quem Hebraicum reperi, non Ecclesiasticum, vt apud Latinos, sed Parabolas prænotatum*. Videlicet quia instar parabolarum per sententias agit, & ad filium loquitur; qua de causa à Concil. Carthag. tertio in libris Salomonis recensetur. Habet prologum à Iesu iuniore, authoris nepote editum, circa tempus Ptolomæi Euergetis Aegypti Regis;qui prologus an habeat Canonicam authoritatem,dubium est. Affirmant, Bellarminus,Tirinus, & alij; negant, Cornelius,Escalante, Sylueira, eo quod non sit textus scripturæ, sed præfatio interpretis; puta de hebræo in græcum transferentis.

Hebraicè ergo editus est ab authore; quem fuisse Salomonem, putarunt, Diuus Io: Chrisost. in psal.134. Diuus Leo Ser.1. de quad. & alij; attamen oppositum conuincit ipse textus cap. 50.v.29. *Doctrinam scripsit in codice isto Iesus filius Sirach Ierosolymita*; & quidem ibi agitur de multis,qui post Salomonem fuere, vt Elias, Ezechias, Iosias, Nehemias, & alij cap.48.49. ac 50.Ergo fuit author Iesus senior,vnus e LXX Interpretibus. Aristæas, ex quo Sixtus Sen.cit.refert tres septuaginta duū Interpretū eo nomine appellatos;hi sunt,Iesus de tribu Nephtali,Iesus de tribu Simeō,Iesus de tribu Leui. Fortasse iste fuit Leuita Sacerdos; quapropter concludit librum laudatione Pontificis Simonis, quem cum Scaligero puto præcessorem Eleazari, adeoque huic Scriptori coeuum. Huius porrò libri tanta est claritas, tantaque latinitas,ait Rabanus;vt ipse sibi Commentator sit; at verò Conclusio. Deus est ab omnibus omni virtutum omnium studio requirendus. Agitur quippe de cunctis virtutibus ad vsque cap.44.per dogmata, exinde per piorum exempla. Amodo, exceptis Machabæorum, nulla est de authoribus dubitatio; cum sint in ipsis Biblijs nominati; primò autem ponuntur quatuor Prophetæ, quos dicunt Maiores ob molem scripti ampliorem, in quibus tamen veluti Ieremiæ appendix est Baruch; postmodum duodecim appellati Minores; & eo ordine, quo examinati, ac approbati sunt.

§.27.

§.27. *Isaias.*

Filius Amos fratris Amasiæ Regis Iuda; à cunctis exaggeratione laudū cumulatus; à Chrysostomo hom.8. in Gen. nuncupatus *Propheta vocalissimus, & magniloquentissimus*; à Hieronymo in prol. *Non tam Propheta, quam Euangelista*, vtpotè ad viuum depingens Christum, & Ecclesiam litteraliter. Flos hebraicę eloquentię vocari potest; nec omittam, quod pro sua translatione scribit Diuus Hieron. vtique & in reliquis argumentum, & sui zeli testimonium. Ita ille in prol. *Christus scit; me ob hoc in peregrinę linguæ eruditione sudasse, ne Iudæi de falsitate scripturarum Ecclesijs eius diutiùs insultarent.* Sed præterea multa ex parte carebamus armis diuini eloquij; nam v.g. cap.53. illud *& pro transgressoribus rogauit*, quod quidem de Crucifixo Domino patet in Euangelio, tacetur à LXX, dum legunt, *& propter iniquitates eorum traditus est.* Cœpit Isaias prædicare, & prophetare nondum destructo Regno Israel decem tribuum; vnde aliquando ad Regnum Israel, aliquando ad Regnum Iuda se vertit; quandoque simul ad vtrumq; nonnunquam ad reliquas Orbis nationes, interserens de Messia, & Ecclesia prædictiones. Demum à Manasse Rege non ferente correctiones crudeli tormento serræ ligneæ, vt ait Tertul.3.cont.Marcio.dissectus est medius, de quo Martyrol.Rom.die 6.Iulij.Erat Porrò Isaias patruelis,& Socer Manassis.

Quamuis autem vniuersa Biblia Sacra ab vno Deo authore sint, habet tamen hic Isaiæ liber quidpiam peculiaris Diuini artificij; quare opportunè aderunt verba Diui Augus.9. conf.5. *Insinuaui per litteras Antistiti tuo viro sancto Ambrosio, vt moneret, quid potissimum mihi de libris tuis legendum esset, quo percipiendæ tantæ gratiæ paratior, aptiorque fierem; at ille iussit Esaiam Prophetam.* Conclusio eius est; Deus Messiam Saluatorem Mundo exhibuit. Enimuero reprehendit peccata, vt peccati destructorem triumphalem insinuet, de quo sæpè apertissimè tractat; maximè autem cap.53.vbi ita disertè passionem Crucis exprimit,vt profectò quadret argumentum,si inscribas; Passio Domini nostri Iesu Christi secundum Isaiam.

§.28. *Ieremias.*

Cvius patria Anathoth, vsque hodie viculus tertio ab Ierosolymis lapide; Ita de eo Diuus Hieron. in prol. Fuit *Sacerdos ex Sacerdotibus, & in matris vtero sanctificatus virginitate sua Euangelicū virum Christi Ecclesiæ dedicans.* Cœpit prophetare puer soli Regno Iuda; namque iam euersum erat Regnum Israel;cœpit autem ab anno 15. Iosiæ adusq; 5.excisæ Ierosolymæ. Abductus in Aegyptum, ibi à Iudæis in Taphni vrbe lapidibus est obrutus, vt refert Ioannes Moscus in prato spir. eiusque ossa ab Alexandro Magno Taphni Alexandriam translata sunt. De eo Martyrol. die 1. Maij. Præter Prophetiam minacem ruinæ Ierosolymis, composuit Ieremias quadruplici alphabetico acroamate Lamētationes, quæ Græcè *Threni*, hebraicè *Cinoth* dicuntur; ante quas in codice Bibliorum est præfatiuncula. De huius authoritate dubium est, nam esse canonicam affirmant, Gretserus, Tirinus, & alij; at negant, Sixtus Senen. Cornel. & alij. Immo

Sylue-

Sylueira Ref.3.qu.21.contendit, esse falsam; quippe ibi dicitur, scripsisse Ieremias lamentationes post euersam Ierosolymam; at verò 2. paral.35. v. 25.notantur scriptæ lamentationes Ieremiæ pro funere Iosię Regis. At non possum facilè in hanc sententiam concedere; falsam esse eam præfationem, neque à nouissimis Bibliorum correctoribus non consideratam eam contradictionem. Quapropter dico; certum quidem lamentationes compositas de, & pro morte Iosiæ, nec tamen id cogit, asserere scriptas in morte Iosiæ; potuit enim Ieremias post excisum Regnum conscribere ad monumentum vltimi Regis pietate laudati. Sic etiam post plura sæcula scripsit de Christi morte tragædiam Gregorius Nazianzenus.

Et profectò contextus totus sapit luctum euersæ Ierosolymæ, captiuatique populi; nam cap.1. *Migrauit Iudas; habitauit inter gentes*; & v.18. *iuuenes in captiuitatem* cap.2. v.8.*murus pariter dissipatus est*;& cap.4.v.1.*dispersi sunt lapides Sanctuarij &c.* Cæterum sit Ieremiæ Conclusio. Deus publica peccata obstinatorum publicis flagellis percutit. Etenim post tot idolatriarum crimina demum euersa est Ierosolyma.

§.29. *Baruch*.

FRater fuit Saraiæ Principis, fidusque comes,& discipulus Ieremiæ; postque huius martyrium abscedens Aegypto, abijt in Babyloniam anno 5.captiuitatis; ibi solaturus Iechoniam, aliosque captiuos. Ibi librum edidit, seu hebraicè, seu chaldaicè, nescitur; de quo Hieron. prol. Ierem. *Librum Baruch notarij Ieremiæ, qui apud hebræos,nec legitur, nec habetur,prætermisimus*. Tunc enim putauit apocryphū; at postmodum vertisse de gręco indicant Biblia Regia. Ergo sicuti Ecclesiasticus hebraicè est editus,& intercidit, conseruante tamen Ecclesia Christiana græcum transumptum; ita contigit, & libro isti; qui totus cum epistola Ieremiæ posita capite vlt. canonicus est; neque de hoc dubitaret iam Driedo post Concilium Tridentinum; post quod impia est procacitas Caluini, & Kemnitij reijcientium hunc librum e numero sacrorum. Nec difficultatem mouere debet, quod ab antiquis Patribus citentur ex hoc sententiæ sub nomine Ieremiæ, quippe discipulatus ratione censebatur Ieremiæ appendix. Porrò est huius Conclusio; Deus pœnitentibus propitiatur. Ita enim Iudæis compunctis pollicetur liberationem à captiuitate Babylonis.

§.30. *Ezechiel*.

QVidam deliro figmento dixerunt, hunc fuisse Philosophum Pythagoram, vt est apud Clem. Alexan.l.1.strom. cuius fabellæ vanitas patet; nam Pythagoras falsus philosophaster, & animarum transmigrantium somniator, patria fuit Græcus e Samo; atqui Ezechiel Dei Propheta Iudæus fuit. Erat Ierosolymę Rex IoaKim aliàs Iechonias Senior, factus à Nabuchodonosore tributarius; quare & Babylone obsides relicti sunt, Daniel, & tres alij pueri, Ananias, Azarias, Misael. Cum verò rebellaret; dum parat contra eum arma Rex Babylonis, decessit; succedente filio Ioachino, qui & Ieconias Iunior. Huius tertio mense venit Nabucodono-

for, constituit patruelem Ioachini, filiumq; tertium Iosiæ Sedeciam Regẽ; abducitque Babylonem Ioachinum, sponte, ac tanto faciliùs deditum, quòd vaticinatus fuerat Ieremias ruinam Ierosolymæ. Abductus est etiam sacerdos Ezechiel. At quinto decurrente anno Ioachinum & socios cœpit pœnitere spontaneæ deditionis;eo quod viderent patriã adhuc incolumem. Eapropter cœpit prophetare Ezechiel, & certificare de futura Ierosolymæ clade; prophetante interea in Iudæa Ieremia de eodem argumento. Notat Diuus Hieron. in prol. sermonem Ezechielis hebraicum esse stylo, nec eleganti, vt Isaiæ, nec rudi,vt Ieremię, sed temperato. Nec prętermittendum hoc ex eodem in prol. Commen. *Difficultatem hebræorum probat traditio. Nam nisi quis apud eos ętatem sacerdotalis ministerij, idest trigesimum annum impleuerit, nec principia Geneseos, nec Canticum Canticorum, nec huius voluminis exordium, & finem legere permittitur, vt ad perfectam scientiam, & mysticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat.*

Post 22.annos prædicationis repræhendens Iudæos Idola Chaldæorum colentes,ab ipsis apud Babylonem per saxa raptatus, & excerebratus est; vt habet Author operis Imperfecti; de quo Martyrol.die 10.Aprilis. Huius libri est Conclusio. Deus nouam Ecclesiam erat fundaturus. Id indicat ea tot parabolis repudiatio Synagogæ; & in fine Tẽpli noui Idea tam exacta.

§.31. *Daniel.*

NAtus de Stirpe Regum Iuda, cum cognato Rege Ioachino anno Regni tertio abductus Babylonem; ibique relictus obses, anno post quarto, & circiter vigesimoquarto ætatis cœpit clarere eo insigni iudicio in senes Susannæ infamatores, post paulò ante exposita somnia Nabucodonosoris. Vixit virgo, decessitque vltra ætatem 115. annorum; verè computandus in Martyribus, qui pro Fide bis datus est leonibus cap.6.v.16. & cap.14.vers.30. Duo postrema capita, nec non cap.3.a.v.24.ad 90.quod est Canticum trium puerorum,non extant in hebræo; tamen à Diuo Hieron.in latinum ex græco Theodotionis translata sunt;ex quo est euidens indicium, idipsum præstitisse in Baruc, Sapientia; Ecclesiastico, Machabæis. Prænotatas huius libri partes inter apocrypha reputant, Iulius Africanus, Driedo, & alij, aliter vtique dicturi post Concilium; quare excusandi illi; at inexcusabiles sunt hæretici nouatores temerè contradicentes. Huius conclusio est libri; Deus erat Ecclesiã supra Orbis imperia exaltaturus nunquam destruendam. Hoc enim est illud perenne Christi Regnum, quod pluries hic prædicitur.

§.32. *Osee.*

SYnchronus fuit Isaiæ, sed tamen ante Isaiam cœpit prophetare, & ante reliquos; cœpit autem Isaias anno Oziæ Regis vigesimoquinto. Prophetat Osee contra Regnum Israel decem tribuum; ac sermo eius teste D.Hieron. in prol. est *commaticus & quasi per sententias loquens.* De eo meminit Martyrol. die 4.Iulij; eiusque est libri Conclusio; Deus erat Synagogam reprobaturus. Apertè id prædicitur cap.3. in parabola adulteræ.

§.33.

§.33. *Ioel.*

NAtus in tribu Ruben, in agro Bethor, teste Epiphanio in Synop. Synchronus præcedenti; deque eo Martyrol. die 13. Iulij. Prædicit vastitatem Ierosolymæ per Chaldæos; Conclusio autem est. Deus iudicabit Orbem totum. Siquidem id prædicit, & vallem Iosaphat indicat.

§.34. *Amos.*

DE oppido Thecue longè à Bethlehem sex milliaribus ad meridiem; vbi vasta incipit solitudo, nec vllæ sunt habitationes, sed per arenosam planitiem vagantur greges. Vnus ergo e deserti huius pastoribus extitit Amos hic, longè diuersus ab Amos patre Isaiæ; quod & scriptio hebraica indicat differens. Cœpit prophetare paulò ante Isaiam, ante terræmotum; qui contigit, quando Rex Ozias ausus est, vsurpare officium sacerdotale, ac thurificare, vt habetur 2. paral. 26. v. 18. de quo terræmotu habetur Zach. 14. v. 5. Prophetauit autem Amos contra Regnum Israel; dumque in Samaria & Bethel idolatras increpat, ab Amasia idolorum sacerdote multis plagis affectus, transfixus tempora demum ab Osee Amasiæ filio, martyr occubuit, vt habet Martyrol. die 31. Martij. Eius est Conclusio, Deus erat cæremonialia Mosaica aboliturus. Nam Deus inquit, odi & proieci festiuitates vestras.

§.35. *Abdias.*

HEbræi putant, illum esse, qui sub Achab, & Iezabel seruauit clam centum prophetas, vt habes 3. Re. 18. v. 13. quam sententiam sequuntur, Euseb. Ruper. Hug. Lyran. at obuersi sunt Cornel. & Tirin. Quisquis fuerit, est omnium Prophetarũ breuissimus; sed cuique, vt ait Hieron. *est gratia mysteriorum æqualis*. Minatur euersionem Idumææ per Chaldæos; placebat quippe Idumæis æmulis prognatis de Esau malum filiorum Iacob; Conclusio autem est. Deus de malo proximi gaudentes punit. De hoc Propheta habet Martyrol. die 14. Iunij, & 19. Nouemb.

§.36. *Ionas.*

NAtus in Geth, non illa Palæstinorum, vt sentit Epiphanius; sed vt ait Hieron. in Geth secundo lapide a Diocesaria, estque versus Tiberiadẽ viculus. Eum tradunt Iudæi esse illum viduę Sareptanæ filium, quem suscitauit Elias 3. Reg. 17. v. 22. & prophetasse eisdem temporibus, Osee, Amos, ac Isaię. Historiam narrat suæ missionis ad Niniuitas, vbi Rex erat Sardanapalus Senior; alias Tonosconcoleros. Ionæ autem Conclusio est. Deus omnium vult salutem, ideoq; & omnes vocat peccatores ad pœnitentiam; vt patet in Niniuitis, quibus pœnitentibus pepercit. De Iona Martyrol. Rom. die 13. Iulij.

§.27. *Michæas.*

AEtate suppar præcedentibus, maximè Isaiæ, cui & stylo congruit; oriundus e Morasthi, viculo propè Eleutheropolim Palęstinę vrbem. Is arguens Regem Achab de idolatria, ab Achabi filio Ioram pręceps datus est; vel vti habet Theophilus, gladio percussus; de quo Martyrol. 15. Ianuarij.

rij. Prophetat excidium amborum Regnorum, Israel, & Iuda, at spem excitat expectatione Messiæ, cuius cunas Bethlehemiticas digito indicat; estque Conclusio. Deus inter flagellorum minas parat beneficia.

§. 38. *Nahum*.

PAtria Elcesëus e viculo Galilææ. De eo Martyrol. 1. Decembris. Prophetauit, quando iam decem tribus æuo Ezechiæ abductæ fuerant ab Assyrijs, atque disperse; estque hæc prophetia contra ipsos Assyrios, seu aduersus Niniuem à Chaldæis perdendam, eo quod abusa fuisset diuino munere præseruante pœnitentem in prædicatione Ionæ. Conclusio est; Deus vlciscitur in ingratos recidiuos. Ita planè prædicitur Niniuitis relapsis; ita & reipsa euenit.

§. 39. *Habacuc*.

DE cuius memoria Martyrol. die 15. Ianuarij. Hunc fuisse illum qui per aera latus est Babylonem, ad Danielem leonibus dimissum Dan. 14. censet D. Hieron. in prol. Comm. adeoque prophetauit Habacuc iam cœpta captiuitate; & quomodo Nahum prædixit euersionem Assyriorum labefactantium Regnum Israel, ita is ruinam Chaldæorum captiuantium Regnum Iuda, quæ acta est à Cyro Persa. Conclusio itaque est; Deus sagrilegos percutit. Sic vtique egit in Babylonios Templi subuersores; quorum actum permisit in pœnam Iudęorum, sed non approbauit.

§. 40. *Sophonias*.

COæuus fuit Ieremiæ, prophetauitque sub Rege Iosia. De eo Martyrolog. 3. Decembris. Versatur in admonendis Iudæis, quibus & ruinas minatur; Estque Conclusio. Deus nolentibus Clementiam adhibet Iustitiam.

§. 41. *Aggæus*.

BAbylone natus, venit Ierosolymam in Captiuitatis per Cyrum relaxatione; promouitque reædificationem Templi. De hoc Propheta Martyrol. die 4. Iulij. Eius Prophetia est de Templo nouo fundando; & Conclusio. Deus immensus, tamen singulari modo in Templo habitat.

§. 42. *Zacharias*.

Synchronus, & socius Aggęi; ac Sacerdos teste Cyrillo; deque eo Martyrol. die 6. Septembris. Ambo ergo isti, Aggæus, & Zacharias anno secundo liberationis cœperunt hortari ad opus noui Templi; at duobus mensibus ante Zachariam prædicauit Aggæus. Dicitur à Diuo Hieronymo Zacharias *multiplex in prophetia*; quippe est veluti omnium Prophetarum compendium; eius autem Conclusio. Deus abundè largitur suas gratias, nisi repellantur. Namque non satis ei fuit, loqui per Prophetas, sed Prophetas multiplicauit.

§. 43. *Malachias*.

DE quo Martyrol. die 14. Ianuarij. Diuus Hieronymus in cap. 1. Aggæi refert opinionem Origenis, ac Tertull. *Quidam putant, & Ioannem Baptistam, & Malachiam, & Aggæum fuisse Angelos, & iussu Dei assumpsisse*

psisse humana corpora. At hoc prorsùs gratuitò; vt & quod tradunt hebræi, Malachiam fuisse Sacerdotem Esdram,quibus contradicunt, Aug.Chryso. Lyr. Cornel. & alij. Prophetat apertè hic Prophetarum colophon de abiectione hebraismi, & vocatione gentium, ac institutione noui Sacrificij excellentissimi toto Orbe. Hinc elicitur Conclusio; Deus erat, reiecta Synagoga,ordinaturus per omnem terrarum Orbem suam Ecclesiam, & in ea Sacrificium Immaculatum Eucharistię.

§. 44. *Machabæorum primus.*

QVatuor libri Machabęorum reperiuntur; qui si omnes essent Canonici, talem inter se temporis catenam producerent; vt primo loco tertius gesta referens Antiochi Magni,secundo secundus habens de Antiocho Epiphane;tertio loco primus narrans publicæ rei instauratores Machabęos; & quarto demum quartus ponendus esset, in quo de actis à Ioanne Hircano Pontifice Simonis Machabæi filio. At duo appellati, tertius, & quartus apochryphi sunt, nec vnquam ab Ecclesia in Canonem relati; neque à Patribus citati vt libri Diuinæ authoritatis. De primo etiam, & secundo, vt de Tobia, Iudith, Sapientia, & Ecclesiastico ita sensit aliquando Hieronymus prol. Prouer. at deinde peracta translatione cæterorum Veteris Testamenti, putasse hos quoque Canonicos, re attentiùs inspecta,instum est credere; nam de Tobia in prol. Tob. notat quidem ab hebræis non recipi vt Canonicum, sed ipse id non asserit, vt antea fecerat; & de Iudith inquit in prol. suo *Quia hunc librum Synodus Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse,acquieui postulationi vestræ &c.* & quidem inde patet, in Nicæno Concilio publicatum fuisse Canonem; in quo si fuit adscriptus liber Iudith, par est item de reliquis prænotatis idem sentire; adeoque à Concilio Niceno accepit Carthagin. tertium, & posteri Doctores Ecclesiæ. Quoad primum itaque Machabæorum satis est dicere, esse historiam gestorum à Mathathia, & filijs pro Religione legis, & libertate patriæ contra Reges Syriæ Græcos; Estque Conclusio. Deus Ecclesiæ suæ prouidet defensores, quando opus est. Ita enim prouidit de Pontificali familia Aronis Mathathiam, & filios; in quibus Iudas agnominatus est Machabęus, quod sonat virum strenuum, seu vt vulgò dicimus Palatinum.

§. 45. *Machabæorum secundus.*

EPistola est à Senatu, seu ab Ecclesia Ierosolymæ directa ad Iudæos in Aegypto degentes.In ea præcipuè ad Obseruantiæ exemplum narratur Martyrium semptem fratrum; qui dicti sunt Machabæi, quia de matre appellata Machabæa nati, vt habet prol. in Bibl. Reg. De his duobus libris ait Hieron. in prol. galeato; *Machabæorum primum hebræum reperi, secundus græcus est; quod ex ipsa quoque phrasi probari potest.* Vtrumque reiciunt nouatores hæretici, at vterque Canonicus est, vt habent Patres, & Concilia. Huius demum est Conclusio; Deus sapientissimè mala permittit, vt ex ijs bona eliciat. Sic enim ex Antiochi barbarie eduxit præclara martyria.

§.46.

§. 46. *Euangelium Matthæi.*

EX Capharnaita telonearío Matthæus alio nomine Leui dictus, conuersus à vocante Christo in Apostolum; post Christi mortem, & Resurrectionem anno octauo, adueniente iam tempore, prædicandi Fidem Gentibus totius Orbis; vt vbique esset vna Scriptura referens hanc Christi vitam, omnesque Christiani seruarent memoriam eodem modo, scripsit fortè iussus à Diuo Petro, & vniuerso Cœtu Apostolico Euangelium. Id fecit tunc hæbraicè optans primò vtilitatem, & conuersionem Israelitarum. Extabat textus hebraicus hic æuo Diui Hieron. in insigni Bibliotheca Ecclesiæ Cæsariensis à martyre Pamphylo congregata; nunc autem nullum huiusmodi extat exemplar, sed solæ translationes, græca ex hebræo,& latina ex græco, itemque Syriaca ex græco. Euangelium Nazaræorum, cuius non semel meminit Diuus Hieronymus,erat ipsum hebraicum Matthæi, sed ab Iudæochristianis Nazaræis nonnullibi corruptum.

Quis ex hebræo græcum reddiderit Euangelium Diui Matthæi, non liquet. D. Athanas. in Synop. id tribuit Iacobo Minori, Apostolo, & Ierosolymæ Episcopo; Theophil. præf. in Mat. Ioanni Euangelistæ; Anastas. Sinaita l. 8. Hexam. Paulo Apostolo; Sixtus Senen. Barnabæ; nec improbabile est, factum id ab ipso Matthęo. Statim ergo editus hic liber, approbatus Ierosolymæ ab Apostolis, & ab ipsis exscriptus, totoque Orbe vulgatus Canonicam habet authoritatem. A quo item sit versio latina, vt & in reliquo nouo Testamento (excipe Euangelium Marci) nescitur. Id solum constat,à Diuo Hieronymo collatione multarũ latinarum tunc vsualium facta ad prototypum græcum, haberi hanc nostram vulgatam editionem; quæ hac ratione potest appellari Versio, seu Translatio Diui Hieronymi. Est etiam dubium; à quo sit præfixus titulus *Sanctum Iesu Christi Euangelium secundum Matthæum*; sed nil est, quo debeat negari, ab eodem Matthęo positum, vt certiorem originem dignosceret Fides.

Quatuor Animalia Ezech. 1. & Apoc. 4. referunt Euangelistas; atque Matthæo congruit Homo; quippè agit præsertim de Christo vt homine sancto, & promisso Patribus in Veteri Testamento. Hinc eius initium est à Patriarcharum genealogia; estque Conclusio. Deus Iesum Messiam Sanctum Mundo dedit. Eam probat; ex genealogia Christi promissi Abramo, & Dauidi, de horum Stirpe venturi; item ex adimpletis reliquis scripturis; puta quod est natus de Virgine iuxta illud Isa. 7. *Ecce Virgo concipiet &c.* quod in ortu apparuit stella iuxta illud Num. 24. *Orietur stella ex Iacob*; quod erat adorandus à Regibus Psal.71. *Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent*; quod habiturus Præcursorem Isa. 40. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*; quod habiturus Angelorũ ministerium,Psal.90. *Angelis suis mandauit de te*; quod explicaturus nouam legem,Iere.3. *Feriam domui Israel, & domui Iacob fœdus nouum*; quod facturus miracula, Isa. 35. *Tunc aperientur oculi cæcorum &c.* Quod futurus Rex humilis, Zach. 9. *Ecce Rex tuus pauper ascendens super asinam*; quod futurus Propheta, Deut.

18.*Pro-*

18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui*, quod crucifigendus inter latrones, Isa. 53. *Cum sceleratis reputatus est*; quod resurrecturus è sepulchro, psal. 15. *Caro mea requiescet in spe; quoniam non derelinques animam meam in inferno &c*; quod omnes gentes per Baptismum in Dei Ecclesiam congregaturus Gen. 49. *Ipse erit expectatio gentium*, Isa. 11. *ipsum gentes deprecabuntur*.

§. 47. *Euangelium Marci*.

FVit Diuus Marcus de tribu Leui; immo in Synagoga Sacerdos, vt habet D. Hieron. in prol. Com. Putat Epiphanius hær. 52. fuisse à Christo conuersum, vnumque è septuaginta duobus discipulis; at oppositum multi alij sentiunt, eo quod scribat Petrus epist. 1. cap. 5. *Marcus filius meus*; quare habet Hieron. cit. *Marcus Euangelista Dei electus, & Petri in Baptismate filius, atque in Domini sermone discipulus*. Cum Petro soluens Antiochia Romam venit, ipsoque primo anno, qui fuit duodecimus à Passione Christi, scripsit; de quo Hieron. in catal. *Marcus discipulus, & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romę à fratribus, breue scripsit Euangelium. Quod cum Petrus audisset, probauit, & Ecclesiæ legendum sua authoritate dedit.* Latinè scripsit, vtpotè Romæ, & pro ipsis Romanis præsertim; vnde habet versio Syriaca in calce; *Absolutum est Euangelium Marci, quod locutus est, & annuntiauit in Roma Romanè*; sicut in præcedenti *Euangelij Mathai, quod prædicauit hebraicè in terra Palæstinæ, finis*.

De Marco refertur apud Diuum Hieronymum prol. commen. post susceptum Baptisma amputasse sibi digitum pollicem, vt Sacerdotij incapax haberetur; hoc tamen haud obstante, factus est Episcopus; & primò quidem Aquileiam in Venetica Prouincia à Diuo Petro missus; ibi teste Petro de Natalibus Aquileiense Patriarcha in catal. l. 4. cap. 80. ipse Marcus suum Euangelium transtulit in Græcum, estque hic sua manu scriptus codex hac die in thesauro Templi Sancti Marci Venetijs. Inde Ecclesia iam stabilita, perrexit Alexandriam Aegypti; vbi summis claruit virtutibus; institutor vitæ Religiosæ claustralis eorum, quos Essenos, idest Sanctos appellarunt, Iosephus Flauius, & Philo. Quo ad Euangelium autem optimè congruit Marco figura Leonis Regis quadrupedium rugientis; nam & à clamore Ioannis Præcursoris incipit, & eius est de Christo Rege Conclusio. Deus Iesum constituit Vniuersi Regem. Id probat ex potestate Christi super omnia; super homines trahendo ad sui sequelam, super demones imperando illis; super animalia, vt vbi concessit dæmonibus intrare in porcos; super plantas, vt vbi arefecit ficulneam. Hinc vt Regi plauditur cap. 11. *Benedictum quod venit Regnum patris nostri Dauid*; & denique consummatur narratio Vitæ Christi triumphali ascensione ac throno, vbi *sedet à dextris Dei*.

§. 48. *Euangelium Lucæ*.

NAtione Syrus, patria fuit Lucas Antiochenus; *Medicus simul, & pictor egregius*, vt ait Nicepho. l. 2. cap. 43. cuius est inter alias hęc veneranda Deiparę icon ad Aram Cęli Romæ, quę pestem fugauit tempore Diui

Diui Papæ Gregorij. Discipulus fuit Apostolorum, postea comes Pauli, inquit D. Hieron. in prol. Com. vsque ad ipsius Pauli consummationem; ac tota vita celebs; dignus proinde, vt Secretarius Mariæ Virginis haberetur, & ab ea disceret seriem Annuntiationis, ac Natiuitatis Christi. Putatus est à Diuo Gregorio pręf. in Iob, & alijs vnus e septuaginta duobus discipulis, atque ille Cleophę comes, conuiua rediuiui Christi in Emmaus Luc. 24. at alij dissentiunt, eo quod in prologo sui Euangelij profiteatur, se ab alijs audita, non à se visa narraturum. In eo prologo indicat, ab alijs iam descriptam Christi historiam, intelligens de Matthæo, & Marco. Prędicauit in Dalmatia, Galatia, Italia, Macedonia, teste Diuo Epipha. hęr. 51. scripsitque Euangelium in Achaiæ partibus, vt ait D. Hieron. at Syriacus habet in fronte versionis, *annuntiauit Ionicè in Alexandria magna*, fortè per id intelligens Græciam Alexandri patriam.

Symbolum illi Bos, vtpotè immolatitium animal; quippè incipit à Sacerdotio Zachariæ; estque etiam eius primaria Conclusio de Christo Pontifice, & holocausto. Deus Iesum Saluatorem dedit, Sacerdotem, & Sacrificium. Hinc iste notat, debuisse appellari Iesum; ita pręnuntiatum ab Angelo, ita nominatum in Circumcisione, ita in Natiuitate euangelizatum à choro cœlitum. Enarrat latiùs argumenta misericordiæ, in Sanctificata Magdalena, in filij prodigi parabola, in oratione cum sudore sanguineo; in saluatione Latronis crucifixi.

§. 49. *Euangelium Ioannis.*

HIc iure dictus est antonomasticè *Theologus*; de cuius patria Ierosolyma constat; de virtutibus autem nemo satis effabitur; de Euangelij denique scripto aliqua notabimus, cuius initio Syriaca versio præfigit, *quod prædicauit Ionicè Ephesi.* Iam Christi Ecclesia sexaginta sex annos habebat; dum interea plures pullularant hæreses, inter quas Cerinthi, & Ebionis, negantium, venisse Deum in carne, & Christum ante Mariam esse. Iam ergo nuper reuersus Ioannes de exilio Insulę Pathmos rogatus est, pro Veritate ferre testimonium Christianitati, vtpotè Discipulus Christo prædilectus iam agnitus. Ille spopondit; ac indicto publico ieiunio Ecclesiæ, eo peracto, dum segregatus cum notario tacitus cogitaret, cœperunt vndique toto cœlo tonitrua, & fulgura; tunc cœpit alta voce. *In principio erat Verbum &c.* vt rem ex antiquis Patribus refert Baronius. Itaque vt inquit D. Hieron. prol. com. in Mat. *Coactus est ab omnibus pęnè tunc Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus de Diuinitate Saluatoris altiùs scribere; & ad ipsum, vt ita dicam, Dei Verbum, non tam audaci, quam fœlici temeritate prorumpere.*

Conuenientissimè Symbolum habet Aquilam in Solem Deitatis intendens; estque ei Conclusio. Deus Verbum Patri Deo coæternum, & consubstantiale factum est Caro; adeoque Iesus est Deus. Ostendit id cap. 4. ex virtute cognoscendi secreta Samaritanæ mulieris, & sanandi moribundum Reguli filium absentem solo verbo prolato. Capit. 6. ex potentia instituendi

tuendi

tuendi quotidianum fidelibus cibum seipsum panem vitę. Cap. 8. ex Christi ipsius assertione æternitatis, *Antequam Abraham fieret, ego sum*; & consubstantialitatis cap. 10. *Ego & Pater vnum sumus*; & circumincessionis cap. 14. *Ego in Patre, & Pater in me*; & potestatis prædestinandi cap. 15. *elegi vos, vt eatis &c.* Ex voluntaria passione; siquidem in horto prostrauit tot milites vno verbo, sicque poterat euadere, sed mori maluit. Ex datione Spiritus Sancti cap. 20. *Accipite Spiritum Sanctum*, ex quo indicauit se cum Patre esse principium spirandi personam Diuinam Spiritus Sancti.

§. 50. *Actus Apostolorum*.

GRæcè Actus dicuntur *Praxes*. Hoc volumen egregium à D. Luca editum, est Ecclesiastica historia ab Ascensione Christi per annos 27. vsque ad biennium Pauli Romæ commorantis, vt patet cap. vlt. siquidem Paulus Cæsare appellato Romam pergens, comitem habuit Lucam, qui & hunc librum in hac Vrbe scripsit; ac proinde non processit vlteriùs, quia Roma Lucas à Paulo, immo à Petro missus est in Dalmatiam, vt ait Epiphan. cit. & in alia loca, ad euangelizandum. Chrysost. præf. in Luc. appellat hoc actuum volumen, *Librum dogmatum de Spiritu Sancto*, Oecumenius autem *Euangelium Spiritus Sancti*. Et optimè; tum quia de missione Spiritus Sancti narrat, tum quia de Paulo, & Barnaba Apostolis Spiritus Sancti, qua analogia Ioannes Baptista dicit potest Patris Apostolus.

Prologus Diui Hieronymi apud Bibl. Reg. habet; *Post Apostoli Pauli Epistolas dudum vobis vno volumine translatas, Domnion, & Rogatiane charissimi, Actus Apostolorum compellitis, vt transferam in latinum.* Cumque de quatuor Euangelijs scribat ad Damasum, ea quæ à vitiosis interpretibus malè reddita; vel à præsumptoribus imperitis emendata peruersiùs, vel à librarijs dormitantibus, aut addita sunt, aut mutata, se emendasse, non parum tamen indulgendo auribus populi assuetis; quare subdit, *ita calamo temperauimus, vt his tantum, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur vt fuerant*; videtur reliquum nouum Testamentum exactiori noua sua translatione omnino cudisse. Hinc ad Eustoch. in prol. apud Bibl. Reg. loquens de septem Epistolis Canonicis, ac notans necessitatem, eas benè transferendi, maximè primam Ioannis, in qua cap. 5. vers. 7. illud *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt* omissum fuerat ab infidelibus translatoribus, vnde etiam nunc deest in versione Syriaca; infert postmodum Diuus ipse de ea, & reliquis Canonicis; *In cæteris verò Epistolis quantum à nostra aliorum distet editio, Lectoris prudentiæ derelinquo*.

Si ergo etiam Apocalypsim vertit, vt sanè dicendum, noluisse vnum in tot libris Canonicis omittere; iam vides, quomodo sit Hieronymi tota latina editio etiam Noui Testamenti. Cæterum huius libri Actuum Apostolorum hæc est Conclusio; Deus Ecclesiæ Christi assistit euidentibus signis. Huiusmodi præcipuè sunt; stabilitas Ecclesiæ inter persecutiones, qualis fuit cap. 9. in Saulo, & aliàs in Iudæis persequentibus; Deinde verò

Dei vocatio ad Ecclesiam, qualis fuit cap.10. Cornelij Centurionis; præterea Sanctitas Fidelium, & Martyria, cuiusmodi narratur de primis illis Christianis, & in his de Protomartyre Stephano; deinde Miracula, & hæc non pauca itemque clarissima, de Petro, & Paulo scribuntur.

§. 51. *Epistola ad Romanos.*

SEptima, vel octaua epistolarum à Paulo scriptarum hæc est; ab eo data Corynthi, postquam illuc venerat è Nicopoli; atque transmissa Romam *per Phebem ministram Ecclesiæ, quæ erat in Cenchris*, nempè ad portum Corynthi, vt habetur in fine textus Græci in Biblijs Regijs. Cur autē ponatur primo loco, esse ait August. ob eminentiam argumenti omnium primi, vtpotè de Fide, & Gratia Christi. Absceßerat Roma Diuus Petrus in Britanniam pulsus ab Imp. Claudio; & ex absentia Pastoris emersere in gregibus dissensiones; cumque essent in Vrbe Christiani duum ordinum, alij nempe ex hebræis conuersi, alij ex gentilibus, orta est contentio de præeminentia. Illi ex Iudaismo orti iactabant genus prognatum de Patriarchis Deo charissimis; exprobrabant alijs originem de idolatris; inferebant denique, Deum vocasse ad Christi Ecclesiam ipsos Iudęos ob merita ipsorum, at idolatras ex mera misericordia, vnde & inferiores essent habendi in Christiano populo. Hi ex aduerso retorquebant veterum hebręorum tot scelera, tot idolatrias, ac postremorum crudelem impietatem aduersus Christum; obtendebant pro sui excusatione ignorantiam; & inde colligebant, se excusandos à peccato, adeoque pręferendos alijs tam ingratè lapsis.

Igitur Paulus re audita, & vtrobique superbia comperta, vtramque partem repręhendit; ostendens, omnes nationes peccasse, Iudæos contra legem Mosaicam, Gentiles contra legem naturæ. Immo omnes homines peccasse in Adam; adeoque quidquid spei salutis esset, esse totum ex pura Dei misericordia per Gratiam Christi participata à credentibus; nec vllum vocari ex merito, sed ex præueniente gratia, & ad meritum. Est proinde Conclusio; Deus sanctificat, & saluat per gratiam suæ misericordiæ effluentem à Christo Redemptore, siue Iudæos, siue Gentiles; quos ex sua sola benignitate prædestinauit.

§. 52. *Epistola prima ad Corinthios.*

QVota sit in serie, vt etiam subsequentes, iam prænotaui in Chronotaxi librorum Diuinorum, & legi potest apud Baronium. Hoc sufficiat additum nunc; poni in Biblijs primò Epistolas scriptas Ecclesijs determinatis, deindè scripras personis particularibus, demum illam ad Hebræos in varijs degentes Ecclesijs. Posita primo loco ea ad Romanos, alię seruant ordinem temporis, excepta ea ad Thessalonicenses; eo quod instruat secunda de finali Mundi tempore & Antichristo, ideoque iure ponenda in fine doctrinarum epistolarium; qua ratione habet secum & primam ad Thessalonicenses, quippè placuit Ecclesiæ iungere quasque duplices Epistolas. De Vrbe Corynthi Achaica Gręcię nil superest dice-

re,

re, cum satis nota sit; de hac ergo Epistola Pauli responsiua multis Epistolis è Coryntho acceptis, aliquid addendum.

Græcus & Syriacus ad calcem habent, scriptam Philippis in Macedonia, & missam per Timotheum, addit Græcus, Stephonam, Fortunatum, Achaicum; at ex cap. *16.* v. 8. videtur Ephesi data, & per Timotheum delata. In ea repræhenditur fastus Magistrorum, & vana contentio; excommunicatur vnus quidam incestuosus, qui nouercam duxerat; resoluuntur dubia multa de quibus Corinthij percontabantur, puta de Matrimonio, de esu idolothyti, de velandis mulieribus, de cęna Eucharistica, & alijs; estque inde Conclusio. Deus est Magister Ecclesiæ cuncta volens per sanam doctrinam ordinata.

§. 53. *Epistola secunda ad Corinthios.*

SCripta est Philippis in Macedonia, & missa per Titum, vt habet Syriaca, additq; græca etiam Lucā. Incestuosum excommunicatum anno priore, iam verè pœnitentem absoluit; qua occasione agit de pœnitentia, & demum texit apologiam in suos æmulos; est autem Conclusio. Deus Ecclesiæ suæ dedit Claues ligandi censuris, atque soluendi, sicque Claues nedum secretas, sed & publicas, seu fori exterioris.

§. 54. *Epistola ad Galatas.*

EST Galatia Prouincia Asiæ minoris habens ab ortu Cappadociam, ab occasu Bithyniam, ab austro Pamphiliam, ab aquilone Pontum euxinum; dicta etiam Gallogræcia, quia à populis e Gallia in Græciam progressis occupata est. Hanc Epistolam fuisse Romæ datam habent, Græcus, Syriacus, Diuus Hieron. & alij; at Baron. negat, eo quod suorum in Vrbe vinculorum non meminit, vt in alijs isthinc datis; quare putat Nicopoli, alioue loco scriptam. Modus est similis cum Epistola ad Romanos, cuius veluti compendium videtur. Iam Paulus Galatas Christo pepererat; sed post eius abscessum hæretici quidam Pseudoapostoli persuaserāt Galatis, necesse esse ad salutem seruare etiam legalia Mosis. Idcircò Paulus eos corrigit, ostendes Christianos liberos esse à iugo cæremoniarum Iudaicarum; estque Conclusio. Deus olim Synagogæ author, postmodum ea repudiata constituit Ecclesiam liberam ab obligationibus legalium Mosaicorum.

§. 55. *Epistola ad Ephesios.*

MEtropolis Asiæ minoris est Ephesus, vbi & maximè floruit Græca Philosophia. Quoniam ergo Ephesij contra conatus Pseudoapostolorum stabant in semel accepta illibata Fide; eos laudat Paulus epistola Romæ data, & missa per Tychicum, vt habent Græcus, & Syriacus. In ea de Gratia Diuinæ Prędestinationis tractat; estque Conclusio. Deus ex infinita Charitate sua prædestinat in Christo saluandos.

§. 56. *Epistola ad Philippenses.*

VRbs in Macedonia de incunabilis Philippi Regis patris Alexandri magni nuncupata receperat à Paulo fidem Christi. Vt autem Philippenses audierunt, Paulum Romæ carceri mancipatum, ad eum pietatis mu-

munera miserunt per ipsum eorum Episcopum Epaphroditum;qui & remissus est à Paulo cum hac commendatiua eorum virtutis; cuiusque est Conclusio. Deus Christum proponit cunctis imitandum.

§. 57. *Epistola ad Colossenses.*

DEcepti sunt, Suidas, Zonara, Glycas, putantes scriptam ad Rhodios, quasi diceretur ad vrbem famosam ex ęneo Solis colosso. Alia ergo erat Ciuitas Colossos in Phrygia non longè à Laodicia, & Hierapoli, cum quibus terręmotu corruit Orosio teste. Colossenses Paulus non viderat; sed audiens, illuc penetrasse Pseudoapostolos Simonianos, operæ pretium duxit, Colossenses per epistolam admonere, scribens Roma per Tychicum Diaconem, & Onesimum acolythum, vt habet Græcus. Est similis illi scriptæ ad Ephesios, & huic Conclusio. Deus integram, & illibatam exigit Fidem. Nam & idcircò Paulus contra hęreticos præcauet.

§. 58. *Epistola prima ad Thessalonicenses.*

VRbs Thessalonica Metropolis Macedonię nunc appellatur Salonichium. Ibi Paulus prædicarat, sed ob Iudæorum persecutiones obiter; idcircò fideles ibi Christo genitos instruit duplici Epistola, ante omnes alios à Paulo datas. Hanc fuisse scriptam Athenis, subscribunt, Græcus, & Syriacus; at quia cap. 3. v. 6. tangitur Timothei reditus ad Paulum, idque fuit Corynthо act. 18. v. 5. idcircò tenetur Corynthi scripta; & exinde colligitur omnium Pauli Epistolarum prima. Agit autem de Mortuorum resurrectione, ac finali Iudicio, estque Conclusio. Deus omnes mortuos resuscitabit, ac Orbem iudicabit per Christum.

§. 59. *Epistola secunda ad Thessalonicenses.*

SYriacus asserit scriptam Laodicea Pisidię, Gręcus Athenis; at dicendum Corynthо, paulò post præcedentem; ex cuius occasione quidam subdoli deterrebant Thessalonicenses; quasi Paulus scripsisset, iamiam instare finem Mundi, & vniuersale Iudicium, quod & suppositititijs nomine Pauli epistolis persuadebant. Hinc eos impostores arguit; & monet, fore antea hominem vnum pessimum Antichristum, eumque graphicè describit; estque Conclusio. Deus permittet hostem Christi, sed tandem ab Ecclesia Christi destruendum.

§. 60. *Epistola prima ad Timotheum.*

HAnc Baronius putat scriptam in Macedonia; eo quod cap. 1. v. 3. scribatur, *rogaui te, vt maneres Ephesi, cum irem in Macedoniam*; at profectò potiùs est ad oppositum; quippè non ait, *cum venirem*, sed *cum irem*; adeoque dicendum cum Syriaco, & Græco, scriptam Laodicææ, quæ est metropolis Phrygię Pacatianæ. Timotheus valdè iuuenis, ob egregias animi dotes fuerat factus Ephesi Episcopus, ac totius Asiæ Primas; quapropter de tanto onere eum instruit Paulus; estque Conclusio, Deus vult Ministros irrepræhensibiles.

§. 61.

§. 61. *Epistola secunda ad Timotheum.*

VLtima omnium scriptarum à Paulo iam proximè sacrificando per martyrium, vt indicat cap.4. v.6. dicens, *Tempus resolutionis meæ instat*, tenetur communiter; licèt Baronius contendat decennio ante datam in primis Romæ vinculis, eo quod cap. 4. v. 18. dicat se liberatum de ore leonis, nempè Neronis. At profectò si scribit vinculatus; ergo in secundis vinculis erat iam decennio ante liberatus e primis. Hac epistola admonet, ad bene gerendum officium sui Episcopatus; maximè in docendo fideles, & cauendo ab hæreticis; estque Conclusio. Deus à Prælatis exigit de subditorum salute.

§. 62. *Epistola ad Titum.*

FVit hic Pauli discipulus, Dalmatiæ Apostolus, vt habetur 2. Tim.4. v. 10. iam antea constitutus à Paulo primus Cretæ Episcopus. Natione fuit Corynthius teste Chrysostomo; decessitque demum in suo Episcopatu, ac de eo Martyrol.die 4.Ianuar.Hunc ergo Paulus pergens Nicopolim Macedoniæ vrbem, admonet per epistolam de perfectione requisita in Episcopo; estque missa Epistola per Zenam, & Apollo, vt habet Syriacus, de quibus cap. vlt. v.13. est autem Conclusio. Deus Ministros Ecclesiæ Rectores vult sollicitos de subditorum salute,quorum sunt positi in exemplar.

§. 63. *Epistola ad Philemonem.*

ERat hic nobilis ciuis Colossensis, cuius seruus Onesimus domi furatus quædam non leuis momenti, Romam profugerat; erat autem natione Phryx. Romæ hic ergo à Paulo instructus in Fide, & baptizatus,ordinatusque acolythus, ad herum Philemonem remissus est cum hac epistola commendatitia; data simul altera supranotata ad Colossensem Ecclesiam. Porrò Onesimus ab hero placidè suspeptus,adeo postmodum in virtute profecit; vt Timotheo in Ephesi Episcopatu successerit, & in Martyrio. Huius Epistolæ Conclusio est; Deus virtutem in Nobilitatem reputat.

§ 64. *Epistola ad Hebræos.*

HAnc in Italia scriptam, & per Timotheum missam scribit Gręcus in calce; vt habent Bibl. Reg. Fortasse data est Romæ atque ad Christianos Ierosolymę directa; qui natione hebræi erant, nec non & ad alios huiusmodi per Orbem sparsos; qui quamuis Christo credentes, amaro tamen erant animo in Paulum, falsa suspicione delusi; quod legem veterem detestaretur, eo quod vbique clamaret, non esse obseruanda legalia Mosis. Cum ergo apud tales in Synagoga nutritos adhuc esset quędam propensio ad obseruantiam veterum cæremoniarum,Paulus optans videre eos perfectè Christianos, hanc scripsit Epistolam hebraico idiomatè elegantissimam; quam post Pauli mortem transtulit in Græcum Diuus Lucas, vt præfigitur in argumento apud Bibl. Reg. Duas passa est difficultates hæc Epistola, videlicet de authoritate, & de authore.

Quoad authoritatem, eam denegarunt, Marcion, Arius, Lutherus, Brentius, Magdeburgen. & Anabaptistæ. Dubitauit etiam Caietan. in Comment.

ment. aliter absque dubio dicturus modò post Concilium Tridentinum, in quo infligitur anathema in respuentem quidpiam de tota vulgata Scriptura. Etiam æuo Hieronymi à quibusdam non suscipiebatur Latinis, quemadmodum Apocalypsis reijciebatur à quibusdam Græcis; qua de re ille scribens ad Dardan. epist. 129. subdit, *tamen nos vtraque suscipimus*. Iam nunc ergo ex Canone Concilij Carthagin. tertij, & Romani sub Gelasio, & nouissimè Tridentini sub anathemate præscribentis, constat esse hanc epistolam Canonicam Scripturam.

Obijciunt quasi menda; quod cap. 1. applicetur Christo illud 2. Reg. 7. v. 14. dictum de Salomone à Deo *Ego ero illi in patrem &c.* quod cap. 6. dicatur, *impossibile est renouari ad pœnitentiam*; quod cap. 9. scribatur, fuisse in Arca etiam vrnam mannæ, & virgam Aaron; atqui 3. Re. 8. solę tabulæ Diuinæ legis ibi fuisse referuntur; quod item cap. 9. scribatur ex 24. Exo. *Sanguis Testamenti*, cum in hebræo sit *sanguis pacti*. Resp. Multa dicta de Salomone sunt allegoriæ de Christo. Quod si Paulus Gal. 4. v. 24. potuit argumentum struere ex allegoria duorum filiorum Abrahæ, etiam nunc potuit ex allegoria Salomonis; eo maximè quod aliqua præominata Salomoni sunt verificata solum in Christo, vt illud psal. 71. *Dominabitur à mari vsque ad mare &c.* Quoad arcam; solæ Tabulæ erant intus, & illa alia erant propè; ideoq; dicuntur fuisse in arca; quo sensu etiam Pentateuchi librum iussit Deus reponi in arca; quare ait Moses Leuitis Deut. 31. v. 26. *Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini.*

Illud *Impossibile est eos &c.* idem est ac valde difficile; qua phrasi ait Christus Matth. 12. blasphemiam in Spiritum Sanctum non remitti, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Illud denique Verbum *Testamenti* idem sonat quod *fœderis*, seu *pacti*; vnde & Arca fœderis dicitur arca Testamenti, quo item modo exponunt vbique LXX eam vocem *Berith*.

Manet nunc alter punctus de authore. Diuus Hieron. in prol. apud Bibl. Reg. refert Tertullianum tribuentem hanc Epistolam Barnabę, alios autem, vel Lucæ Euangelistæ, vel Clementi Papæ, ac lepidè subdit. *Quibus respondendum est, si propterea Pauli non erit, quia eius non habet nomen; ergo nec alicuius erit, quia nullius nomine intitulatur*. Nil ergo valet obiectio, quod in hac Epistola non sit nomen Pauli; porrò cur id præter morem egerit, respondet Hieron. *Quoniam apud Hebræorum Ecclesiam quasi destructor legis habebatur, voluit tacito nomine reddere rationem, nè odium nominis in fronte vtilitatem excluderet lectionis*; quo pacto non semel sunt editi libri absque nomine authoris. Nec valet quidquam obiectio ex diuersitate styli huius à reliquis Pauli epistolis; id enim in causa habet, quod aliæ græcè, hæc autem hebraicè materna lingua prodijt, in qua eruditissimus erat; cuius comparatione erat in græco, vt fatetur 2. Cor. 11. v. 6. *imperitus sermone*. Obijciunt. Magdeburgenses apertè mendaces, quod veteres de hac Epistola dubitauerunt. At quid si aliquis nondum satis publicato integro Canone? Num dubitauit Hieronymus epi. 129. & Prol. & Catalogo? Num hic non est inter

vete-

:teres censendus? Sed prætereà eam citant, & sub Pauli nomine Clemens lexandrinus apud Euseb.6. hist.11.& Dionysius Areop.epist.ad Titum, : Nazianzenus carm. de can.Scrip.Hilar.11.Trin.Ambro.2.de Cain.cap.2. .ug. de doctri. Christ. cap.8. & alij.

Demum vt de Epistola hac Paulina, quam & adhibet Ecclesia in Missa Natiuitatis, dicamus; ea tractat de Excellentia Noui Testamenti præ vetei, deque Christi Sacerdotio in immensum distante supra Aronicum; estque Conclusio. Deus nullo tempore statuit salutem in nudis operibus legis 'eteris, sed in interiori Fide in Christum, cuius solius Gratia est fons nostræ salutis. Hinc pergit Paulus ostendere, veteres patriarchas Fide in Christum saluatos.

§.65. *Epistola Iacobi*.

IN Biblijs latinis ante Diuum Hieron.ponebantur primo loco post Epistolas Pauli Epistolæ Petri, at iuxta Græcam dispositionem ordinauit Hieron. modo,quo habemus,qui & scribit in prol.*sicut Euangelistas dudū ad veritatis lineam correximus, ita has proprio ordini Deo iuuante reddidimus*; sed & editionem propriam, vt prænotaui superiùs, e græco ipse cudit. Prima ergo Catholicarum nuncupatarum est epistola Iacobi, quę item contradictores habuit de authoritate, deque authore. Dubitauit de eius canonica authoritate Caietanus; at impudenter negauit absolutè Lutherus, cum quo Kemnitius, Brentius, Centuriatores, quorum nullius ponderis obiectiones refellit Bellarminus l.1. de Verbo Dei cap.18. Est ergo de Fide, hanc, vt & reliquas, & omnes libros in Canone Concilij Tridentini esse Canonicam Scripturam;siquidem & declaratum à Concilio sub interminatione anathematis.

Quo ad authorem; putauit Flauius Lucius Dexter, fuisse Iacobum Maiorem, idque tenent multi Scriptores Hispani, quos refert Sylueira Resol. 5. qu.16. at optimè contra hos objicit communem sententiam Sanctorum Patrum; & insinuationem Concilij Trid. sess.14. cap.1. vbi testimonium de extrema vnctione hinc petitum asseritur tamquam Iacobi fratris Domini; porrò communis acceptio Ecclesiæ sub nomine Iacobi fratris Domini intendit de Iacobo Minore, qui iuxta Diuum Hieron. in Catal. sic est appellatus, eo quod natus de Maria sorore Deipare vxore Cleophæ, seu Alphæi. Ergo,vt habet Hieronymus,hæc Epistola authorem habet Iacobum Minorem Apostolum,qui statim post Passionem Domini ab Apostolis factus est Episcopus Ierosolymæ.In hac exhortatur ad opera bona,& patientiam; estque Conclusio. Deus coronat non mera nomina Christianitatis,sed opera, & passiones in vera Fide.

§.56. *Epistola prima Petri*.

HIc est Simon filius Ioannis, seù Ionę Galilæus e vico Bethsaidæ, appellatus à Christo Petrus,& Vicarius cōstitutus,ac Princeps Apostolorum. In hac Epistola missa ad Christianos ex Iudaismo conuersos, ac sparsos per Prouincias Asię Minoris, & data Romæ, quam Vrbem appellat Baby-

Babylonem, ac missa per Silam, seu Silanum; celebrat admirabile Christi Redemptoris, & supremi Pontificis beneficium; estque Conclusio. Deus infinito amore amat animas nostras.

§.67. *Epistola secunda Petri.*

Tempore Diui Hieron. erant aliqui negantes, hanc esse Petri Epistolã, idque ob styli cum priore dissonantiam, vt ille habet in Catal. at maiori temeritate contra, & Patres, & totam per tot sæcula Ecclesiam, repetiuere Erasmus, Lutherus, & alij nouatores. Vtique non tanta styli est distantia, vt conuincat alienam à Petro. Quanta autem est; inde prouenit, quod sicuti Paulus habuit Titum interpretem, ita Petrus Marcum, vtpote natione hebræi indigebant gnaris hebraicæ græcęque simul linguarum, vt suos possent græcè sensus exprimere. Igitur Petrus in priore Epistola vsus est Marco, vt indicat Diuus Hieron. qu.11. Edib. in hac autem altera alio interprete, quem Glauciam scribit Clemens Alexand.7.Strom. Contra hæreticos Simonianos est data à Petro iam proximè martyrizando; qui & in hac demum agit de vltimo tremendo Iudicio, sicque optimus Pastor salutari memoria dat ouibus vltimum vale; estque Conclusio. Deus Iudex iustus est semper præ oculis habendus.

§.68. *Epistola prima Ioannis.*

Esse Canonicam, & à Ioanne Euangelista scriptam nemo dubitat, exceptis modernis Arianis Transyluaniæ; qui eam abijciunt, eo quod præclarè Trinitatem prædicet. Prodierant æuo Sancti Ioannis duę hæreses, Ebionis negantis diuinitatem Christi, ac Basilidis negantis veram Christi humanitatem. Sicut ergo contra Ebionem scripsit Ioannes Euangelium, ita paulò ante, vt puto contra Basilidem hanc Epistolam; quam ad Christianos in Parthis degẽtes directam tenent multi, in quibus D.Aug.cap.39.de quęst. Euang. eiusque vbique Charitatem commemorantis est Conclusio. Deus Charitate delectatur, quam certè summam exigit assumptio nostræ naturæ.

§.69. *Epistola secunda Ioannis.*

De huius, ac sequentis authore dubitant, Erasmus, & Caiet. eo quod olim quoque sit dubitatum, vt refert Diuus Hieron. in catal. quippe non Ioannis Apostoli, sed alterius Presbyteri, qui item Ephesi decessit, esse putant. Sed iam certum est, has quoque posteriores Epistolas esse Ioannis Apostoli, vt scribit Hieron. ad Euagr. epi.85. & maximè quia canon Tridentinus habet, *Ioannis Apostoli tres*. Hanc secundam scribit matronæ nomine Electæ sorori item alterius Electæ. Istam, cui directa est epistola, Drusiam appellat Lucius Dexter ad ann.100. & vt colligo ex textu, videtur scripta Ephesi, vbi redux de exilio reperit illius filios sanctè agentes, itemq; filios Electę sororis, quę putatur Ephesi Diaconissa. Cum autem sequens tertia epistola Caio directa habeat eamdem clausulam, de breuitate epistolari ob proximè futuram personæ præsentiam, congruit putare simul datas ambas in eumdem locum, videlicet Corynthum. Hic itaq; laudatur Electæ

Co-

rinthi Diaconissæ charitas, estq; Conclusio. Deus in operibus Charitatis
nplacet.

§.70. *Epistola tertia Ioannis.*

St ad Caium natione Hispanum teste Lucio Dextro; at Romanum
, tertiumque Mediolani Episcopum scribit Onuphrius ad an.114. Ba-
zatus fuerat à Diuo Paulo; si est ille, de quo 1.Cor.1.v.14. *Neminē vestrum*
ntizaui nisi Crispum, & Caium; & Corintho scribens ad Romanos cap.16.
3. *Caius hospes meus.* Diues ergo erat, ac pius, & vt videtur natione po-
s Corinthius. Laudat ergo Ioannes eius hospitalitatem hac epistola; quæ
:st synchrona præcedentis, videtur scripta statim in eius aduentu ab exi-
Ephesū; ex quo sequitur, post Apocalypsim scriptas esse epistolas has tres
)anne, ac demum ab eo Euangelium, quod & sit vltima edita Canoni-
ım Scripturarum. In hac autem epistola, contra inhospitalem, & schis-
ticum Diotrephem minaci, est Conclusio. Deus hostes Charitatis
ıet exosos.

§.71. *Epistola Iudæ.*

HIc alio nomine Thaddæus Apostolus, frater Iacobi Minoris appella-
tus est, Matth. 10. ver. 3. sed à Diuo Ioanne Chrysost. in 10. Mat.
bęus. De eius Epistolæ authoritate dubitauit Caiet. at fronte præfracta
:iunt eam, Lutherus, Brentius, & alij hæretici; puerilibus vtique moti-
Quod non se nominet Apostolum; quod Thaddæus Persis prædicauit,
)que scripsisset Persicè, non Græcè; quod narretur altercatio Diaboli cū
haele de Mosis corpore, quæ res nullibi legitur; quod proferatur testi-
ıium Enoch, cuius liber est apochryphus. At quorsum hæc? Etiam Pau-
.d Philemonem, & alibi non se nominat Apostolum; neque Ioannes in
ıa trium Epistolarum. Item Paulus scribens Romanis, non latinè, sed
è scripsit; erat quippe lingua Greca tunc vbique litteratorum idioma,
)te qua extanbant libri Philosophorum, & libri etiam Scripturę à LXX
ıersi, nec non & Euangelium græcè editum, vt diximus.
uod obijcitur de contentione Michaelis & Diaboli, facilè soluitur. In-
.ngelos bonos, & malos esse pugnā voluntatum, non est dubium; neq;
ı voluntates illę consentiunt. Legimus prælium in Apoc.12.v.7.& Tob.
.à Raphaele ligatum dæmonium. Itaq; corpus Mosis occulto sepulchro
ıitùs seruatum Deut.34. v.6. voluisset Diabolus patefacere, vt Israeli-
l idolatriam eius induceret; id autem nolebat, resistebatque Michael
)nus Ecclesiæ fidelium Dan.10. Demum quod citetur Enoch, nil ob-
:enim sententia de Iudicio finali, quam prædicauerat ille, & traditio-
stodiebatur, nunc à Thaddæo citatur; non autem liber Enoch. Cæ-
ı hæc Epistola est veluti epilogus moralis Scripturę de cunctis virtuti-
ımmatim perstringens, estque Conclusio. Deus in Christiano exigit
s virtutes.

§.72. *Apocalypsis.*

ELogium declamat Hieronymus epi.103. *Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis. Laus omnis inferior est; in verbis singulis multiplices latent intelligentie.* Ex tanto maximi Doctoris tot sæculis annoso testimonio, cui accinit & aliorum Patrum antiquitas tota, patet; quanta sit vecordia Lutheri e Canone abijcientis Apocalypsim. Nec minus liquet ex eius instantia temeritas;etenim obijcit, quod nil in hoc libro præcipiatur, cum tamen in exordio cap.1.v.3.dicatur beatus *qui seruat* hic scripta. At numquid cap.2.non præcipitur *Angelo Ephesi*, Episcopo videlicet Ephesino Timotheo v.5. *age pœnitentiam, & prima opera fac*? Nonne *Angelo Smyrnæ* Polycarpo dicitur *esto fidelis vsque ad mortem*? Nonne *Angelo Pergami* Papiæ *similiter pœnitentiam age*? Nonne *Angelo Thyatiræ* Carpo *id quod habetis tenete*? Nunquid cap.3. non dicitur *Angelo Sardis* Melitoni, *in mente habe qualiter acceperis &c.* Et *Angelo Philadelphiæ* Quadrato *tene quod habes*? demum *Angelo Laodiciæ* Sagari *inunge oculos tuos, vt videas*?

Quo ad huius libri authorem fuit aliqua dubitatio; nam in textu græco inscribitur *Ioannis Theologi.* Quare Dionysius Alexand.hunc putauit vnum è discipulis Christi non Apostolum. At græcus in Bibl. Reg.habet Theologum quidem, sed & Apostolum; ac profectò Ioannem Apostolum fuisse cognominatum Theologum, optimè colligit Baron.ex litteris Euodij, & Dionysij Areopagitę;atque ita Canon Tridentinus habet *Apocalypsis Ioannis Apostoli.* Liber est prophetalis prænuntians obuentura Ecclesiæ,maximè in fine sæculorum; vnde, & deniq;terminatur in Aeterna Beatitudine. Instar Ezechielis narrat visiones ænigmaticas, nec minùs profunda sunt verba; quare inquit Diuus Hieron. epi.148.ad Marcellam; *De Enoch, & Elia quos venturos Apocalypsis refert, non est istius temporis disputatio, cum omnis ille liber spiritualiter intelligendus sit.* Cæterum Sacrosancta Dei Optimi Scriptura iam complens perfectum circulum, & Finem iungens Principio, illud spei, Charitatis, & Fidei docet vltimò suspirium postremis verbis Apocalypsis; *Veni Domine Iesu.* Et hęc est Conclusionum Conclusio;

SOLI DEO GLORIA.



TRA-

TRACTATVS TERTIVS

SACRI ECCLESIASTÆ METHODVS

Ex Didaco Stella, & Francisco Panigarola.

Seraphicam Pacem Euangelizantibus

Prælibata elementaria Fratris Octauij Iadertini.



AGNVM Oratorem esse, est magnum Oratorem videri, aiebat Quintilianus. At quidem videri videntibus, non autem in delirio cæcè arbitrantibus. Minimè nescio generalem illam expostulationem, qua & Hieronymus queritur epist. 26. ad Pammach. *Fælices, inquit Fabius, essent artes, si de illis soli artifices iudicarent. Poetam non potest nosse, nisi qui versus potest struere. Philosophos non intelligit, nisi qui scit dogmatum varietates. Manufacta, & oculis patentia magis probant artifices. Nostra quam dura sit necessitas, hinc potes animaduertere, quod vulgi standum est iudicio; & ille in turba metuendus, quem cum videris solum, despicias.* Verumtamen cordatus Christi minister, dispensator fidelis, & villicus vtilis, non sibi, sed Deo satagens, nec tam videri bonus Prædicator, quam esse malens, despiciet omne Mundi præiudicium, profectò beatus, si filiæ Babylonis paruulos propriæ existimationis cogitatus allidat ad petram, quæ Christus est. Apostolicus Euangelizator se supra se attollat oportet, si Pauli Philosophiam de tertij Cœli schola participare gestiat; quę tanto Stoica firmior est, quantò sublimior. Dum tamen laudes, & opiniones humanas arbitratur, vt stercora, lucrifacturus sibi Christum, & Christo proximos; nè proindè putet, Euangelicam Prædicatoris humilitatem quamdam esse sanctam rusticitatem; & seminatorem Verbi Dei esse absque cultura, & arte agrestem seminiverbium.

Quemadmodum Theologia est subtilitatum apex, ità & prędicatio sacra vertex est purioris eloquentiæ; quapropter exactissimam artificij normam exigit, quo fabulam feras cicurantis Orphei, ac Amphionis saxa trahentis cantu in ædificium Thebarum, vertat in veritatem, belluinos peccatores conuertendi, & saxea corda in Ierosolymæ Cœlestis trahendi compaginem. Desines ergo lectissimè Lector demirari, si per obedientiam mei Præsulis, & Patris adactus, tractatulum edere nostris iunioribus de Concione Euāgelica informatiuum, eò me consilij expediam è perplexitate non modica; vt duo egregiorum virorum opuscula exhibeam, quæ si tyronibus explanaris, & exercitio colere docueris, intentum fæliciter assequare. Vt enim & eorum deferam in Arte Magistrorum merito, & meo caueam periculo, &

Vt ergo frugem, nec verò tenuem ex hisce colligas; distinguito, quæ .nctis perorandi modis congruunt, eaque disce veluti communes regu-s; & secernito speciales eas, quas in hoc determinato Didascalico gene-adhibeas. Ita fiet, vt & Didascalicum percalleas, quod in sequenti ver-iculo tractatu intactum omisit Panigarola; & communes theoriæ, ac re-ılæ huius statim præmittendi Stellæ suffragentur alteri generi Oratorio unigarolæ, quas item prætermisit. Nec verò negligas prænotata quatuor-cim capitula Didaci Stellæ de genere Didascalico; in his etenim exqui-am concipies methodum, tuo adhibito ingenio, ad construendas ve-ertinas lectiones Sacræ Scripturæ. Istæ siquidem nec æquè prosunt, nec uè placent, si in vnico themate versentur, quasi nil differendo à matu-a Concione; ac si longiorem, & plurium partium textum enarres Dida-.licè, interrumpens aptis digressionibus, & oportuno loco repræhensioni-s; quod sanè meo testor experimento, dum quadriennio Venetijs ad S. ıncisum de Vineis, & Romę biennio olim ad Aram-Celi pro meo mo-lo Lecturam agerem Sacræ Scripturæ. Hæc duxi paucula te monendum, fructuosè libro Stellæ vtare.

Nota ad librum Francisci Panigarolæ.

Pse iam se primo capitulo explicat, agere velle de genere Concionis, non Didascalico, ideòque optimè obuius præcucurrit pro hoc libellus daci Stellæ, vt nil vltra superfit, quod desideres pro cuiuscumque Con-nis praxi; & maximè si conferas paucula quædam, quæ etiam pro Di-calico præscribit Panigarola cap. secundo, sed reducens pro viribus ad atorium. Vt cernis, caput tertium est de præparanda, seu colligenda ncionis materia; quartum autem de ipsa discernenda aptè, atque præ-nda futuris partibus Concionis; & quo ad hęc nil offendis, quo deci-offis. At pro quinto capitulo, vbi de introductione agitur, te volo ad-iitum, Introductionis nomine modernioribus accipi Prologum, the-e Euangelico prolato, incipientem, seu Concionis exordium; at Pa-arola pro more sui temporis geminum vsurpat ingressum; primum qui-ı ab eo dictum cap. vndecimo Prologulum, post quem solebant saluta-em Angelicam inclinare Deiparæ; alterum verò statim posthac proce-tem continuatè ad argumenta Concionis, vt videre potes in Concio-ıs eiusdem Panigarolę, Cornelij Mussi, & aliorum eius æui. Itaque ıorato quinto capite intellige Introductionem, non Prologum, sed pri-n primæ partis Concionis, veluti narrationem; quæ videlicet propo-explicatiùs obiectum ipsum Concionis, quod iam in Prologo, seu exor-præmissum sit, sed complicatè.

Quoniam autem hoc quinto capite ostenditur argumenti structura, vt vi-cet oratoriè, arte Rhetorica formetur, seu Syllogismus, seu Enthime-, cuius inferens est ipsa, de qua loquitur, Introductio, illata autem ıclusio est ipsum obiectum totius Concionis; supponit Panigarola pro ffenda rectè introductione, fontes introductionum, esse, quos Logici appel-

appellant loca Topica; quapropter facilitatis gratia deno isthic numero adnotentur. Definitio, Ethimologia nominis, Diuisio partium obiecti, Circumstantiæ adiunctę, Contraria, Causæ, effectusque, Similitudines, Comparationes cum maioribus, minoribusuè, Authoritas, Exemlpum. Vbicumq; indiges Introductione sermonis, ad hos fontes recurre, statimque horum aliquis prębebit, quod optas, & ad quod immediatè consequatur intenta conclusio.

Caput sextum nil exigit præmonitionis; at septimum supersedere tantisper cogit. In eo pollicetur Tractatum de Elocutione, quem præsenti libello non subnectit; neque discerno, an de egregio suo illo Commentario in Demetrium Phalereum sentiat; an verò prætermiserit breuem summulam huic Epitomati practicę adiungere, si tamen cogitauerat edere. Quod mea igitur attinet, breuibus tibi satisfactum spero. In primis quoad tropos locutionum, & figuras, prælibatum est satis pro Euangelico Oratore ex ipsa S.Scriptura in tractatu præcedēti Exam.9.qu.7.& 8. Quoad stylū loquendi, scis hunc esse triplicem; videlicèt, sublimem, mediocrem, humilem; & sublimis quidem habet exclamationes, interrogationes vehementes, obsecrationes, execrationes, aliasuè turgidas figuras; stylus autem mediocris admittit sententias, troposque, vt metaphoras, & alia ornamenta; denique humilis familiari sermoni, aut epistolari conuenit, & Concioni simplici. Quilibet autem in eadem Concione potest coincidere; nam stylo mediocri fiunt exordia ornatè, stylo sublimi concitantur affectus, & fiunt amplificationes. Est autem teste Isocrate Amplificatio *Ars, qua ex paruis magna fiant*; nimirum vbi res, intra veritatis fines, decenti tumet ornamento. Id autem tunc maximè fit, quando explicantur subiecti, aut prædicati partes, vel circumstantiæ, versiculo eo familiari enumeratæ; *Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.*

His paucis aduertentijs complanatus, apertusque trames est in librum Panigarolæ, nam reliqua capita ab octauo, & deinceps nil habent lubricitatis, excepto vndecimo, de quo iam præmonui dimissam præsertim in Italia consuetudinem Prologuli, & vsui esse longiorem Prologum, qui sit introductorius obiecti examinandi, quocumque id modo fiat. Sed tandem, ne vspiam desim seruitio meis constudiosis, breuem veluti synopsim totius Artis Concionatoriæ hic perstringo, adiuncta etiam aliquantula Theoria.

Hypomnematica Summula Sacri Concionatoris.

Ars artium est quidem Rhetorica iure potiori, quam id prolatum sit de Logica; & præsertim Rhetorica Euangelica; vbi & planè euangelizantis Theologi doctrina est Scientia scientiarum. *Rhetorica est facultas, inueniendi, quid in quaque re sit ad persuadendum accommodatum.* Obiectum Rhetoricę est argumentum, seù oratio animum mouens ad affectus. Hinc finis Rhetoris est mouere; ad id porrò necessarium est, docere, & delectare; illud quidem ad exponendam veritatem, istud autem ad tollendum tadiū

nnemque auersionem; vt Doctrinæ pharmacus de aurato libentius vase batur. Confert Aristoteles 1. Topic. Oratorem Medico; vt enim non nper Medicus sanat, sic & quandoque Orator non persuadet;veruntamen satis esto, si damnum sit,non de imperitia agentis, sed de patientis mali-. Rhetorices origo ab Arist. refertur ad Prometheum, ideo dictum cendisse in Cœlum, & à Ioue impetrasse, vt Mercurius demitteretur in rras. Cicero ab vrbium conditoribus hoc petit initium, vtpote vi loque-trahentibus homines in consortium;' idque adumbrauit fabula Amphio- saxa trahentis. Gymnasia Rhetorices aperuisse primum Syracusis Co-cem, & Cresiam, scribit Volaterranus; Gorgiam verò Leontinum ex Ita- hanc artem aduexisse Athenas, vbi discipulum habuit Isocratem; in cu- æmulationem Aristoteles pomeridianas horas tali studio dabat, in-iens; *Turpe est, Isocratem loqui, & Aristotelem tacere*.

Viæ ad eloquentiam sunt, Natura, Ars, Exercitatio. Prima vtique Natu-a, siquidem, vt ait Cicero lib. de offi. *Nihil decet inuita Minerua, idest ugnante Natura*. Mox autem hæc arte formatur, nam teste Philosopho, tura absque arte in loquente, veluti fortuitò se habet. Exercitatio de-m perficit artem; quapropter illud ferè auditur de triuio, *Vsus te plura ebit*. Imitatio, si non affectata sit, prodest non leuiter nouellis, ne va-itur in inuio; quare inquit Clemens Alexandrinus, *Alius ex alio doctus, n, & nunc*. Nec dedecet etiam prouectos, si compilatores, non depilato- agant; quamuis etiam Tullius *Rex Oratorum*, vt appellat D.Hieron. l. trad. hebr. repetuandarum accusetur à Græcis; quod videlicet, à De-sthene, Platone, Aristotele surripuerit. Virgilius item, cum quosdam sus Homeri transtulisset ad Verbum, oblatrantibus inquit, *Magnarum virium, Herculi clauam extorquere de manu*;vt refert idem Hieronymus.

Genera causarum, seu argumenta dicendi tria sunt; Demonstratiuum, od laudat, vel vituperat; Deliberatiuum, quod suadet, vel dissuadet; Iu-ale, quod defendit, vel accusat. Primi generis sunt Panegyres, secundi iciones, tertij Declamationes, seu controuersiæ. Verumtamen admonet stoteles 1.Rhet. plerumq; permisceri hæc dicendi genera in vna eadem tione. Siquidem ex occatione laudandi Sanctum aliquem possum, & sare suos persecutores, & persuadere auditori imitationem illius virtu-; itemque volens excitare ad aliquam virtutem; patet campus laudatio-demonstratiuæ huius virtutis.

ctiones Rhetorici sunt quinque; tres quidem interiores, Inuentio, Di-itio, Elocutio; duę verò exteriores,Scriptio, & Recitatio. His adde s, tamquam limites, Intentionem, veluti principium,Executionem, ti finem; & habes numerum septenarium luminis supra candelabrum cclesia fulgentis; de quo ne te pigeat, breuium aliquot Canonum re-isci, quos infra recensebo. Sed præliminio est aliquid adhuc adnotan-. Quatuor habet partes Oratio; suntque, Exordium, Narratio,Confir-io, Peroratio; quarum prima insinuat,mediæ docent,extrema dat com-

ple-

plementum, & commouet. De his etiam in Scriptura Sacra compertis, ita Hieronymus ad Paulam Vrbicam Epi.155. *licèt Apostolus sępè proponat, assumat, confirmet, atque concludat; quæ propriè artis Dialecticæ sunt*. Similia habet epi.103. de lib. Iob; vt notaui in Prologo Galeato §.20.

Exordij est proponere, & vt inquit Aristoteles 3.Rhet.14. *Prohæmij proprium munus finem orationis aperire*. Id verò ita, vt reddatur auditor, beneuolus, docilis, attentus. Beneuolentiam extorquet verecundia, qua monstretur erga auditorium existimatio; Docilitatem parit clara argumenti positio pertractandi; Attentionem excitat eiusdem pondus, vel nouitas. Narrationis munus est assumere; & in genere quidem Exornatiuo, seù Demonstratiuo tota Cōcione durat, vel potiori parte narratio; in Deliberatiuo autē, & Iudiciali est narratiua quælibet principalis probatio; sed in Iudiciali prætérea est principalis narratio plana, & dilucida hypotiposis, seu expositio rei, quæ probationibus est, vel firmanda, vel euertenda. Confirmatio locum non habet in Demonstratiuo, seù Exornatiuo, quod solummodo ornatè narrat; in Deliberatiuo autem, & Iudiciali idem est confirmatio, quod obiectionum reiectio, vel superadditio probationum, quibus videlicet primi argumenti fides augeatur; ad quæ artificiosè transitur, ne strues incompacta potiùs appareat, quam ratiocinij structura. Demum conclusio, quam Perorationem appellant, est Finis, & extrema pars, in qua potissimùm cura est, ad concitandos auditoris affectus; vt videlicet, vi rationis, & orationis commotus in illum voluntatis actum se inclinet, quem pro scopo habuit oratio tota. Sed iam in Canones digesta elucescet sufficiens eruditio Concionatori nouello, quem obseruationum mole non grauabo, memor Senecæ epi.38. dicentis; *Paucis opus est, & efficacibus*.

§.1. *De Intentione*,

Finis Ecclesiastici muneris cordi hæreat, quippe à Fine Principium est operi humano. Finem vltimum semper, vbique, & summè intendat Concionator solius Dei Gloriā. Ex hoc pendet finis proximior, salus animarum; pro quibus vtique flagrabis, si seraphicus fueris.

Ante omnia præfige tibi scopum Concionis; de quo nimirum subiecto sis verba facturus. Hoc autem studiosè meditare; vt omnes eius, seù partes, seù proprietates prænoscas, & quodammodò compræhendas; atque ita præscribito iter, antequam incipias; quodnam, videlicet, vel quęnam prædicata sis de eo subiecto enunciaturus. Dicam cum D.Hieron. ad Nepotia. epi.2. *Disce quod doceas*; nam vt idem ait alibi, *Quæ benè scimus, benè & loquimur*.

Præstitue item fructum, quem è tua cultura colligas de tui agro auditorij; quem videlicet affectum per aures possis in cor imprimere. Absit autem, vt quidpiam tibi suffureris, & non totum offeras Patrifamilias. Audi Hieronymum Nepotiani Sacerdotis instructorem; *Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur; lachrymæ audientium laudes tuæ sint*. Affectus animæ ad quatèrnarium rediguntur, ceù elementa præsentis vitæ. De

bono

ono certo est amor, seù velle: de malo certo est odium, seù nolle; de bono
ossibili non certo spes est: de malo item incerto, sed possibili timor. Alij
ox riuuli de his profluunt; reuerentia, vilipendium, stupor, excandescen-
ı &c. Iam verò aliquid horum expete, quod expectes; præsertim in Pero-
tione; qui proprius est locus, vbi moueatur auditor ad aliquem affectum.
Qualis congruat sermoni affectus procurandus, ipsi obiecti natura præfa-
et; quapropter eo perfectior euadet Oratio, quo limpidior, & plenior
accesserit obiecti appræhensio. Hinc illud Hieron. apolo. ad Pamma. ep.
. ex Tullio, & Antonio magnis Oratoribus; *Primam causam esse victoriæ,*
'igenter causam, pro qua dicturus es, discere.

Nulla te detrahentium formido retrahat ab Euangelico tramite; nec ve-
placiturus hominibus displicere Deo. Ismeniæ tibicinis egregij, sed mi-
s libenter auditi, nec tamen desistentis, erat in hoc dicto tranquillitas:
ibi, & Musis cano. Tua erit multo maior in Testamento Domini stabilitas
c Verbi magistri verbo; *Ego gloriam meam non quæro; est qui quærat, &*
'icet. Reliquum, semper erit duplex hominum chorus; & vel in Areopa-
quopiam ea scena præ oculis Pauli act. 18. *Quidam quidem irridebant,*
dam verò viri crediderunt. Sed quid? Inquiet Hieron. epi. 99. ad Asel. *Par*
i refertur, & inuicem nobis videmur insanire.

Axiomatum axioma in omnibus, seù inuentione obiecti, seù ornatu, seù
latione, seù alio quouis, hoc esto; quod ex Tullio notat Hieron. epi. 83.
Ocean. *Caput artis est, decere quod facias.*

§. 2. *De Inuentione,*

Ræparandum est diligenter, & secernendum, quid sis prolaturus; nec
omniscius, & ingenium in numerato habens videri velis. Gorgiam
ntinum cuncti Philosophi, & Oratores lacerant, quod ausus sit publicè
posita, polliceri responsurum se, de qua quisque re interrogare voluis-
vt refert Hieron. ad Pamma. epi. 61. vbi & lepidum narrat, quod se-
ıti monito subijcio.

Quidquid es dicturus aspiciat sermonis obiectum, vt peripheria centrum;
obueniat, quod è veteri historia narrat Hieronymus. Quidam cum di-
diceret; ferreturque impetu, ac volubilitate verborum, causamque
ninò non tangeret; prudens auditor, & Iudex; *Benè, inquit, benè, sed*
stud tam benè?

ıematis, idest, obiecti discurrendi inuentio, vel prædefinita est à iuben-
vel si tibi liberum est eligere, opportunè prodibit ex aliquo præsenti
uo, seù festi, seù euentus, seù currentis Euangelij in Quadragesima &c.
oq; perfectior erit, quanto indiuiduæ tunc occasioni, vel rerum statui
rentior.

ıoniam veritas vna est eadem semper ab antiquo, palatus autem inge-
m fastidit optimum panem, quia quotidianum, optatque Marci panes
j; aliqua ex parte indulgendum est corrupto sæculo, ne fiat corruptis-
n. Curato igitur materias practicas, & morum formatiuas tractare;

 sed

ſed auditoris nauſeam tollere, vtilitati addens nouitatem, vt ſic proſit, & placeat. Id fiet, non quidem exorbitantibus paradoxis, ſed triuialibus veritatibus, attamen aliquo nouo modo exprimendi, veluti mutata veſte in theatrum venientibus. Aliter vtique ſonat hæc propoſitio; Exorandus eſt Deus; aliter hæc ei æquipollens; Precibus, ac ſuſpirijs expugnanda ſunt Cœli mœnia. Id ipſum aliter propones inquirens; num poſſit impotens triumphare de omnipotente. Audi ad hanc rem, quod de alia ſcribit Hieron. ad Euagr. ep.85. *Omne quod rarum eſt, plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere pretioſius eſt.*

Genus Argumentorum eſt in tribus libris, Naturæ, Scripturæ Diuinæ, atque humanæ litteraturæ. Primus quidem tantus eſt, vt dixerit Hermes Trimegiſtus, *Liber eſt hic Mundus Diuinitate plenus*; & parens Anachoretarum Antonius perquiſitus, quomodo abſque libris degeret in ſolitudine, reſpondit; ſe præ oculis perpetim habere apertum Vniuerſi volumen. Maximè autem ſis gnarus oportet vitæ mundanorum, vt ſanus medicus ægritudinum peritus. Liber autem Scripturæ Diuinæ eſt, de quo Hieron. ad Ruſticum Monachum epi. 4. magis autem ad vnumquemque Prędicatorem, *Nunquam de manu, & oculis tuis recedat liber.* Si tota componatur Concio è Sacris Scripturis, erit perfectiſſima, vtpote verbum Dei tota. Hic modus patet optimus exemplo Doctiſſimorum Sanctorum Patrum, ſolam ferè ſcripturæ eruditionem admittentium in ſuis ad Populum ſermonibus. Quod ſi placeat, timidum imitari chamęleontem, & colorem temporis induere, deque ſeculari aliquid condimento inſpergere; non recenſebo apothecarum in Authoribus nomina; quia & quandoque in centum deſiderabis, quod non reperias; & plerumque in quouis obuio ſano, & erudito inuenies, quod poſſis in tuum corriuare ſermonem.

Organum Inuentionis, ſeù ad paranda argumenta, ſeù ad amplificanda, eſſe diuiſionem, docet Ariſtoteles; qui & 10. Moral. teſtatur, *Non eſt imperita multitudinis benè diſtinguere.* In genere exornatiuo diuiſio eſt in laudabilia aliena, puta parentum, vel patriæ; & propria, eaque triplicia, ante mortem, in morte, poſt mortem. In genere Iudiciali oritur diuiſio argumentorum ex cauſa ipſa, quatenus habet multas partes, vel ſaltem circumſtantias. In deliberatiuo habet perſuaſio motiuum duplex, mali quod vitatur, & boni, quod acquiritur; itemque diſſuaſio habet motiuum, boni quod amittitur, & mali quod contrahitur. Sed vide, vt conſequens antecedenti congruat; nimirum de ſingulari virtute agens, aut vitio, proferas non ſola generalia bona, aut mala, puta Gloriam, aut Gehennam, ſed particularia talis virtutis, aut vitij. Sic vbi, v.g. ſuaſurus es, Orationem Deo exhibendam, habes & propria mala obuenientia Orandi defectu, puta ſupplantationem tentationum, teporem animæ, excreſcentiam ignorantiæ; habes & propria bona prouenientia de Orationis exercitio, augmentum Diuini adiutorij, deterſionem conſcientiæ, prægustationem cœleſtis gaudij &c.

Præter libros authorum habeto tuos excerptionum palimpſeſtos; in qui-

bus

is alphabeticè seruentur, quæ casu occurrunt, & vel argumentis, vel or-
atui possunt inseruire; viuidiores præsertim Sanctorum sententiæ, conce-
usque scripturæ. Huiusmodi est opusculum illud D. Bonauenturæ habens
r suas classes dicta Sanctorum Patrum; quod pulchra metaphora titula-
t Pharetram.
Alterum illi correspondens opusculum summo vtilitatis compendio per-
cit idem Seraphicus Doctor; quod prætitulauit *Biblia Pauperum*, & ha-
tur tomo septimo, quanquā à Sixto Sen. l. 4. Bibl. adscribatur Nicolao Ha-
po Patriarchæ Ierosol. Ord. Præd. ab alijs Gulielmo Peraldo, impressus;
b titulo, *Virtutum, Vitiorumque exempla*.
Quoad inuentionem exordij; iam themate constituto, paratisque argu-
entis, prodibit exordium, vel explicando proprietates rei; de qua sumitur
etaphora, si metaphoricè instituta sit Propositio Argumenti, vt non rarò
in Exornatiuis; v.g. si ostensurus esses, Diuum Franciscum fuisse Daui-
n quinque lapidibus armatum aduersus Mundi Philistæum. Vel exornan-
aliquam propositionem generalem, è qua pendet conclusio Concionis,
æ mox consistet in probanda potiùs consequentia, quam consequente;
.si persuasurus reuerentiam Templi, exordiaris, ostendendo, vbique
um esse, & omni loco esse considerandam Dei præsentiam cum timore:
verò maximè in Templo. Tunc vtique assumptio probationum erit am-
ficatio subintellectæ minoris propositionis in enthimemate; videlicet;
um esse in Templo ne dum per Immensitatem, sed modo particulari.
A visceribus causæ dicuntur sumi Exordia, cum de præsenti consurgunt
asione; Occasio autem consideratur, vel in dicente, vel in auditore, vel
empore, loco, euentu, demum à materia tractanda exposcente tunc di-
tionem. Ipsa autem occasio amplificata dabit exordium; & facillimè, si
ranotatos fontes introductionum adeas, in quibus præter locum topi-
i Circumstantię adiunctæ, cuiusmodi est occasio, sunt etiam alij.

§. 3. *de Dispositione*.

Voniam Oratio nil aliud in proposito est, nisi ordinata quædam ver-
borum, sententiarumque congeries, apta mouere animos ad affectū
juem, vel prosecutionis, vel fugæ; patet in hoc differre ab incomposito
plici sermone, vt exercitus armis instructus ab armis destituto. Disposi-
itaque rationum, aut partium orationis est veluti castrorum ordina-
; at verò elocutio est pro armis bellicis militum. Vel si mauis philoso-
cè considerare; quemadmodum Inuentio est materię, quędam paratio,
Dispositio, vt forma substantialis, Elocutio autem forma accidentalis.
n argumentorum ergo dispositione solerter inuigilandum, vtpote de
tantia Orationis negotium est. Id autem obseruandum, vt argumenta
cipalia, quę sunt capitales probationes, ita disponantur ad inuicem, vt
naturalis eorum seruetur, illudque præcedat, à quo alterum pendet.
rò primum sit graue, multamque faciens fidem, nè sequentia sint pręc-
cata, vt leuia. Sint autem in cuneum prodeuntia, & semper crescat

Oratio , noſque ampliùs aliquid magis , magiſque addere videamur. Quod ſi adſint debilia quædam,per figuram conceſſionis , aut præteritionis intermixta , robur , aut dabunt , aut recipient .

Illud ſeruetur in finem , quod eſt capaciſſimum affectus . Enimuerò etſi commouere auditorem etiam in ipſo tractatu ſermonis non dedeceat ; locus tamen proprius affectuum eſt , vbi deſinente oratore , incipiendum eſt auditori . De affectibus totus eſt ſecundus Rhetoricorum Ariſtotelis , eſtque profectò difficilis ars , quia & delicata res. Extrahitur de cordis auditoris vena ; non tam clamore , quam ratione , quamquam & aliquando impetus irruptionem aperiat , ſi tamen peruideatur orator , veluti diuinitùs percitus feruore , non furore .

Ratio impulſiua in affectum illa erit , quæ indubitata , & clariſſima ; ac præſertim ſi apta mouere phantaſiam . Potiſſima autem via commouendi alios erit ; ſi antea teipſum permoueris, atque eumdem præconceperis affectum ; vt enim inquit Diuus Gregorius , *Niſi faces ardeant , alias non accendunt* .

§. 4. *De Elocutione* .

STylus locutionis eſt ars explicandi res verbis , quibus oportet , ac modo , quo oportet ; proinde ſumpta eſt metaphora ab inſtrumento ſcriptorio , quippè acu , ſtyloue , in ceratis tabellis exarabantur olim characteres ; vndè & earum portitores tabellarij ſunt appellati. Quemadmodum ergo non vno calamo formabis vnciales litteras , quo minutas , ita diuerſa forma eloquij congruit diuerſis orationibus : immò & vnius eiuſdem diuerſis partibus . Stylus itaque eſt Elocutio; cuius videtur pro Axiomate quadrare ſingulariter , quod vbilibet eſt attendendum communiter ; *Ne quid nimis* .

Sacra Concio ſi popularis omnino ſit , qualem poſſumus dicere Miſſionarij , vel Cathechiſtæ ; non quidem rudis , & barbara , ſed ſimplex, vtique ſuam habet venuſtatem à ſola Zeli oſtenſione ; verumtamen figuras admittit vehementiores , puta exclamationes , interrogationes, & huiuſmodi ſuis locis aptatas . Verùm vrbana Concio non obligatur illi afferto ; *Ornari res ipſa negat , contenta doceri* ; quaſi nequeat eſſe Apoſtolica , niſi incedat pedeſtris . Concionatori ſunt Scylla , & Charybdis ; hinc inornata ſimplicitas , hinc ſordidus ornatus ; & vel affectatio ſtyli Poetici , quæuis per epitheta euehentis , aut per metaphoras omnia perſonantis , & vbique figuras glomerantis ; vel oſtentatio artis , aut memoriæ ; vel obſoletarum vocum venatio ; vel puerile ſtudium , vbiuis deſcriptiunculas exquirens . Medium tenere non eſt dormitantis Palinuri; cæterum nil æquè corrigit ſtyli vitia, ac probatorum lectio Virorum , quos imitari non affectes , ſed inſenſibiliter aſſueſcas .

Exordio ſtylus mediocris , & decenter ornatus congruit ; amat autem periodum in principio . Eſt periodus plurium propoſitionum conſtructio , particula ſuſpenſiua iunctarum ; *Si, quando , quamuis, cum , tantus &c.* Hinc oritur

oritur quædam harmonia, quam vocant Numerum oratorium, & vsu potiùs, quam regula discitur. Id præcipuè monent Rhetores; cauere in periodo carmina, ne in cantionem oratio degeneret, atque in tornanda periodo vitare inutilem vocum superfluitatem.

Narratio stylum petit planum, si fiat in genere Iudiciali; rem quippè discutiendam profert in medium, breuiter, clarè, probabiliter; vt audiens recordetur, intelligat, credat. Inquit Cicero 1. de Orat. Narratio habeat, admirationis, expectationis, & singularitatis. Aliæ narrationes respiciunt ad Historias, Fabulas, & alia huiusmodi; at vbique breuitatem volunt, quæ est ipsa narrationis elegantia. Huc venit illud Hieron. ad Pammach. epi. 61. *Eiusdem eloquentiæ est, & pauca multis, & multa paucis verbis posse dicere.*

Peroratio, vt excitet affectum, stylo vtitur sublimi; qui etiam contentionibus, atque amplificationibus inseruit. Locus amplificandi est, vbicumque tui intenti pondus consistit. Fit autem amplificatio diuisione, vt dixi; quæ explicare potest, vel partes subiecti, vel partes prædicati propositionis dilatandę. Item propositio dilatatur per exempla conglobata, per conglobatas definitiones metaphoricas, per comparationes, per effectus concomitantes, per authoritatum testimonia. Hæc disces agere, vbi diù legeris ab alijs acta.

Fit Peroratio per Anacephaleosim, videlicet, recapitulando argumenta capitalia probationum; quæ repetitio, ne simpliciter fiat, ac nudè, quasi labilem suspicaremur auditoris memoriam, admonet Quintilianus. Hinc artificiosè sunt resumenda per vehementem aliquam figuram; Ironiæ, Exclamationis, Interrogationis, Apostrophes &c.

Sententiarum locus est proprius in fine argumentorum, quasi esset plausus iam progressæ rationi. Aliquando etiam vbi res profertur valdè trita, & indigens æstimationis aliunde, puta à grauitate dicendi. Sententia est dictum graue habens credibilitatis quamdam maiestatem; quod si alienum sit, rationem induit testimonij; sin verò tuum, erit solum sententia, seu conceptosa enunciatio, reddens orationis stylum grauem. Diui Paulini librum laudat Diuus Hieronymus epist. 13. & quamdam indicat optimi styli ideam. *Librum tuum, quem pro Theodosio principe prudenter ornatèque compositum transmisisti, libenter legi; & præcipuè mihi in eo subdiuisio placuit; cumque in primis partibus vincas alios, in penultimis teipsum superas. Sed & ipsum genus eloquij pressum est, & nitidum; & cum Tulliana luceat puritate, creber est in sententijs. Iacet enim, vt ait quidam, oratio, in qua tantum verba laudantur. Præterea magna est rerum consequentia, & alterum pendet ex altero. Quidquid assumpseris, vel finis superiorum, vel initium sequentium est.*

Quemadmodum orationem faciunt grauem sententiæ, ita eruditam reddunt allusiones ad historias, vel fabulas veterum; demum reddunt acutam sales quidam, quos appellant argutias; queis & plus nimio præsens delectatur ætas. Argutia est dictum quoddam acutum paucis verbis multum ingenij præferens, idque multis fit modis. Metaphora iucunda inexpectatam

tam habente analogiam; vt vbi apud Hieronymum adu. Pelag. ad Ctesiph. dicuntur *Philosophi Patriarchæ hæreticorum*. Aequiuoco industriosè prolato, vt vbi epist. 10. ad Furiam dicitur Magdalena *baptizata lacrymis suis*. Vocibus affinitatem habentibus, vt vbi epist. 51. ad Domnionem, *quod me damnant Episcopi, non est ratio, sed conspiratio*, quæ tamen argutiæ forma non debet esse frequens. Allusione ad aliquam historiam, vt dum lib. 1. adu. Iouinianum, hunc appellat *Epicurum Christianorum*. Contrapositione vocum, vt vbi lib. 2. scribit, *Verbum caro factum est, vt nos de carne transiremus in verbum*. Collusione ad nomen, vt vbi ait adu. Vigil. *Exortus est Vigilantius, sed veriùs Dormitantius*. Locutione conditionali, vt epist. 26. vbi refert Catonis adagium, *Sat citò, si sat benè*. Alijs etiam modis, quos nunc subtrahit modus breuitatis, vt superfluos, si iam allati non sufficiant.

Locus argutiarum est in narrationibus; etenim, si in amplificationibus adhiberentur, diminueret de attentione gustatio ingenij. Item vbi affectus est excitandus, absint argutiæ, sitque seriò prorsus negotium. Habent poma suum odorem, quo placeant, attrahantque etiam absque floribus.

Quoad descriptiones cauendum; nè mimicæ, nè prolixæ, nè frequentes, & maximè nè extra rem, & in nullum scopum iactæ sint frustra. Aliquem ergo finem rationabilem habeant, ac veluti necessitate exposcente proferantur. Summa artis hìc est, artem non ostentare, quin potiùs tegere. Audi Hieronymum Damaso scribentem, & summo artificio fugientem simul, & stantem in exedra eloquentiæ. *Non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec de flumine Tulliano eloquentiæ ducendus est riuulus; nec aures Quintiliani flosculis, & scholari declamatione mulcendæ. Pedestris, & quotidianæ similis, & nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ verborum compositione frondescat. Sint alij deserti, laudentur, vt volunt, & inflati buccis spumantia verba trutinent. Mihi sufficit sic loqui, vt intelligar; vt de Scripturis loquens Scripturarum imiter simplicitatem*. Totius demum elocutionis sit praxis; dum non possis album attingere ad veram normam recti sermonis; satiùs esse, simplici aperire, quam affectato infuscare Veritatem.

§. 5. *De Scriptione.*

QVod superiùs omissum est, hoc loco supplendum. Præmonere debui, duo esse genera Ecclesiasticarum Concionum; dico extra ordinem Didascalicum, seu Homiliarium, stando in vnitate obiecti comprobandi. Hæc diuersitas, de qua nunc loquor, potiùs ad inuentionem materiæ pertinet, quam ad formam dicendi, quanquam nonnihil sibi vendicent proprietatis in forma, quæ differunt in materia. Sunt itaque hæc duo genera nostro potissimùm æuo disparata, Concio discursiua, & Concio conceptualis; ista maiori ex parte constat conceptibus Sacræ Scripturę, illa promiscuè colligit materias vndequaque, etiam pro argumentis potioribus.

Conceptus Scripturæ est quoddam genus argutiæ, nempè subtilis sensus erutus è textu aliquo, seu etiam ex facto narrato in Scriptura; qui sensus

tanto

nto iucundior est, quanto rarior, & è textu frequentiùs audito, ac gra-
orem præmittit difficultatem, sed habet tamen solutionem congruam, &
n extortam; ideoque & ferè ad fidem faciendam additur alicuius Sancti
tris testimonium. Modus conceptizandi ordinarius est: sobriè descri-
re illud materiale conceptus, siue sit dictum, siue factum; postmodum
omouere, & amplificare incidentem in eo proposito difficultatem, ratio-
mque dubitandi; & denique soluere, ita vt tuum concludas propositum.
Aliquando ante solutionem dubitationis præponitur alius conceptus ei
mbolicus, sed planior, cuius solutio sternat viam præcedenti. Potest
am adhiberi humana aliqua historia, apophtegma, similitudo, aliuduè
e, quod aptum sit illustrare obscuram difficultatem excitatam, & duce-
am scripturam in tuum propositum. Vsus componendi totam Conciones
onceptibus modernus est, atq; post æuum Panigarolæ, qui & idcircò nil
hac methodo præscripsit; quāuis cæteroqui forma conceptizandi sit vetus,
anctis Patribus familiaris, etiam hoc ipso modo amplificandi difficulta-
Scripturæ, quem sępissimè cernis in homilijs Magni Papæ D. Gregorij.
Res quidem est hæc minus auri, sed menti tamen magis grata; dum
men Scripturæ miratur, & veluti de recondito Tabernaculi audit ora-
a. Accedit, quod tot sunt quasi exempla, quot conceptuosa argumen-
atqui animus exemplis valdè delectatur. Sed hoc difficultatis habet,
d nouitatem optat auditor, at verò in conceptibus deprehendit facilè
statem, si aliàs idem audierit; siquidem conceptus huiusmodi inhæret
noriæ diutiùs; ideoque & nauseat iam audita. Studium ergo tuum sit,
os extrahere sensus aliqualiter; sed vide, ne distrahas à recto. Proindè
s est prudentia, & multa Scripturarum peritia.
Quantum autem ad rem præsentem, quæ est de Concione scribenda; ty-
bus conueit, totum extensè scribere, quod sunt prolaturi; prouectis autē
disconuenit, summatim argumenta colligere; & solum prohæmium, ca-
narratiua, transitiones, sententias, argutiasuè prēmeditatas, & finem
que præscribere; cætera præmeditari dumtaxat. Hieremias Drexelius
trifod. laudat hunc modum, appellans viam mediam, atque tutissimam.
inquit, fiet; vt liberiore, cum res exigit, campo possis excurrere, &
us subitario dicendi impetu faciliùs promouere. Id verò exigit, & ha-
n rectæ quotidianæ locutionis, & profundam tui argumenti peritiam.
ocent Rhetores, Exordium esse scribendum post actam totam Oratio-
. Praxim hanc explicat Aloysius Iuglaris in Ariadne obseru. 13. de
tione; videlicet, primò statuendum tibi, quid sis propositurus, qui-
ue medijs probaturus, postmodum verò consulendum, qua pateat
s via. Hac aperta, conscribendum illicò antè cætera exordium, eique
m executionem concedendam, quippè ita meliùs connectuntur cęte-
tes. Qualitercumque fiat, exordia debent esse varia, ne languescat
tio; neuè pauescat auditor tædium, potiùs breuia, quam longa sint.
mihi via videtur aptior scribendæ Concioni, & ducens ad perfectam;
si com-

ſi complicato folio, & paginæ dimidietate dimiſſa alba, e regione ſcribas poſitiuè, & ſimplici ſtylo, ac breui, quod dumtaxat explicet, quæ ſis dicturus; in hoc vnum adhibito ſtudio, vt Inuentioni, & diſpoſitioni ſeruias; hoc autem præſtito: exornes, atque ſuis locis amplifices, deſcribas, figuras addas, & ſententias per reliquum paginæ vacuum. Ita architectus primò domum conſtruit, poſtmodum inſtructam oblinit, atque ornat. Natura quoque nullum dat illicò perfectum fœtum, aut fructum.

§. 6. *De Recitatione.*

IN hac, vbi multum poteſt natura, multum debet conari ars, vtpotè in re, à qua eſt oratoris complementum, ne dicam & initium. Interrogatus Demoſthenes, quomodo euaſiſſet in tantum oratorem, reſpondit; *Inſumendo plus olei, quam vini*; ſiquidem lucubrationem expoſcit compoſitio, compta præſertim. At idem requiſitus dicere, quænam eſſent Rhetoricæ partes, inquit; *Pronunciatio, pronunciatio, pronunciatio*. Reuera libentiùs audiam diſcipulum tractantem organa ordinata, quam magiſtrum peritiſſimum diſcordantium fidiũ pulſatorem. Vox clara, ſonora, dulcis, multam partem oratoris habet; ſed nec ſolùm hoc naturæ beneficium ſufficit, niſi arte perfeceris.

Pronunciatio ergo ſit organica, ſeù harmonica, non monotona, ſed pro affectuum varietate modulans. Thema clariſſimè, & diſtinctiſſimè proponatur. Epilogus autem ſit clarus, breuis, diſtinctus, & fortis ad animum mouendum. Voces nullibi præcipitatim aceruandæ; tardiloquentia moderata optima eſt, præſertim verò in affectibus tempora longiora, & intermixtę pauſæ ſunt neceſſariæ. Teſte Drexelio fuit Cicero gradarius, non curſor, & Senecæ dictum eſt; oratio proferatur malo, quam profluat.

Bis, teruè, & maximè in fine toto ſpiritu colligenda eſt energia, vbi videlicet, aggreſſio fit, vel irruptio in auditoris affectus. Breues tamen eſſe debemus in affectibus, vtpotè violentum eſt flectere durum; atque breuem violentiam fert Homo, non ita longiorem; diſtractuſque ipſa naturæ reſiſtentia auditor, de ſe mutatur in affectum contrarium. Vbi ſermo eſt affectuoſus, ſit prorſus grauis, inſtructus quidem figuris vehementibus, exclamatione, interrogatione, vel alia tali animum arietante, non autem ornatus figuris leuioribus, argutia vlla, aut alio admirationem ciere apto; officit enim admiratio intellectus motioni voluntatis.

Neq; ſtatim poſt affectus commotionem proferas quidquam huiuſmodi, quod poſſit, vel diſtrahere admiratione, vel in diſtrahentem ab eo affectum prouocare; puta ſi vbi incuſſiſti timorem Iuſtitię, ſtatim afferres aliquid ad ſpem excitans, & de Miſericordia demulcens. Nè mirere tantum præceptionum aceruum, tamque arduam Rhetoricæ artem, de qua profectò dicere poſſis illud Eccl. 6. *Cum conſummauerit homo, tunc incipiet*. Enimuerò ſumma actionum eſt, liberam voluntatem, illæſa libertate expugnare.

Recitationis quoq; ſeù pronunciationis pars eſt non modica geſtus corporis, nec enim ſola lingua, ſed totus eloquitur orator. Caueto furentis motus, & non tam feruorem indicantes, quam maniam. Abſtine à manuũ

com-

omploſióne, & neglige ruſticanum illud effatum;*Clama fortitèr,percute pulsitum;& nihil ad propoſitum.* Vbiq;ſeruetur grauitas. Nec ſtatim à principio quidquam te moueas, nec velis,ceu pantominus omnia nutibus, geſtibuſuè exprimere. Motus incipiat à dextra, ſed leuiter;totius brachij extenſiò à ſiniſtra deſumitur, quę tamen rarò ſola moueatur. Digitus medius in pollicē contractus, reliquis tribus explicitis, initio congruit; index extenſus, contractis cum pollice,medio, & annulari, in exprobrando, & indicando valet; explicata manus admirantis eſt; porrò ſiniſtra ferè ſemper explicata.

Alios nota, vt erudiare vel ipſis erroribus. Ab omnibus diſce, nullum tamen imitaturus vt ſimius in proprijs ſingularibus. Naturam tuam expende, eaque benè vtere. *Orationis pro ſuggeſtu color eſt optimus, qui natiuus*, inquit optimè Drexelius. Naturam autem vel perficies, vel emendabis arte, atque artem ſtudio nanciſceris; vt enim inquit Ambroſius in pſal. 37. *Vſus artem fecit*.

§. 7. De Executione.

IAm redit circinus, vnde cœpit mobili pede circulum deſcribere, ſtante altero immobili in centro, quod eſt Dei, & proximi Charitas. Executio doctrinæ, quam alijs propinas, præcedat, comitetur, ſubſequatur Concionem; eritque is planè magnus Concionator, *qui fecerit, & docuerit*, inquit Magiſter Chriſtus, in quo & verum ſpectas magiſterium, dum *cœpit facere, & docere*. Vita eloquens quouis benè ſonat eloquio; horrendus eſt ſyrenum cantus, quo verearis decipi; & vt inquit Auguſtinus l. 1. de an. *Eloquentia in homine prauo venenum in poculo aureo*. Ne in te falſifices definitionem Oratoris; quam audi à Hieronymo epiſt. 83. ad Ocean. *Definiunt Rhetores Orotorem; qui ſit Vir bonus, dicendi peritus*; quare & ſubdit; *Perdit auctoritatem docendi; cuius ſermo opere deſtruitur*.

Hæc paucula placuit mei ſtudij adoleſcentibus exhibere breuiſſimo epitomate faciliùs relegenda, quoties neceſſariorum, vtiliumuè reminiſci, vel Concionem incipere, opus ſit. Sed tandem Seraphici Fratres Patrem Seraphicum audiamus collat. 37. atque attendamus ad petram, vnde exciſi ſumus. *Volo fratres chariſſimi,Miniſtros Verbi Dei tales eſſe, vt ſtudijs intendentes ſpiritualibus, nullis alijs officijs impediantur. Hi enim à Magno Rege electi ſunt, ad edicta, quæ ex eius ore procedunt, populis demandanda. Priùs ergo Prædicator haurire debet ſecretis orationibus, quod poſtea Sacris oſtendat ſermonibus; priùs intus caleſcere, quam extra verba proferre. Reuerendum certè eſt hoc officium; & qui illud adminiſtrant, ab omnibus reuerendi. Iſti vita ſunt corporis, impugnatores dæmonum, Mundi lucernæ. Officium prædicationis Patri miſericordiarum omni Sacrificio eſt acceptius,maximè ſi ſtudio fueritCharitatis impenſum.Plangendus Prædicator,qui non animarum ſalutem, ſed propriā laudem quærit, ſiue qui prauitate deſtruit vitæ, quod ædificat veritate Doctrinę.* Labia Iſaiæ non purgat Cherub, quod interpretatur doctrina, ſed Seraph, quod eſt ardor; non qui dicere poſſit, mihi vox; ſed qui verè dicat, *Ego vox*.

SOLI DEO GLORIA.

MODVS CONCIONANDI DIDACO STELLA MINORITA AVCTORE.

De Bonitate Concionatoris. *Caput I.*



VPERVACANEVM quidem esset, prædicationis munus commendare, cum satis, superque à Christo Domino fuerit commendatũ, ita vt alijs omissis in illo dumtaxat se exercuerit. Hoc egegium & penè diuinum munus prædicandi commisit Deus Discipulis suis, præcipiens illis, vt vbique gentium verbum Domini prædicarent *Marc.* 16. Et ad hoc potissimè fuere vocati, vt hominum piscatores, & Prædicatores fierent *Matth.*4. Qui igitur ad tantum, tamque sublime munus (Dei beneficio) vocatur, primum omnium obseruet oportet, se magistrum virtutum, & exemplar omnibus propositum, vt per eũ alij boni efficiantur. Vnde primũ omnium in concionatore bonitas, & integritas vitæ est spectanda. Absonum enim esset, & ab omni ratione alienum, vt qui se magistrum virtutum autumat, in eisdem instrui indigeat. Sutor enim, aut quiuis alius mœchanicus artifex suam artem non exercet, donec eam calleat. Non secus verbi Dei concionator, cuius muneris est alios docere, debet munus hoc exercere, si virtutum inops, & vacuus non sit. Suggestum enim ascendens, virtutum opulẽtam officinam aperit, & arma ad vitia opprimenda sumit. Vnde D. Hieronymus ad Nepotianum de vita clericorum, & D. Gregorius de cura pastorali, dicunt; ad hoc officium minimè idoneos esse, qui virtutibus non sunt instructi. Et licèt virtus multis rationibus ab omnibus sit amplectenda: peculiariter tamen eam debet habere concionator, tribus de causis.

Prima; ne sibi ascribatur illud Pauli. *Rom.*2. *Qui alios doces, te ipsum non doces? qui prædicas, non furandum, furaris?* Verbi namque Dei auditores irrident prædicatorum doctrinam, quæ vitæ non consonat; cum aliud docent, aliud verò præstant. Iuxta illud Gregorij: *Cuius vita despicitur, restat vt prædicatio contemnatur.* Iudas Iacobi filius nimis audacter Thamar nurum suam igni tradi iussit: verum postquam illa baculum, & armillam (quæ erant sui peccati signa) ad illum misit, miratus, confususque dixit: *Gen.*38. *Iustior me est.* Et statim consilium mutauit, rigidamque sententiam reuocauit. Ioab etiam cum nuncium ad Dauid regem misisset, vt illi aduersum belli euentũ renunciaret, & militũ in accedendo ad murũ temeritatem significaret, eum sic est allocutus: 2.*Reg.*11. *Si eum videris indignari & dixerit, Quare accessistis ad murum? Dices. Seruus tuus Vrias mortuus est.* Cuius delicti memoria fuit in causa, vt Dauid animi impetum moderaret, & iram cohiberet. Ignominiosum enim, & minus honestum erat, vt qui tale ac tantum facinus patrauerat, Vriam præclarum ac nobilem ducem occidendo, seruorum leues culpas puniret. Adhibenda igitur cautio est, ne, dum aliorum vitia repre-

hen-

hendis, ipse eisdem vitijs incusandus venias, sicut Ioab, & Thamar fecere. Carere enim debet omni vitio, qui in alterum dicere paratus est. Et sic Christus Dominus *Io.* 8. illis qui mulierem de adulterio arguebant, dixit; *Qui sine peccato est, mittat in eam primus lapidem*. In Templo Salomonis emunctoria eran auri purissimi 3. *Reg.* 6. sic Concionator, qui aliorum vitia reprahendit, omni vitio, & reprahensione carere debet, & instar electri purissimi esse. Vnde Paulus 1. *Cor.* 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè, cum alijs predicauerim, ipse reprobus efficiar*. Cum Redemptor noster, doctrinæ suæ veritatem Iudæis ostendere vellet, *Io.* 8. priùs de se fatur: *Quis ex vobis arguet me de peccato*? Qui cum nihil inuenissent, dixit eis: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi*? Nullam sanè poterant excusationem afferre, illum non audiendo: cum ipsius doctrinæ veritatem, & vitæ sanctitatem conuicti fateri cogerentur. Vt igitur hoc ministerium aptiùs exercere possis, te virum probum, & virtutibus insignitum præbeas oportet: vitia nempè extirpando, & virtutes hominum animis imprimendo, ne quis eadem tibi vitia obijciat. Quòd si talem te gesseris, maximos & vberrimos ex ea re fructus percipies. Magni autem refert ad hoc præstandum, vt Concionator benè erga populum audiat.

Secunda ratio est; quoniam præcipuus Euangelicæ promulgationis finis, & scopus, & qui maximè à concionatore debet esse intentus, est animarum salus: quod quidem fit, si animos alioqui confractos, & languentes commoueat, excitet, & inflammet; dum eos ab inueterata consuetudine peccandi euellit, & ad pœnitentiam allicit, & ad veram compunctionem, & lacrymarum effusionem eos trahit. Nefas enim est, alios vt moueas, nisi te priùs ipsum moueas. Gallus prius se expergefacit, alis corpus concutiendo, quam sublimi cantu alios excitet. Ignis etiam priùs in propinquiora agit, quam in longè distantia. Eiusmodi spiritus, & animi affectus priùs debet te inflammare, & commouere, quam audientium animos incendas. Vocis quidem subiectum, auditus est, & verba quæ non ex animo, sed ex ore dumtaxat prodeunt, ibi sistunt, neque ampliùs progrediuntur. Quapropter si cupis, vt verba tua vim, & energiam habeant, & non solum aures, sed & audientium animos pertingant: oportet vt ex animo proferantur, & vt intrinsecùs sentias, quæ alios doces. Cor enim cor alloquitur, & audientes mox coniectant, & sentiunt, quod ex animo loquaris. Tunc enim Concionator mouet, cum ipsius verba quasi iaculum cor audientis feriunt, & excitant. Num carbonem nisi ignitum præstes, adures? Nequaquam. Expedit te, dum alijs prædicas, à peccati noxa solutum esse; grauiter enim peccant, qui hoc concionandi munus in mortali exercent. Sed preterea licèt recta conscientia sufficiat, ad prædicandum sine nouo crimine, ad audientium tamen affectus excitandos plus requiritur. Proptereaque tibi expedit, spiritualem, deuotumque virum esse, & feruidum, & orationis, contemplationisque studio vacare: vt ea quæ dicis, spiritu proferantur, & audientium corda incendas.

Tertia ratio est, ne vincaris à tentationibus, & à persecutionibus, quæ à perfidis, & detractoribus hominibus infliguntur: vtpote inuidis, obtrectatoribus; & improbæ mentis, qui oblatrant, & petulanti lingua omnes insectantur. Obserua igitur, tui muneris esse, animas quæ Diabolo inseruiunt, & quę sub eius vexillo militant, in viam salutis reducere. Et insuper; quod militas non aduersus imbelles, & inermes quosque homines, sed aduersus eos, de quibus signifer Apostolici ministerij ad Ephesios *cap.* 6. scribens dicit: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem: sed aduersus principes, & potestates; aduersus Mundi rectores tenebrarum harum,* Vndequaque ergo oppugnaberis. Hinc Infernus, hinc deprauatorum & obstinatorum adstat caterua, qui maledictis, & petulantissimis suis insectantur linguis. Ideoque statim Apostolus subdidit: *Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo.* Virtutum armis indiges, quibus aduersarij sunt profligandi: quibus muniri debes, ne ab eis vincaris. Præstantissimus omnium Concionator Paulus fuit:& inter omnes Apostolos maximè exagitatus, & à maledicis quidem oppressus. Comitatur itaque Euangelicum Concionatorem assidua persecutio. Sed Beatus Apostolus sicut in hoc munere reliquis antecelluit, ita pressiùs tentatus est. Vnde ad Corinthios scribens 1. *Cor.* 15. de se dicit: *Abundantiùs illis laboraui.* Et alibi 2. *Cor.* 1. eisdem dixit; *Nolumus, vos ignorare fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia: quoniam supra modum grauati sumus, supra virtutem, ita vt tæderet nos viuere.* Et in Dominica sexagesimæ, in qua Ecclesia de prædicationis munere mentionem facit in Euangelio *Luc.* 8. ipso die legitur Epistola 2. *Cor.* 11. in qua longè latèque labores, & afflictiones ipsius Euangelicę doctrinę principis Pauli enarrantur. Familiare enim est, & maximè consuetum, vt quo quis in munere præstantior est, eo plures illi æmulentur. Nec adhuc visus est Concionator egregius atque peculiaris, quin durè agitatus fuerit. Hoc licet perspicere in Isaia, Ieremia, Ezechiele, Elia, Michæa, Amos, Athanasio, Origene, Chrysostomo, D. Bernardino, & alijs huius nominis, quos nimis atrociter fuere persecuti. Hic vltimus fuit coram Martino Quinto Pontif. Max. falso crimine accusatus, quod faceret populum idolatrare. Prædicti etiam Prophetæ pro veritate tuenda durissimam mortem adierunt. Athanasius verò, Origenes, & Chrysostomus in exilium missi sunt, & pleraque alia opprobria pro ipsa veritate tuenda perpessi sunt. Hac etiam nostra tempestate possemus quidem adducere quosdam in hoc munere illustres, quos Mundus deiecit, illorum nomini perpetuas tenebras offundendo: ea est rerum vicissitudo. Quod si ita se res habet, ingens temeritas est, cum talibus ac tantis aduersarijs bellum gerere: si nullis neque patientiæ, neque fortitudinis, aut aliarum virtutum præsidijs munitus sis. Periculosum sanè Concionatoris munus est, maximisque periculis obnoxium: ideoque oportet, vt ad Deum confugiat, & illi semper adhæreat: quandoquidem ad eum spectat, solidas populo veritates prædicare, quas Mundus odio prosequitur. Sibique persuadeat, tunc

suum

suum munus non rectè exercere, cùm detractores,& æmuli desunt. Diuina tamen aspirante gratia hæc omnia superabit. Nam licèt virtus per aliquod tempus depressa iaceat, tandem caput erigit. Tempus enim omnium rerum medicus est: interim tamen spem & fiduciam in Deo habeto. Reliquum est, vt receptui canamus, dum illud, D.Gregorij retulerim in hæc verba dicentis. *Lib.12. Mor. Ne immoderatis laudibus erigamur, plerumque summo Redemptoris nostri moderamine detractionibus lacerari permittimur: vt cum vox laudantis eleuat, lingua detrahentis humiliet.* Prouidentia namque diuina factum est, nec non & ineffallibili eius mi sericordia ordinatum, vt dum ex vna parte sunt nostræ doctrinę, & prædicationis laudatores, ex alia sint detractatores & inuidi: vt sic oppressi, animi elationem fugiamus. Debilis quidem natura est, quam sic subleuare decet.

De Scientia, & studio Concionatoris. Cap. II.

VT recta serie procedamus, postquam de bonitate concionatoris diximus: subsequitur, vt de ipsis studio, & scientia nonnihil dicamus. Psaltes ille Dauid, vt benè notat Diuus Ambrosius, postquam dixit. *Psalm. 118. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*: postquam locutus est de virtute, subiunxit dicens: *Beati qui scrutantur testimonia eius.* Priùs enim de ipsa bonitate, mox de ipsa scientia locutus est. Idemq; in Psalmo eodē centesimo decimo octauo dixit: *Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me.* Quo loci quamuis Dauid ipse à Deo maximo petat, vt illum doceat scientiam: (siquidem nihil omninò sine eo haberi potest,) adhæc tamē litteris vacare,& sub præceptorū doctrina substitui,& libros euoluere, insuper egregijs quibusq; cōcionatoribus subijci oportet. Deo namq; placet, vt vicissim quidam alijs subijciantur, & quod litteris incumbant, & libros insuper euoluāt. Decet ergo studere & laborare: nec omnia ad orationis auxilium remittere. Vt quidam temerarij, tentantes Deum faciunt, quorum quidem iactantiam & insolentiā egregiè satis D.Aug. in præfatione librorum de doctrina Christiana confutat. Expedit itaq; concionatori, varijs scientijs delibutum esse. Namq; Esther reginam pedisequę comitabantur, & vni innitebatur, altera verò procidentia in humum indumenta gestabat. Esth. 15. Sacra Scriptura est quasi quædam regina, quæ alijs insuper scientijs comitari debet. Concionatori itaque expedit (siquidem Sacræ Scripturæ interpres est) vt scientijs alijs præditus sit, atq; perdoctus. Nam illos, qui liberalibus artibus, aut scholastica Theologia exuti intrepidè Sacram Sceipturam aggressi sunt enodare, in plerosque lapsos errores cernimus. Igitur tam liberalium disciplinarum, quam Theologiæ concionatori cuique expedit non ignarum esse. Insuper & historiarum notionem habeat oportet. Et quia orator erga populū extat, Rhetoricam & eloquentiam vtpote natiuam & acquisitam teneat oportet: & plerumq; insuper rerum humanarum calleat, vt rerum fabrilium varia nomina, & horum instrumenta; denique rerum vniuersitatem tenere studeat: vt cum inueniendæ fuerint compara-

ratio-

rationes, ne impropria & absona applicet. Nimirum acturus de prędatione, venatione, bello, nauigatione, aut de alijs quibusque mœchanicis artibus & de instrumentis earum, & hisce similibus. Ad hoc enim vt congruus de rebus istis sermo fiat, oportet quidem eas nosse, ne earum artium fabri, impropria suis aptari artibus videntes, irrideant. Verum quonam pacto assiduum Apostolorum naufragium significabis, cum tamen quidnam carchesium, & rudens, quid sentina, & clauus sit, prorsus ignores? Et sicut dicere cœpimus, scholasticam Theologiam scire tenetur; non vt arduas & acutas nimis in eo loco quæstiones disputet: sed ea opus est dumtaxat, vt abscondita Sacræ Scripturæ mysteria cognoscat, & indagando ea penetret; & insuper vt quam prædicat doctrinam, pro viribus defendat, & deinde vt modestè, castèque loquatur. Sine cuius fundamento non poterit se sustinere. Et propè quidem est, vt erroneas, falsas, dissonasue, aut subobscuras propositiones doceat, aut vt eiusmodi terminis scandalum pariat. At concionatori cùm expediat, in quacumque scientia peculiarem sibi comparet doctorem, cuius dictis & assertis alludat. Præstat inter scholasticos D. Thomas, & inter Ecclesiasticos D. Chrysostomus. Hi itaque duo doctores sint concionatori præ omnibus alijs tamquam familiares & sodales. Ille namque varijs & acutis disceptationibus indagando veri culmen attingit, vt est mos scholasticorum: & inter omnes D. Thomas morales conceptus ad pulpitum spectantes meliùs excitat. Nam si illud de quo habet concionatoror pertractare, de vitijs, aut de virtutibus sit, & concionatoris munus sit, & vitia taxare, & virtutibus alios instruere (sicut & Beatus P. Franciscus in viuendi formula tradidit cap. 9. vbi loquens de prędicatoribus dixit, *annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam*) quis inter scholasticos hoc idem pertractat sicut Thomas in prima secundæ? Hunc quidem librum inter reliquos D. Thomæ præ oculis semper habeto. Quod si aduersus peccatum, & eius malitiam insurgas, quæ materia tritissima est, & quæ passim se offert pertractandam: quis præstantiùs & luculentiùs idipsum peragit, quam D. Thomas prima secundæ, à quæstione septuagesimaprima, vsque ad nonagesimam quæstionem? Verum si de admirabili Redemptoris nostri vita habes pertractare, quis tam longè, lateque, quam ipse D. Thomas in tertia parte sermonem facit: vtpotè de Christi incarnatione; & eius natali, circumcisione, baptismate, tentatione, conuersatione, miraculis, transfiguratione, passione, & gloriosa resurrectione? Hæc omnia sæpissimè se offerunt prædicanda: & inter omnes Diuus Thomas planè idipsum discutit, & optima serie, vtpotè lucidissimis assertionibus in quolibet voluminis articulo disponit. At verò inter Ecclesiasticos Doctores sufficit Chrysostomi nomen audire, vt eum quisque concionator maximi pendat. Qui quidem pro sua singulari eruditione & dicendi lepore tale nomen sortitus est. Ipse namque inter omnes diuino quasi numine adiutus doctrinam suam optimè conditam, & aptatam nobis proponit: ex Euangelij contextu moralem doctrinam deducendo, & plerumque mirificè digrediendo, & congruentissimè scripturæ

loca

loca aptando, puris & gratis comparationibus, per modum similitudinis. De quo nonnihil vt prædicem, libenter quidem fateor inter ipsos Ecclesiasticos tam priscos, quàm neotericos Doctores primas tenere. Præter ipsam scholasticam Theologiam (quam vt fundamentum nostræ prædicationis supposuimus) Euangelicus concionator euol uendis Sacrę Scripturæ voluminibus maximè debet esse versatus, iterum ac iterum Sacra Biblia euoluendo. Hos tamen si placet semel euoluere, licet Nicolaum de Lyra, Abulensem, Dionysium Carthusianum, vel Caietanum, litteræ contextum probè intelligendo: nec non & eius dubia. Ad litterę intelligentiam præstabit Catena aurea S. Tho. in Euangelia. Et Caietanus in eadem, Claudius Guillardus, & Ioannes Senius, Regulæ intelligendi Scripturam Sacram per fratrem Franciscum Ruyz Vallisoletanum Abbatem S. Facundi etiam iuuabunt. Ad litteram autem enodandam, & ad moralitates deducendas omnes doctores sancti conferunt. Hi sunt, Augustinus, Chrysostomus, Bernardus, Gregorius, Bonauentura, Basilius, Athanasius, & cum his Origenes, Beda, & quæ nos nuper edidimus de Vanitate Sęculi, & super Sanctum Lucam. Hugo de Sancto Victore, Laurentius Iustinianus, Ioannes Ferus in Pentateuchum, & in Matthæum, & Ioannem, insuper & reliqui doctores. Verumtamen cum suprà dictum sit, quod materia concionatoris est, de vitijs & virtutibus agere, pręstat Guillelmi Peraldi de vitijs & virtutibus quędam summula: quamuis tractatus de vitijs pręstantior est, quàm ille quem de virtutibus edidit; qua quidem summula non debet carere concionator, quin sinu gestanda est, & lineis vbique signanda: & insuper sancti Euangelij loca adnotare, quæ suis materijs congruenter aptari possunt. Valet etiam ad historiarum notitiam Iosephus, quia tractat de scriptura in lib. de bello Iudaico. Et Textoris officina ad varias historias iuuabit. Interim tamen non possum, non aduersus eos insurgere, qui perstant adhuc dicentes, verbi Dei concionatores libris abundare non decere, qui scandalizantur, & obtrectant, cùm librorum sarcinas deportari cernunt. Quasi verò prædicationis hoc munus abiectius & minoris momenti esset, quàm fabri ferrarij, aut lignarij ars: & sic de alijs sordidis artibus: quibus quidem exercendis plusquam instrumentorũ sarcinas baiulare cernimus. Huiusmodi libri si prædicationis ministerij huius quasi quædam instrumenta sunt, quo modo eis carere licebit? Qui ergo tantum munus exercere debet, eum non ignarum esse oportet. Scire autem non poterit, nisi assiduis lucubrationibus diu, noctuq; litteris incũbat, q uibuscum maximam familiaritatem habeat oportet, publica, forensiaue loca abhorrens.

De materia prædicationis. *Cap. III.*

OMnes quatuor Sacræ Scripturæ sensus, vtpotè Litteralis, Moralis, Allegoricus, & Anagogicus, omnes, inquam, probatissimos, & egregios esse

esse fateor. Verùm conci onator illis duobus, litterali, scilicet, & morali, plerumq; vti debet. Quamuis antiqui Doctores, vt sunt Augustinus, Ambrosius, Origenes, & huius nominis alij, tam Græci, quàm Latini, allegoricis, anagogicisue vsi fuerint. Insuper & Apostolus in suis epistolis, peculiariter ad Galatas, & ad Hebræos. Nec idipsum assertis nostris obstat. Nam in principio, & coadunatione sacrosanctę militantis Ecclesiæ, Ethnicis, & Iudæis maximè congruebat sermo allegoricus: vt lex Euangelica magis, ac magis stabiliri, & confirmari posset, & nouella fidelium germina crescerent. At verò cum his nostris temporibus Ecclesiæ plantæ vberrimos fructus edidere, modò nostra concio non Ethnicis, quin potius ad fidelium conuertitur animos: qui quidem fideles quoniam sunt piaculis debilitati, & criminibus cooperti, & languoribus delibuti, modò Concionator maiorem fructum faciet, si moralem doctrinam prædicauerit, qua quidem & crimina taxantur, & virtutes docentur. Verùm moralibus doctrinis vt abundes, albeolum, seu quaternionem habeto, alphabeticis characteribus ordine signatum, & manutento calamo, in euoluendis sacris, & Ecclesiasticis Doctoribus, ex eis quæcumque notatu digna sunt, excerpito, serie iam alphabeti dicta; vt quæ ad auaritiam spectant, in verbo (*Auaritia*) & quæcumque ad charitatem faciunt: in verbo (*Charitas*) & sic de alijs. Præstiterit etiam, alium insuper habere codicem, seu albeolum; in quo quidem per totius anni Euangelia discurrens, quæque litterę consentanea tibi videbuntur, percipies, & ad propositum applicabis. Omne studium omnisque opera non sufficit, nisi Euangelicus Concionator natiuam habeat prudentiam, & consilium, quamuis maximus Theologus sit. Hactenus quidem neminem in Sacra Scriptura illustrem, & præclarum vidimus, & in hoc prædicationis munere insignem, quin singulari viguerit iudicio, & subtili ingenio excelluerit. Et sic non debet ad prædicandum mitti ille, qui iudicij inops, & consilij expers, & discerniculo priuatus existit. Cæterum de se hoc intelligat, ad tantum, tamque præclarum munus non proprijs meritis fuisse vocatum. Certum enim est, quòd ille, qui mutilum, & dispersum habet iudicium (quamuis litteris delibutus sit, & sanctitate prędìtus) propè est, vt in varios, plurimosque incidat errores, risumque moueat: & tandem scandalum, tumultumque oriri faciet. Itaque discerniculum, & verborum delectum habere debet, vt quæ in voluminibus habentur congruentia eligat, & in signatum locum excerpta reponat. Cæterùm qui minus idoneus est, quam vt hæc ipsa re efficiat, & discernat, aut eo sit ingenio, vt suis locis applicare nesciat, & quod optimè quadret, ita vt ipsa iunctura optimè consuta maneat, incongruentissimum sibi erit, tantum munus adire.

De sensu litterali. Cap. IV.

ID verò, quod Concionator tenetur facere, primum quidem est, Euangelij litteram probè callere, quam nimirum habet prædicare, secundum

dum illud Diui Hieronymi in cap.4. Prophetæ Amos. Debemus Scripturam Sanctam primum secundum litteram intelligere. Nec eo dumtaxat contentus sit, si per Missale viderit Euangelium, verumtamen Biblia consulat in suo originali, nec non & antèhabita verba perlegat. Nam, vt idem ipse Diuus Hieronymus ait; *Sup. c.25. Matth.* ex antecedentibus, & subsequentibus colligitur verus scripturæ sensus. Nec satis est, si ipsum originale textus Euangelici viderit, sed alium insuper Euangelistam, si idem pertractat, consulat: quia (vt Augustinus ait *libro de adulterinis coniugijs c.11. & 12.*) in vnius Euangelistæ expositione videndum est, quid alij Euangelistæ dicant, cum ille locus exponitur. Vnus namque Euangelista, est quasi alterius commentum, & eum luculenter exponit. Quod si Petri negationes nosse desideras, quas S. Matthæus scribit, Marcum consulito. Ita si ciuitatem illam, de qua Matthæus cap.9. ait: *Ascendens Iesus nauiculam venit in ciuitatem suam*: quænam Ciuitas sit, scire studes; consule Sanctum Marcum cap.2. qui eam *Capharnaum* appellat. Et sic de reliquis. Videre autem maximè decet, quorsum parabolæ tendant, & ad quemnam finem dictæ sint. Insuper & doctrinam, quam habes prædicare, quo tendat prænoscas oportet. Defectu cuius, plerosque abberrasse periculo compertum est, peculiariter in parabolarum dilucidatione: ob cuius etiam defectum totidem offenderunt in illius Prodigi filij parabolæ expositione *Luc.15.* Cuius quidem parabolæ initium si probè conspexeris, Pharisæorum calumnijs, & detractionibus innititur, cum Christo Domino obtrectabant, dicentes: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Vbi illud pronomen demonstratiuum, *hic*, Christum demonstrat, qui peccatores illos recipiebat. Modò in illa parabola, quæ est huius obtrectationis responsio, patet, quod ille qui recipit filium prodigum, Christus est, qui peccatores vt clementissimus pater recipit; hi sunt qui à Christo pascuntur, & Christus qui pascit eos; Maior autem filius significat Pharisæos, qui murmurabant. Et responsum patris, cum dixit: *Fili tu semper mecum es*, est Christi responsum ad Pharisæos, quocum concludens, probè colligit factum esse, & se peccatores recipere, & cum eis manducare. Verumtamen, quoniam longè latèque hanc eamdem parabolam in nostris enarrationibus super Lucam perstrinximus, nolumus hic moram facere.

Secundò notandum est iuxta hunc litteralem sensum, & in parabolis peculiariter, in quibus maior extat difficultas; quod semper attendat Concionator præcipuum parabolæ intentum, & finem, & quò Christi verba tendant, relictis eisdemmet verbis, quæ ad ornatum parabolę adduntur, secundum regulam, & sententiam D. Chrysostomi; *Homil. 48. in Matth.* à quo nonnulli videntur deuiare. Qui quidem pleraque inepta congerunt, & nullius momenti puerilia pensitant. Fingunt v.g. cùm dicitur in illa parabola *Luc. 11. Commoda mihi tres panes*, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum significari. Et alij, Fidem, Spem, & Charitatem ostendi. Hi verò qui huiusmodi non offenduntur, cognoscant se consilij vacuos esse, &

omninò expertes rationis. Plerique verò alij in illa parabola de decem virginibus *Matth.* 25. quare quinque fatuæ, & quinque prudentes, dicunt? quas quinque sensus nuncupant. Alij verò cur *Luc.* 15. nonaginta nouem oues in deserto relictæ sunt, quæritant; tandem in verba hæsitantes (vt potè in nouenario numero) dicunt nouem Angelorum Choros esse. At verò quò illa parabola de quinque virginibus fatuis, & quinque prudentibus tendat? Illud quidem est, vt nos ad benè, honesteque viuendum excitet: & hoc vbique, & semper, siquidem diem, aut horam nescimus; neque proinde temporis iacturam faciamus, in posterum pœnitentiam differentes, ne forsan præter spem iudex adueniens, à nobis strictissimam exigat rationem. Quod si præter hanc ipsam doctrinam, quæ præcipua est, nonnulla alia documenta ex hac parabola liceat deducere; cæterùm disceptare, cur quinque, & quinque dixerit, nimiam hoc est temporis iacturam facere. Christus namque Redemptor noster, verborum vrbanitatem obseruauit: sat enim erat, decem virgines signare, vt nuptias cum iubilo celebrarent, & quinque, & quinque ordinatam ducerent choream. Qui si centum dixisset, non ita vrbanè, sed incongruè locutus esset. Idemque in parabola de illis tribus panibus. Inhonestum enim foret, quinquaginta mutuasse panes. Et sanè ridiculum, si duobus saturandis dumtaxat, quinquaginta panibus opus esset. Verum dixit: *Commoda mihi tres panes*, vt vrbanè, congruèque loqueretur, ne fortè postea deficerent panes. Idem dicendum censeo de illis ouibus. Mille namque oues à puacis possidentur, infra centum verò non faciunt gregem: verumtamen centum quasi commune quidem est: differere autem, cur centum magis, minusuè non dixit, est tempus omninò consumere: nec aliud in hoc latet mysterium, præterquam quod Redemptor noster, vt solet, vrbane & politicè loquitur, & prudenter illud sanè intendens in ea parabola. Nam probè factum fuisse constat, quod pastor ille relictis in deserto ouibus, errantem quæreret ouem, & inuentam in humeris baiularet; sed siue illæ fuerint nonaginta, seu quinquaginta quid ad rem? Eiusmodi satis superque, probè facere, si peccatores hos recipit, & cum eis manducat, & incedit. In parabola autem de tribus panibus, assiduum nobis orationis studium commendat, & perseuerantiam nobis in eamet suadet. Nam sicut ille, qui panes mutuauit, qui tempus opportunum non spectauit, sed media consurgens noctis quiete, quo tempore omnes dormientes iacent, & quiescunt, ad hæc tamen quia molestns iam fuit assiduè ianuam pulsans, ille motus surrexit, & dedit illi panes, quotquot postulauerat; non secus tecum agetur, si molestus fueris, & in orationis studio continuus. Alias insuper parabolas referre possem, sed prædicta ad omnium exemplar sufficiant, vt probè Concionator videat, quibus cura adhibenda sit, & quænam intacta relinquenda. His duobus notabilibus satis intelliget Concionator, tam parabolicum, quam litteralem Scripturæ sensum.

De

De morali sensu. Cap. V.

Reliquum est modò (vt enim superiùs tertio tetigimus capite, gemino sensu, vtpotè litterali, & morali, quisque Concionator vti debet) postquam præcedenti capite planè litteralem sensum prælibauimus, aggrediamur modò pertractare nonnulla, quę ad doctrinam moralem facere videntur: quam quidem prædicare habet Concionator, & congerie habita sermonem ipsum adimplere; si audientium cœtui prodesse studeat, & muneris sui debitum persoluere, quod maximè Concionatorem mouere debet. Moralis itaque sensus sic habet. Est vtique doctrina illa, quæ ex visceribus, & medulla contextus litteræ deducitur, ad mores componendos: absque eo quod sibi contradicat. Dixerim absque eo, quod sibi contradicat: nam dum moralizat, nihil contrarium sumet ei, quod in litterali dixerit sensu.

Verùm quia in hac morali doctrina stat omne Concionatoris fundamentum, atque materia; vt planiùs procedam, aliud insuper addam exemplũ. Cum se obtulerit prędicandum Euangelium illud *Mar.* 8. sextæ Dominicæ post Pentecosten; quod sic habet. *Misereor super turbam istam &c.* In quo quidem videre licet, quanta cum frequentia ac diligentia verbum Domini nobis audire expediat. Quippe cùm diuina voluntas in eo innotescat, ac palam nobis fiat, quã & summo studio insectari nos decet, si perenne optamus pręmium consequi: vt turba ista faciebat, quę irruebat anhelans, vt verbum Domini audiret. Vbi quidem præsto est correptio aduersus eos, qui maxima cum vecordia ad audiendum verbum Dei excitantur. In eo autem: *Nec habent quod manducent*: nobis ostenditur, quanto maiore studio spirituali prosequebantur: & quanto minùs pro his temporalibus angebantur, si quidem vt verbum Dei audirent, de victu non curabant. Et in oratione Dominica *Matth. 6.* priùs quidem postulamus: *Adueniat Regnum tuum*: paulò tamen inferiùs. *Panem nostrum quotidianum*. Ideo Dominus ac Redemptor noster ait. *Primum quærite Regnum Dei &c.* Liquet ex dictis correptionem in eos ferendam esse, qui pro salute animarum non laborantes, ardenti, nimioque studio hæc temporalia appetunt. In eo autem: *Misereor soper turbam istam,* significatur nobis misericordia, & prouidentia Dei, quæ etiam nostris fauet necessitatibus: absque eo, quod nimiam curam nos adhibeamus. Et quod nobis omnibus non modò spiritualia, verùm & temporalia suggerit, & cuicumque in particulari: quod si omnibus suggerit, non tamen gratia omnium, sed pro eis dumtaxat, qui in suis præceptis perseuerant. Et quomodo eos non deserit, qui ipsimet connectuntur, & astant. Qua quidem ratione filijs Israel *Exo.16.* pluit manna ad manducandum, & Eliam pauit in deserto 3. *Reg.* 18. Hoc idem apud Euangelistam Matthæum habetur, & per Psalmographum nobis ostenditur *Psal.*147. In verbo autem: *Si dimisero eos ieiunos deficient in via*. Nobis ostenditur, ac docemur, quod ex nobismet nihil omnino possumus, nisi Deus faueat nobis: nec in his temporalibus, quæ ad huius corporis victum spe-

ſtant; quanto minùs in ſpiritualibus poterimus? Namque ſi Deus manum ſuam auferat à nobis, perimus. In verbo: *Quis poterit iſtos ſatiare in ſolitudine?* Humana quidem fragilitas nobis depingitur, ac modica fides ſignificatur. Quapropter omnem ſpem ſitam, locatamque in Deo habere nobis conducere. Cęterum ſi deprauatam rationem conſulamus dumtaxat, plerumque diffidimus. Hi namque, qui temerè in Domino confidentes adhuc ſeſe mundo tradiderunt, taxandi quidem ſunt. Vt illi in vrbe Bethulia fecere *Iudit.*8. Deum tentantes, qui cum Aſſyrijs pactum inierunt, ſeſe Holoferni tradituros, ſi intra quinque dierum ſpatium eis Deus non opitularetur. Quod cum audiuit Iudith, moleſtè tulit, quos & merito increpauit. In verbo: *Quot panes habetis?* Licet maximam Dei pietatem conſiderare, qui non pro demeritis, aut ſecundū modicam fidem noſtram, ſed ſecundum vbertatem magnificentiæ ſuę nobis ſuggerit. Qui tametſi moram fecerit, ne deſperemus; nam per Prophetam dictam eſt *Abac.*2. *Si moram fecerit, expecta eum: veniens enim veniet, & non tardabit*. In verbo: *Gratias egit:* nos docemur, ne ab aſſiduis, & quotidianis laudibus pro beneficijs nobis illatis ceſſemus. In verbo autem: *Tulerunt de fragmentis ſeptem &c.* nobis quidem ſuadetur, ne prodigalitatem exerceamus, ſed bonis Dei, vt congruum eſt, vtamur: nec ea prorſus vt pereant, relinquendo abſque vlla prorſus neceſſitate. Tandem in verbo: *Dimiſit eos*, nobis præcipitur, & aduertitur pro bonis operibus ab hominibus mercedem haud fore expectandam, nec præmium, nec gloriam, nec aliquid aliud, niſi à ſolo Deo. Hoc ſummis hucuſque labijs prælibatum manet, in hæc duo Euangelia. Hæc quidem loca facilè ad impleri, dilatariue, tam ſcriptura, quam comparationibus licebit: de quibus capite nono. Morale verò huiuſmodi debet eſſe, doctrinam ex nudo meroque Euangelij contextu deducere, abſque ipſius litteræ contorſione, & chimericæ fictionis machinatione.

De morali ſenſu, quem cauere debet Concionator. Cap. VI.

VT olim egregius Pſaltes inquit *Pſal.* 33. non ſolum facere bonum, ſed etiam diuertere à malo debemus: cum hactenus de morali ſenſu, quem ex litteræ contextu venari licet, prælibatum ſit; reliquum eſt, agere modò de alio ſanè incongruo morali, quo quidem multi codices ſcatent, & ferè omnes ex antiquis ſermonarijs. Dicere namque nauiculam illam, *Mat.6.* quam Redemptor noſter aſcendens, venit Capharnaum, pœnitentiam, Eccleſiamue, aut Chriſti crucem eſſe: & piſcinam Bethſaidę *Io.* 5. pœnitentiam, aut baptiſma eſſe: & in feſto Aſſumptionis Deiparæ Virginis dicere, vicum illum, quem Chriſtus adiuit *Luc.* 10. arcem eſſe Virginem Mariam, & propugnacula eius virtutes; & in Euangel. Dominicę ſeptuageſimę *Mat.* 20. vineam illam, animam dicere: & Regulum illum Chriſtianum eſſe, & eius filium languidam animam, quæ infirmatur Capharnaum, hoc eſt in delicijs, quia Capharnaum interpretatur, villa conſolationis: & in Dominica quarta quadrageſimæ *Ioan.* 6. quinque panes,

quin-

quinque libros Mosis, aut quinque vulnera Christi dicere, & duos pisces, humanitatem eius, & diuinitatem significare, incongruentissimum quidem est.

Quomodo concionator hoc deprauato morali vti possit. Cap. VII.

IPsa quidem experientia liquidum est, quod morsus viperinus quamuis sit lethalis, nonnullis tamen ipsa vipera, si applicetur morbis, sanitatem confert. Et Lactantius Firmianus in lib. de ira Dei cap. 13. dixit: *Viperam, ferunt, exustam in cineremque dilapsam mederi eiusdem bestiæ morsui.* Ad hunc sanè modum iuxta Sacræ Scripturæ commenta, & moralitates, quamuis extortis litteræ sensibus, & incongruo dicendi charactere delibuta sint, hoc dumtaxat verbo, *instar*, vel, *ad similitudinem huius*, vti potest. Scriptura namque & peculiariter vetus testamentum, & etiam historiæ, ad similitudinis modum, & non secus aptandę sunt: quod nimirum adnotatione dignum est, & maximè quidem considerandum. Nequit attamen hoc benè intelligi, nisi exemplis ostendatur. Erat, verbi causa, quidam ex seniorum numero concionator; Christi Domini profundam humilitatem prædicans, & quomodo ad illius similitudinē nos humiles esse deceret: ac in hunc ,, sanè modum proponebat. [Genes. 24. De hac re typum habemus, & quã- ,, dam figuram: Cum Rebecca, veniens è Mesophotamia, vt nuberet cum Isaac, &c.] Qua enarrata historia subdidit: [Isaac risus patris interpretatur, ,, & typicè de Christo dicitur: de quo æternus pater Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*] Mox ait. [Rebecca, id est, ,, impinguata, & incrassata, hęc est anima nostra, quam in regeneratione ,, baptismatis Deus ditauit, & lorica fidei muniuit, &c. Hæc cum viderit ,, suum sponsum Iesum incedentem, & humiliter gradiētem, debet quidem ,, exequare, & cuncta huius sæculi caduca & lutulenta respuere, &c.] Hæc ad prędictum si dicantur modum, nihil fortasse valent. Expedit ergo, vt qui satis congruum enarrandi characterem venari desiderat, omissis vetustatibus, in hunc modum dicat. [*Sicut olim Rebecca videns Isaac deambulan- ,, tem per viam, protinùs de camelo descendit (inhonestum enim illi videbatur, ,, & turpe quod cum sponsus suus deambularet, ipsa equitaret) eodem modo tu, ,, ò Christiane, vultum confundere tuum deberes, qui nimis auidè ad huius sæcu- ,, li lutulenta prædia anhelas, & honores: cum filium Dei cernas eatenus pro ,, te humilem factum esse, quo magis nequiuit.*] Ad hunc sanè modum scripturam veteris legis aptare debes ad modum similitudinis: & sic in reliquis exemplis, quæ subijciemus, vt magis hæc doctrina elucescat. [*Quemadmodum Exo. 8. Pharao Aegyptiorum Rex, cum adhuc ad se venientes cy- ,, nifes cerneret, & propterea non conuersus est, maiori deinde affectus est plaga; ,, nam ex omni muscarum genere ictibus afflictus est: non secus qui in varijs ,, prouoluti iacent peccatis, & sunt maximis sceleribus coinquinati, & Dei vi- ,, sitationibus, & flagellis in hoc sæculo non conuertuntur, maiora quidem eos ,, supplicia manent in Infernum præcipitandos, thesaurizantes iram in die iræ.*

,, *Ro. 2.*

„ *Ro.2.* Item, *quemadmodum triumphales currus, & munera, quæ Ioseph Pa-*
„ *tri suo Iacob misit Genes.45.hæc quidem principatum, & dominatum Ioseph*
„ *in Aegypto ostendebant; siquidem tam mirifica & præclara dona parenti suo*
„ *offerebat: eodem modo Sancti Spiritus dona, quibus Christus ditauit Ecclesiam,*
„ *testimonium quidem perhibebant, Christum ad dexteram Dei sedere in gloria*
„ *Patris. Ideo Iesus loquens Discipulis de aduentu Spiritus Sancti dixit eis: Io.*
„ *15. Cum venerit Paracletus, Spiritus veritatis, ille testimonium perhibebit de*
„ *me.* Item: *Sicut omnes quatuor sensus Isaac lapsi sunt, cum Iacob filium*
„ *suum benedixit, & auditus dumtaxat verum præstitit, Genes.17. cum dixit:*
„ *vox quidem vox Iacob; ita in sacrosancto, ac profundissimo Eucharistiæ Sa-*
„ *cramento omnes simul sensus deficiunt, sola fide integra manente, nempè, au-*
„ *ditu: aliud enim tangimus ab eo quod fides nobis suggerit, & ab eo quod vi-*
„ *sus percipit.*]

Vti sermo Euangelicus componatur, ac fiat. Cap.VIII.

POstquam Euangelij contextum satis intellectum, & prouisum habuerit, quàm primum ex animo se offerat, & tradat Deo, qui nimirum ait: *Io.12. Sine me nihil potestis facere*, summisque precibus ab eo contendat, vt sibi beneplacitum ostendere, & manifestare dignetur. Hoc enim est præcipuum, & antehabendum in concionibus, tam sibi, quàm populo. *Quid enim prodest homini si totum mundum lucretur, animæ verò suę detrimentum patiatur? Mat.16.* Non congruit Euangelico concionatori, ostentandi gratia, maximeue vt pendatur, vel sapientissimum vt se omnibus præbeat, concionari. Hoc enim esset, quasi aciem retundere gladij. Faciet Maximus Deus, vt garrulus dumtaxat euadat, qui se ipsum, vt ostentet, prædicat: & Christum haud prædicat, nec collaudat. Concionatoris autem finis, & scopus is debet esse; fidelium animas in viam salutis redigere, & Dei honorem zelando (quem solo æquatum, & pessundatum cernimus) erigere, & quantum poterit, efferre. Quo motus spiritu, quidnam prædicaturus est, identidem consideret, & animo euoluat. Tunc enim pleraque dicenda suppeditabuntur; & conducibilia ei suggerentur. Euangelij igitur contextu per authenticos, & egregios (quos supra recitauimus) Doctores habito, mox animaduertito, de quibus ipsum Euangelium vitijs virtutibusue loquatur, & quam inde doctrinam haurire poterit, ad laudem virtutum, aut eradicationem, increpationemque vitiorum. Quibus sic habitis, & inuentis, excerptionum consulito quaternionem, in quo communia loca excerpta, & notata in laudem alicuius virtutis, aut contra vitij alterius incommodum, vel secundum aliam quamcunque propositam materiam videat, vt huiusmodi Euangelij locus amplietur, doctrina, scriptura, & comparationibus, alphabetico codice desumptis. Et peractis iam elucubrationibus, & antiquis studijs vtatur, quæ labore, & vigilijs consequtus est. Verùm & huiusmodi loca propagare, extendereue licebit, si vicissim sacra euolueris Biblia; Et mox sacra loca memoria recolens per ipsas Biblio-

bliorum Concordantias percurras. Quibus sanè præstiterit, si ex varia Doctorum lectione nonnulla in excerptorijs vtrisque libellis adnotaueris. Cæterum quibus sors non ita suggessit, vt eo ingenij acumine polleant, quantũ maximè ad hoc requiritur, librorum tabulas consulant, ex quibus planiùs doctrinam deducent: vt quos excitauit Euangelij conceptus, aut litteræ sensus, exactè impleant. Ad hæc tamen verbi Dei concionatores monitos, exoratosq; velim, vt plerumq; vniuersa Biblia euoluant, ita vt ex varia, & assidua lectione eorum loca memoriæ tenaciter hæreant, & quo loci quæque pertractentur, non eos fugiat. Verùm qui hoc studio adhuc indiget, propè est vt aberret. Quos & Concordantiæ aliquantulum iuuabunt; sed plerumq;nihil videntur facere, vt isto liquebit exemplo. Ponamus quod prędicet Euangelium duodecimæ Dominicæ post Pentecostem, Luc. 10. quo loci quidam legisperitus volens iustificare seipsum, dixit: *Et quis est meus proximus?* [Natiuum ferè hominibus est, virtutis prætextu propria crimina palliare. Plerique sunt iudices, & prępositi qui in aliorum capitibus iram exercentes, iustitię prætextu simulant libidinis morbum. Vrbis quidem rector, qui turpis lucri cupidus est, vt frumentum vendat ob boni quidem publici commodum se autumat recondere, nec commodi sui causa id prorsus facere testatur. Hic legisperitus legis præcepta cum præuaricator extitisset, vtpotè circa proximi sui amorem deficiens, se ipsum iustificare intendit sub ignorantiæ ipsius præcepti tegmine. Itaque absque vlla honoris sui iactura volunt homines improbi fieri & quod deterius est, non solum non mittere, verùm & comparare illum student: cum tamen in officio non sint.] Hic sanè conceptus & consideratio Scripturæ exemplis extendi debet.
„ Vt si dixeris, [*Absalon* imperium patris vsurpare conatus, versutè regi di-
„ xit: 2.*Reg.* 15. *Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron.*
„ *Vouens enim vouit seruus tuus*, &c. in Hebron etenim Adami, Euę, Abra-
„ hami, Isaac, & Iacob corpora iacent. Hic versutus sub palliata votiuæ pe-
„ regrinationis sanctimonia tyrannidẽ exercere machinatus est, vt ita regnũ
„ patris vsurparet. Aman quoq; Assuero Regi dixit: *Est.* 3. *Optimè nosti,*
„ *quod non expediat regno tuo, &c. Tibi, si placet, decerne vt pereat, & decem*
„ *millia talentorum appendam arcarijs gazæ tuæ.* Creuerat enim indignatio
„ Aman, & stomachatus, Iudaicam euertere gẽtem studebat, eo quod Mar-
„ dochęus genuflectens eum non adorasset: & qui odij languebat ar-
„ dore, vt regi seruitium exhibeat, & regno vt comparet commodum, se
„ simulat facere. Herodes Christum Dominum ab incunabulis occidere
„ volens, sub humilitatis, & sanctimoniæ prætextu dixit Regibus *Mat.* 2.
„ *Vt & ego veniens adorem eum:* Iudas præuaricator, turpis lucri cupidus,
„ & auarus: erga pauperes & egenos se pium & misericordem ostentat,
„ dicens: *Io.* 12. *Nonne vnguentum istud poterat venundari multo, & dari*
„ *pauperibus?* S. verò Ioannes subdit, Iudam non hoc dixisse, quia de ege-
„ nis pertinebat ad eum; sed quia *fur erat, & loculos habens*] Modò dicito mihi, precor, numquid huiusmodi authoritates ex Bibliorum Concor-
dan-

dantijs hauriri poterunt? aut similem huic apud eas doctrinam inuenisti, vt mentis ille conceptus adimpleri possit? Alludendum igitur tibi est; ad hoc, vt concio exactè fiat, & digressiones authoritatibus confirmentur, quas quidem ex scripturæ contextu deduxisti, præ oculis, ne dixerim ex corde Bibliorum contextum habendũ. Nec te eò adstringam, nam nostræ forsan limites sortis transcendit. Quamuis, vt coniecto, Sancti Doctores, vt Bernardus, & alij hoc eodem modo eam tenebant, vt scriptorum suorum idiomata præseferunt, qui veluti quotidiano, & quasi natiuo sermone, Sacra Scriptura vtuntur. Saltem verò non te lateant, quonam loci vniuersæ materiæ pertractantur, vt secundum tibi propositum intentum eorum congruentia loca aptes.

Insuper aduertendum est Euangelico concionatori, vt in ipsius concionis, digressionisue exordio subtiliorem theoricam, & acutiorem doctrinam proponat, & eo modo exordiatur, vt audientium excitet affectus, vt aures præbeant attentas, ac maximo dicendorum desiderio capti, ab ipsius pendeât ore. Tũc enim ieiunis, & paratis mentibus cũ sint, & minus lassis, ingenijsue parum onustis, quamlibet acutam, & subtilem doctrinam percipiunt. In medio tamen ipsius concionis trita, & magis communia ingerat. Dum perorat tamen, & ipsi concioni finem imponit, maximè vtilia, & cordis compunctiua, deuotaque ingerat. Itaque in concionis exordio attentionem captet, & tandem moueat affectus, instar optimi Rhetoris. Quæ doctrina est Quintiliani in suo Rhetorices libello. In exercitu namque probè disposito, veterani, & fortissimi quique milites præeunt, & terminant aciem: in medio autem tyrones, & debiliores milites vagantur. Sic debet preordinari concio.

De Digressionibus. *Cap. IX.*

OPortet, eum, qui prædicat, per Euangelij contextum paraphrasibus percurrere, atque ipsum dilucidare, & in quibusdam eius locis, doctrinalibus digredi documentis. Digressus quippe dicuntur, cũ ipsius Euangelij litteram enarrantes, aliquam doctrinam exinde deducimus: & mox ad ipsam Euangelij litteram reuertimur, vt eius enarratio continuetur. Cuiusmodi dicendi characterem D. Chrysostomus obseruat. Sic & concionator debet facere; Euangelium enarrando, doctrinam interim deducati, & mox ad ipsum reuertatur contextum, ac vltimã periodum subsumendo, cum eo, vnde exiuit, puncto connectat. Vt si Euangelium Dominicæ quartæ post Pascha *Io. 16.* prædicet in illud verbum, *Si ego non abiero, paracletus* „ *non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eũ ad vos*, dicere potest; [Bone De-
„ us nunquid tu paracleto contrarius es, qui subdis, necessum fore, vt ille
„ mittatur, te hinc discedere? Numquid suppetias aduersus almũ Spiritum
„ fers? Aut verò peccatum mortale es tu, qui eius aduentui resistis, & obstas?
„ Christus Dominus secũdum humanam naturam erat Spiritus Sancti quasi
„ exceptor: & ille, quasi hospes erat Christi Redemptoris nostri. Vt cum
prin-

,, princeps, aut Rex aliquã ingreditur vrbem, eiq; primum receptacula (quæ ,, principem, aut Regem hospitio excipiãt) parat, & sordibus mundatis, te- ,, ctorumque puluisculis excussis, omnem supellectilem aliò comportari iu- ,, bet: insuper & eius colonos, & habitatores domus inde abire. Eodem ,, pacto B. Apostoli Dei, sanctimonia, integritate, & probitate quauis præ- ,, diti, at corporali Redemptoris præsentia capti, pro eius absentia maximè ,, dolebant. Quod si huiusmodi honestus erat amor, terrigenis tamen ,, subsapiebat puluisculis: quæ huius sæculi præsentibus tenebantur, vt erat ,, Christi humanitas. At Redẽptor noster amoris labem expiare dum vult, ,, & quasi electrum examinare; hoc expediebat fieri tali modo, vt ipsius or- ,, batis præsentia, veniens patris Spiritus, in eorum viscerum receptaculis ,, sese ingereret. Quod si Dei Apostolis vtiq; probis, & paupertatis sanctissi- ,, mæ sectatoribus, qui vt Deum diligerent, cuncta per nihilo reputauerant: ,, aliquo pręsentium amore adhuc cum tenerentur, ab illo eos dimoueri ne- ,, cessum erat: quomodo eumdẽ in nobis spiritum recipiemus, cum adhuc ,, terrenis simus rebus detenti, & in profundo peccati immersi, & in carnis ,, spurcitijs volutati? Igitur qui S. Spiritus gratia imbui desiderat, à cun- ,, ctis abhorreat terrenis voluptatibus, necessum est. In cordibus namque ,, solutis, & omninò expeditis Deus inhabitat. Fulgidi namque Solis radijs ,, illuminari si velis, tergũ verte ad vmbram: desere huius sæculi lutulenta ,, prædia, & conuertere ad Deum, Ab eo namque illuminaberis. Filij Israel ,, Exod. 16. non gustauerunt manna, nec panem Angelorum manducaue- ,, runt, quousque panis Aegyptius consumptus est. Ita quidem in nobis Sã- ,, cti Spiritus gratiam non recipiemus, aut eius dulcedinem degustabimus, ,, quousque inanis, ac prophanus amor discesserit. Quapropter Iacobus ,, Dei Apostolus cap. 4. inquit: *Nescitis, quoniam amicitia huius mundi ini-* ,, *mica est Dei? Quicumq; ergo amicus voluerit esse mundi huius inimicus* ,, *Dei constituitur.* Væ illis infelicissimis Samaritanis, de quibus Sacra ,, Scriptura ait: 4. Reg. 17. Qui cum Deum colerent, dijs quoque seruie- ,, bant suis. Huiusmodi nefandis mundus pullulat hominibus: qui ad pe- ,, renne gaudium non anhelant, suas quique auidè voluptates sectantur, & ,, idolis seruiunt; &c.] Quam correptionem extendet, & ampliabit. Ad hunc modum in quolibet Euangelio duas, tresue, ad summum quatuor excitet digressiones; hasque insectetur, & in eisdem moretur, vt astantium moueat animos. Quarum cum postrema digressione concionem absoluet (si omninò Euangelij contextus sit prædicandus) quam & maximo spiritus feruore terminet, & perstringat. Quod si digressionum sarcinam multiplicas, nullatenus ex quauis illarum sufficientem doctrinam exhauries. Hoc enim esset, quasi multa apponere, & nihil omninò degustare, aut emolumenti quicquam capere. Et propterea non oportet vt multas congerat digressiones, sed paucas: quas ampliare debet. At in reliquo Euangelij ne moretur: sed litteram explicando citò transeat. Quamlibet autem digressionem debent comitari, & eis connecti rationes in auctoritate, com-

paratione, atque exemplo, ex veteri testamento desumpto. Denique vitiorum fiat taxatio, vt doctrinę ratio postulat: vt in prædicto exemplo liquidò constat. In eo namque comparatio fuit de regis exceptore, & exemplum Sac. Scripturæ de farina ęgyptiaca, & auctoritas fuit D. Iacobi Apostoli. Denique correptione quadam completa est cum exemplo de Samaritanis. Verum vt hoc planius fiat, aliud insuper addam exemplum. Cum sese offert Euangelium Dominicę primæ post Pentecosten prædicandum: in illud quod Christus Dominus ait. Luc. 6. *Nolite iudicare & non iudicabimini*. [Pessimum quidem est aliena rimari corda, aut de proximis ,, malè & audacter iudicare. Nam si aulam regiam adeas, quam adhuc ,, nemo coluit, mox impluuium herbis consitum cernas, araneis laquearia ,, velata; ruinam minantes vtrinque parietes; vespertilionum, & murium receptaculis, & cuniculis vndique labefactatam. Quibus visis obstupefa- ,, ctus, quæris. Numquid congruum videtur, hasce egregias ædes talem ,, ruinam pati? Dicent tibi quàm primum, ex eo labefactatas esse, quia ab ,, earum Domino non coluntur. Sic habet cor tuum: eamdem ruinam, ,, & detrimentum patitur anima tua: dum tecum non inhabitas, sed alie- ,, na rimaris corda. Quapropter regius ille Psaltes dixit. Psa. 37. *Dereli-* ,, *quit me virtus mea, & lumem oculorum meorum, & ipsum non est mecum*. ,, Non quod luminibus, seu corporeis oculis priuatus esset: sed quia stu- ,, dium & operam, quam adhibere tenebatur, vt suam vitam examinaret, & ,, corrigeret, in alienis examinandis cordibus consumpserat. Dum arcam ,, fœderis Philisthijm restituerent filijs Israel, 1. Re. 6. illam Bethsamitæ ,, inspexerunt; propterea Deus septuaginta primates eorum occidit, & ex ,, plebeijs quinquaginta millia hominum. Nonne corda hominum magis ,, quam tabulæ illæ, aut virga, & manna, quæ Hebr. 9. in arca condita ,, erant, latitabunt? Pari modo igitur maximus Deus puniet, & stri- ,, ctissimam ponet rationem cum his cauillatoribus, & alienæ vitæ scruta- ,, toribus. Numquid huius vitæ curriculum adeo longęuum est, & tibi, ver- ,, sute, abundat tempus, vt alios dijudices, & seuerè examines? Audi er- ,, go Apostolum dicentem: Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* ,, *Domino suo stat, aut cadit*. Numquid si (illotis, vt aiunt, manibus) cui- ,, piam liberet, inuito principe, vni præesse vrbi, eamque regere, & causas ,, iudicandas suscipere, impune ferret? siquidem læsæ maiestatis crimen ,, commisit. Quare tu, ò Christianæ, Dei munus, nempe alienam vitam ,, dijudicare, temerè, & audacter vsurpas? Miserabilis te manet exitus, & ,, inexcogitata te expectant supplicia, qui tantum dolum orditus es, & ,, graue crimen commisisti. *Nolite ergo iudicare*, ait Dominus, *& non iu-* ,, *dicabimini*: scilicet, iuxta hoc dijudicandi crimen. Videte, nequa- ,, quam iudicetis: quod si feceritis, mensuram bonam, & confertam acci- ,, pietis, & vobiscum probè fiet.]Sic ergo digressio fiat, & mox ad punctum Euangelij, vnde exiuit, reuertatur. Verum ne longiùs eò digrediaris: vt quanam via reuertaris, aut verò vnde existi, prorsus ignores.

Vti

Vti amplianda, & ducendæ sint digressiones. *Cap. X.*

VT autem ex Euangelij contextu digressiones possint deduci, debet ipse concionator inter Euangelij historiam intercapedines,& interualla quædam facere. Quibus in locis digressiones ingerere, & aptare poterit. Huiusmodi tamen digressiones hæ sint, quæ ad virtutem sectandam animos excitent, & trahant: aut vitium subterfugere moneant. Aliàs esset temporis iacturam facere, & nihil omninò emolumenti capere: ad hæc, audientium animos offendere. Nostri namque muneris est, dum suggestum ascendimus, magis vt fidelibus prosimus, quàm vt acutissimis quæstionibus, & fucatis rhetorum, & poetarum verbis eorum mentes imbuamus, quod magis ad scholas attinet. Itaque inter exponendum Euangelij contextum,cum ad eum fuerit locum deuentum,à quo digrediendum est;axioma, quasi quoddam rei fundamentum, proponat: in quo & prædicandę virtutis commodum efferatur, & vitij illius pernicies taxetur, & ab audientium animis tollatur. Voluntatis namque obiectum bonum cum sit; atq; idipsum appetat: & malum sub ratione mali, abhorreat, & execretur: præstat ad hoc, prædictum introitum sumere, & mox quadam collatione, auctoritate, & scriptura illud corroborare. Quod in prælibato satis liquet exemplo. *Perniciosum, & valde nociuum est, alienam inquirere vitam*. In primis namque incultæ domus exemplo fulcitur: deinde psalmographi auctoritate fouetur, mox Bethsamitarum exemplo confirmatur, qui arcam fœderis inspexerunt: & tandem correptione facta, perficitur dicta Apostoli auctoritate. Dummodo correptio in finem seruetur, aliquando etiam hic ordo mutari poterit: prout Euangelico concionatori videbitur. Et ita quandoque licebit, post ipsam propositionem, & fundamentale axioma, statim ipsam ponere auctoritatem, mox comparationem, deniq; verò scripturam inserere. Aliàs licebit intrare,scriptura,auctoritate,vel tandem collatione. Hoc hucusque prælibatum est, vt satiùs digressio dilucidari possit, varijs inquam vtendo medijs,vt ita pellecta voluntas trahatur absque eo quod iterata verba vicissim repetas, quæ fastidire videntur. Hanc seriem D.Chrysostomus plerumque obseruat in suis Homilijs, in digressionibus, quas facit. Ad hæc licet notare, ipsam digressionem quocumque posse diuerti, aut ipsa propositione,& auctoritate dumtaxat:ita vt mox ad ipsum Euangelium reuertatur. Hoc placuit aduertere. Nam vt exactè fiat concio, expedit nonnunquam, priores digressiones non ita ampliare: vt vltimis latissimus dicendi campus, & fandi copia præbeatur. Vbi rethorices documentum planè obseruatur, nec non in Tragicis fit actionibus. Dũ enim Rhetor, aut Tragœdus ineunt actus,mites,quieti,& sedati exordiuntur:qui quasi succensi perorant, & terminant actiones.Eiusmodi cõcionator dum sumit modum;exordiũ,prior item contextus,& digressio, vna dumtaxat comparatione, & ea breui finiatur. Secunda autem digressio longiuscula sit. Tertia adhuc longior, & magis ampla. Quarta & vltima longior

fiat, & cum maximo ſpiritus feruore ad finem vſque Concionis ducatur. Hos quidem obſeruabat affectus Tullius ille eloquentiſſimus, dum cauſas defendendas ſuſciperet, etenim denique perorans, Iudicum excitabat animos. *Sed finis ſit* (ipſe aiebat) *nec enim præ lacrymis iam loqui poſſum, &c. Vos oro, & obteſtor, iudices integerrimi, &c.* Inſuper aduertendum eſt ne Euangelicus Concionator in hiſce digreſſionibus eo ſit ligatus, & parcis, eoque compendioſis vtatur verbis, vt ipſam propoſitionem ſtrictiſſimis, & ſubobſcuris terminis coarctet. Quòd ſi hunc proponendi modum ſibimet liceat obſeruare, non tamen erga populum: verùm expeditis, & dilucidis ſatis verbis vtatur. Quam propoſitionem ſatis, ſuperque ſatis debet ampliare, & cum ſynonymorum copia viciſſim repetitis extendere: & vtrinque ſe vertat circumcirca proſpiciens auditorium. Exempli cauſa in dicta propoſitione; *Turpe eſt alienam vitam dijudicare.* [Si quis adeſt.
„ qui huc venit, propriam ſalutem exoptans, hoc ſibi ſuadeat, terribile
„ quidem eſſe, de proximis malè ſentire. Nefandum, & tetrum nimis eſt,
„ & Deo odibile, alios temerè, & audacter iudicare. Quouſque abuteris,
„ ò Chriſtianæ Dei munere? Quandiù hoc munus tibi adſcribis? In quem
„ finem veſtra ſeſe effrænata iactabit audacia, qui alienam adhuc inquire-
„ re vitam non deſiſtitis?] Et mox comparationem ſumat. Idem omninò non debet aduertere circa comparationem, authoritatem, exemplum, & ſcripturam. Hic eſt egregius valdè, ornatuſque modus in enarrandis punctis digreſſionum: vtpotè multifariam, multis vocibus, ac varijs encomijs, vt probè ſuadeant, & aſtantium moueant affectus. Non enim qui cathedram prælecturi aſcendunt, parcè Diſcipulis dictant, & modicè documenta ſuadent, ſummis quaſi labijs ea pertingunt, & mox vltra gradiuntur. Quibus maximè conducet, ſi Concionator ea polleat facundia (vernaculi, quod aiunt, ſeu Romani idiomatis) vt ſic peritè, & lepidè prędicans, ab omnibus percipi valeat. Hæc ſi ſors non ſuggeſſerit, hoc ſibi refugij reliquum eſt dumtaxat, ſeſe in cubiculo abdere, ac mente, animoq; euoluere, quas habet digreſſiones prædicare: & ſic variam excogitare ſuppellectilem verborum, & artificioſè mente fabricare, vti vnum varijs nuncupetur nominibus. Ad hæc tam priuatis, quam publicis ſapientum eloquijs aſſuefactus plerumque adſit. Et in ſermonis ſtylo, & dicendi norma ſtudeat: quod ſi hoc ſibi conſilij ſumpſerit, & in hoc valdè exercitatus fuerit, ea denique pollebit facundia, vt quod breui comparauit ſtudio, in poſterum, maximum ſibi emolmentum futurum ſperet.

Vti digreſſiones inueniantur. Cap. XI.

VT longè lateque Concionator poſſit digreſſiones venari ad modum iam dictum, aduertendum illi eſt, multis, varijſque medijs poſſe vti ad hoc, vt aliquid ſuadeat, vt ex Rhetorices documentis liquet. Primò; illud forè ſecurum, iucundum, facile, neceſſarium, vtile, iuſtum, & valdè honeſtum, ſuadens. Qnod iucundum, vtile, & neceſſarium illud ſit, à con-

contrarijs ostendat. Nam cum idipsum iucundum, gratum, & decens sit: hoc difficile, acerbum, & dedecens valdè est. Ita quidem quicumque suadet, hæc & similia media habet subsumere: vt audientium moueat affectus: velut si diceret. Hoc fieri decet, quia valdè securum est: & mox collatione facta, quomodo hoc ita sit, ostẽdet. Quo finito, aliud medium assumat, quod illud sit iucundum ostendens, idq; authoritate comprobet. Deinde in prędicta digressione vniuersali, comparatione facta, licebit medium ponere, quod vtile, aut nociuum illud esse dicat: dummodo hæc comparatio illud medium explicet. Necnon & authoritas confert, vt mediũ contrariũ illi, quod suaderi intenditur, applicetur. Nam secundum Philosophi sententiam, *Contraria iuxta se posita magis elucescunt*. Qua quidem authoritate finita, accedit Sacrę Scripturę exemplum, iterum confirmando, quod maximè congruat illud in propositione vniuersali assumptum; idque fieri ex eo, quod vtile, & honestum illud sit. Et hoc explicabis Sacræ Scripturæ exemplo. Hoc facili negotio inuenies, vti quæcumque amplietur digressio. Cuius exemplum in dicta digressione habetur; quæ quasi omnium dicendorum exemplar debet esse. *Turpe est alienam inquirere vitam*. Hæc est propositio, & dogma vniuersale. Ad hoc roborandum, & suadendum, primum medium subsumptum comparatione intrauit; in quo planè ostẽditur, quantum sibimet noceat, qui alios temerè, & audacter iudicat. Nam quemadmodum si propriam domum desereret, diuturnitas temporis in causa esset, vt labefactata ruinam minaretur; idem eueniet ijs, qui alienam vitam librantes, à se prorsus discedunt; qui quasi longinqua petentes loca, sole ęstuant, & iniustè aliena prędia inuadunt. Declaratum est hoc medium, ostendendo vitij huius nocumentum psalmographi authoritate dicentis: *Psal.37. Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*. Tertium verò medium assumptum ad mouendum, fuit illud primum confirmare, scilicet, hoc temerarium iudicium obesse nimis, Sacræ Scripturæ exemplo fulcitum; dum tot ex Bethsamitis Deus occidit; explicando, propterea quod arcam fœderis temerè, & audacter inspexerunt. Hinc sanè commodum est subsequuturum, & eis adueniet, qui alios non iudicauerint. Mensuram bonam, & confertam: quam obtinuerunt, qui ab hoc se cohibuere iudicio. Itaque si probè conspicias, gemino dumtaxat rhetorices medio hæc digressio increscit, & augetur: nimirum temerè iudicandi nocumentum, & contrarię virtutis vtilitatem ostendẽdo. At quia hoc primum mediũ comparatione intrauit, auditor non fastidiet: quamuis comparatio, & scriptura idem sint. Obiter tamen licet notare; ne loquendi, & procedendi series fastidium pariat, huiusmodi ordinem obseruandum. Vt dum ponitur quoddam medium, statim eius contrarium sumatur: & mox ad primum reuertatur, scriptura, comparatione, & authoritate. Denique aduertendum est, quod ex prædictis satis liquet, quemadmodum quamlibet digressinem magis, ac magis ampliare poterit. Nam si in duobus medijs præscriptis dumtaxat, serie iam dicta obseruata,

scili-

ſcilicet authoritate, comparationeue menſuratis tam ampliari cernimus; Quid ſi authoritate, ſcriptura, & comparatione hoc geminum fulciatur medium?

Vti comparationes inueniantur. Cap. XII.

OPortet eum, qui comparationes deducere, & inuenire ſtudet, priùs illud, quod habet comparare, conſpiciat: & inſtar cathegoricæ propoſitionis terminis perſtringat, ſubiecto, copula, & prædicato conſtantis. Vt ſi hoc comparare placuerit, *Præſtare nimis; peccatum excutere, & ab eo protinus diſcedere*. Hanc propoſitionem in mente reponat, quæ ſubiecto, copula, & prædicato conſtet, dicens. *Homo peccare deſinat quam primum*. Hoc ita habito, ſciendum illi eſt, comparationem poſſe fieri, aut in ſubiecto, aut in prædicato, vel in ipſa copula, aut in tota propoſitione, vel in duabus partibus dumtaxat. Verùm dum magis completa fiet comparatio, elegantior, pulchriorque erit. Et notare licet; ipſam, quam aſſumit comparationem, maximè debere aſſimilari propoſitioni, & quòd ſit litteræ congrua ſimilitudo, vrbana, domeſtica, non extranea, & à communi loquendi vſu abhorrens. Proptereaque in toto, vel in parte ipſa collatio, & res, quæ fertur, communicent, velut ea, quæ natura ſymbolizant, ſiue bonum, ſine malum illud ſit. Atque idcircò diuerſa creaturarum genera, tam turpis, ſeu nociuæ qualitatis, quam boni genij, & naturæ, vt completa ipſa comparatio fiat, vel in parte, inquirat. In dato exemplo inueniemus ſubiectum, quod eſt, *homo*, & illud eſt quid bonum: Et prædicatum quod eſt *peccatum*, & illud eſt quid malum, ſeu nociuum. Modò ad aliquod malum comparandum, pleraque ſunt turpis notæ, & qualitatis, quę in toto, vel in parte aſſimilantur. *Eaſunt, lutum, toxicum, aſpis, venenum, captiuitas, vlcus, limus, baſiliſcus, &c.* Vt hominem frugi ſignificemus pleraque ſunt eximiæ naturæ: quibus ſaltem in parte licet comparare. Ea ſunt ſicut, *Sol*, *æther*, *Princeps*, & huiuſmodi cætera, quæ bonum in toto, vel in parte dicunt. Sunt & alia multa, quæ ſuapte natura ſymbolizant, aut ex parte conueniunt cum humana natura. His ita præhabitis facili negotio comparationem quamcumque inueniet, vt vtraque extrema, vel ſingula dumtaxat conferantur. Ad ipſum namque verbum facilè inuenietur comparatio. Illud in mente percipiens facillimè comparabit illam propoſitionem. *Vnuſquiſque fugiat peccatum*: cuius hoc modo comparatio fiat.
„ [Nonne ſi ad lapidem offendens rueres, protinus ſurgere, & ſtare cona-
„ reris? Numquid ſi vipera, aut baſiliſcus in tuum reptitans pectus irrue-
„ ret, mox nō diſcuteres? Quare igitur erga peccatum non te geris hoc mo-
„ do: quod paulatim in profundum te ducit Inferni?] Hic & in ſimilibus comparationibus ſolum peccatum fertur, quod prædicati rationem ſortitur dumtaxat; ſubiectum ſiquidem adhuc non comparatur: Quod ſi pla-
„ cuerit ingerere, hoc fiat modo. [Nonne volucrem ab aucupe deceptam,
„ retibus illapſam, alis concutere pectus, & huc, illuc volitantem, la-

„ queum

,, queum euadere anxiè quærentem vidistis? Eiusmodi te, ò miserande, qui
,, in peccati illapsus es pelagus, atque hostili manu oppressus, mox audere
,, decet, & helluonis inimici manibus elabi. Numquid Regnum si compi-
,, lasset Turca, Principem nostrum manibus post tergum habere congruum
,, esset? insuper & solium lætus teneret suum? Nonne mox accinctus bella
,, daret? Cur igitur, ò miserande, hostile non fugis Imperium: & pecca-
,, ti labem dolore transfixus non expectoras, & eliminas?] Hoc ipsum debet obseruare Concionator, quādo data comparatione fiat digressio: vt eligat medium, quod placuerit, & illo comparationem intret, quodque in mente reponat, instar cathegoricæ propositionis, & ita subiecto, aut prædicato illud comparet, veluti dictum est. Quod in superiùs facta digressione factum cernimus. Datis namque subiecto, & prædicato in illa propositione, *Odibile, & perniciosum valdè est, alienum inquirere vitam*: assumptum priùs medium ad hoc confirmandum quadam comparitione suasimus, vtpotè maximum nocumentum, quod eos subsequitur. Vbi compatatio solum cum subiecto intrauit. Vt cum dicimus: [Per aliena prædia vagantes,
,, & propriam deserentes domum, vt reptilium habitatio fiat, & tandem
,, ruinam minetur: hi quidem insani putandi sunt.] Huiusmodi inueniendi comparationes modum, non posthabendum censui, nec ab Euangelicis propugnatoribus ex eo, quod nimis laboriosus, implicitusque sit, omittendum. Quod si in principio non nihil difficultatis inuoluat, breui tamen temporis vsu omnem claritatem, omnemque perspicuitatem obtinebit. Ita vt prædicto discursu probè habito, pleræque sese offerent comparationes, prout libebit, nec ingenti labore, opera, aut studio adhibito. Has quidem comparationes non decet vilipendere, quippè cum lepores quidam sint, & qui Concionem maximè decorant. Quibus & ipsum Euangelium scatet, & Prophetiæ vndique plenę sunt: & Christus Dominus, vt planiùs ac luculentiùs suam doctrinam, ac dogmata traderet, & vt tenaciùs cordibus audientium adhærerent, comparationibus, ac parabolis vtebatur. Ad eas verò, quas Euangelicus Concionatot comparationes inuenerit, vt dictum est, plerisque alijs licebit comparationibus vti: & quibus abundat Chrysostomus: & nostris etiam temporibus Hector Pintus in Esaiam, & Ezechielem Prophetas, egregijs quidem, & acutis comparationibus assiduè munitus: & Raulinus in suis Concionibus; & Ioannes de Sancto Geminiano, qui exactum ex his comparationibus librum edidit.

Vti authoritates inueniantur. Cap. XIII.

VT autem faciliùs Sacræ Scripturæ authoritates inueniri queant, illud expedire videtur, vt singulis diebus Concionator Euangelicus nonnihil scripturę lectioni vacet, eamque quotidie perlegat. Et, vt superiùs diximus, albeolum, seu excerptorium quaternionem habeto cum indice alphabeticis characteribus signatum, in quo sua serie virtutum, atque vitiorum, insuper omnium, quæ ad suggestum spectare videntur, inscriptiones, seu

Vti exempla Sacræ Scripturæ inueniantur. Cap. XIV.

QVod autem in superiori capite duodecimo dictum est de comparationibus, maxmè quidem videtur facere ad Sacræ Scripturæ exempla, de quibus præsens vertitur sermo. Et si quidem idipsum scriptura dilucidare velit, in propositionis modum redigat oportet: atque omnes ferè Sacrę Scripturę historias perlustret, atque euoluat, necessum est; num quępiam sint, quæ ad rem videantur facere secundum illam doctrinam, quam habet prædicare. Quibus sic habitis, cum verborum delectu, vt satiùs fieri poterit, applicet intento. Quę quidem scriptura ad modum exempli aptanda est, vt superiùs capite nono prælibatum est, & Absalonis, Aman, Herodis, & Iudæ exempla comperimus. Inter agendum namque de ijs, alios qui temerè dijudicant, Bethsamitarum historiam, acerbumque retulimus casum, & miserabilem ruinam: propterea quod arcam Domini audacter inspexerunt. Verùm, vt hoc magis planum fiat, & me ab hisce expediam, aliud ponam exemplum. Demus, verbi causa, quod aliquis Concionator pergit enumerando criminis, seu noxæ nocumenta: interim tamen inuenire cupit aliquod Sacræ Scripturæ exemplum, in quo ostendatur, vti peccatum pusillanimes, atque eneruatos, omninoque debiles reddit, & ad benè operandum omninò impotentes, & pigros. Modò aduertendum est; in eo dumtaxat totius rei negotium consistere, vt aliquem ex Sacra Scriptura compares, qui propter peccatum pusillanimis, & effæminatus extitit: & hunc ferto. Quod sanè fiet, ac sese statim offeret, si (vt dictum est) per vniuersas Bibliorum historias discurras, & has mente vicissim euoluas. Quamprimum enim si debiles simul, & peccatores quæras, adest Cain, *Gen.* 4. qui postquam deliquit, ad Deum se obuertit dicens: *Omnis qui inuenerit me, occidet me*, Numquid, ò Cain, paruulus, seu fœmineum brachium, virile pectus expugnabit, vt tuum? En fragilitas, en deliquium animi, quod peperit peccatum. Non secus etiã filij Iacob sese offerent *Gen.* 34. qui eò viribus pollebant, ac robore vigebant, vt solum Leui, & Simon Sichem aggredi ausi sint, vindictam sumentes propter scelera populi. At postquam deliquerunt, & quasi liuidi machinati sunt malum Ioseph fratri suo, sibi inuicem animum adhibentes, dicebant *Gen.* 37. *Venite, & occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem*. Vide, vt contra paruulum decem viri insurgere nituntur. En peccati fragilitas; en criminis quassatio; en vitij desidia; en noxæ inertia: & quam germinat ignauiam, aspice, vt fortia comprimat pectora, atque erecta humiliet. Insuper & Samson sese ille offeret, *Indic.* 16. qui ardenti animo, eximioque, labefactatus amore, quo Dalilam suam prosequebatur; statim vires iam amisit omnemque fortitudinem perdidit, postquam tonsis crinibus fuit. Quo quidem exemplo narrato, totiusque historiæ cursu dicto, vti Dalila Samsoni maximè indulgebat; verùm quid indè? Maximum vtique nocumentùm successit; nam crinium tonsio: deinde vires vt amitteret, subsequutum est. Quid tandem?

vt luminibus vtrisque priuatum, molere eum hostes fecerint. Eiusmodi inimica caro suis blanditijs, & illecebris velatis, atque captionibus, aduersus spiritum insurgit, teneras quasi amicitias iniens, instar Dalilæ Samsoni, & morti nos tradit. *Caro namque, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur: vt non quæcumque vultis, illa faciatis*; vt Paulus inquit *Gal.*5. Hinc ortum habet, vt omnem gratiæ vim, omnemque energiam amittat: atque liberum arbitrium ita debile, & penè languidum remanserit, quod sine peculiari Dei auxilio surgere nequeat. Quod si de Pharisæorum calumnia, atque versutia prædices, qui ad Christum venientes, anxias quæstiunculas, dolosis prætextas verbis obtulerunt; eum coram laudantes, verùm clam detrahentes; tunc pariter, vt dictum est, euoluito quasque sacras historias. Et adest tibi Ioab.2.*Reg.*20.qui sereno vultu Amasa fratrem suum salutauit, & pacis osculum dedit, verùm pugionis ictu eius transfixit tergum. Et mox Absalon, qui sub religionis prætextu, & sanctitatis tegmine facultatem eundi in Hebron à patre postulauit, & vota, quæ altissimo vouisset, fingens 2.*Reg.*15. Vtquid? Regi dumtaxat vt dolum machinaretur, regnumque compilaret patris. Quod si lucri turpis cupidorum deprauatam, & abstrusam intentionem ostendere conaris, adsunt tibi, Abimelec Gedeonis filius, & Absalon Dauid natus, & Adonias, Ieroboam, Athalia, & alij quamplurimi. Libellus etiam cognominatus. *Exempla scripturæ* iuuabit. Quorum cognomenta præoculis habeto. Ad hæc maximè iuuabit, si ipse Concionator in Sacræ Scripturæ lectione varia eò fuerit versatus, vt cuncta ferè Bibliorum notanda memoria teneat, & ipsi tenaciter hæreant. Hoc verò documentum, de modo inueniendi exempla, magnam sortiri videtur cum duodecimo capite similitudinem, in quo de comparationibus est prelibatum, & quomodo inueniantur. Verùm, quod maximè videtur facere ad stilum, & concionandi seriem; per Euangelij contextum passim discurrere, mox digredi, vt dictum est, earumque vltimam digressionem ampliare, ac dilatare ad summum poteris, & spiritus feruore eam absoluere: & sic Concionem perstringere. Cuiusmodi dicendi characterem ferè semper obseruat Chrysostomus, qui prædicationis munere eximius extitit, & peculiaris fuit. Et plerumque vtitur Gregorius in suis Homilijs, qui litteræ contextum explicans, interim doctrinas deducit, & vicissim, iterumque digrediens, Euangelium luculenter exornat. Has quidem digressiones modò ampliat, nunc congruè differt, aliàs veteris legis exemplis, authoritatibusue fulcit, vt ad rem melius facere videtur.

De Correptionibus. Cap. XV.

IN hisce digressionibus (de quibus noster modò vertitur sermo) quæ quidem comparationibus, authoritatibus, & exemplis fulciuntur, atque scriptura, congruum vtiquè videtur; vt postquam Concionator stilo magi-

magistrali, documenta tradidit Euangelica, terminetur digressio quodam spiritus feruore, adiuncta correptione. Eiusmodi namque terminandi modus, præterquam quod vtilis valdè est, atque maximè congruus, ad hæc efficit, ne Concionator tepidè, & insulsè digressionem perstringat. Eo namque modo ferè semper Diuus Chrysostomus vtitur, peculiariter in homilia decima nona in Genesim. Quam primùm enim breuiter conclusione data, & Sacræ Scripturæ citatis locis, mox aduersus turpis lucri cupidos insurgit, & auaritiam acerrimè taxat. Deindè in Homilia quartadecima, postquam audientium excitauit affectus, & summis quasi precibus, vt ineffabilis Dei erga hominum genus pietas, & misericordia, eorum tenaciter hæreat memorijs; seriò admonet, vt quod reliquum est quadragesimalis temporis, non modò cibis, & potibus, verùm & vitijs parcant; insuper euersæ, & penè labefactatæ corrigant vitæ mores. Quapropter vt superiùs capite 9. illo communissimo, & tam vulgato exemplo: *Iniquum est, alienam vitam dijudicare*: comparatione, scriptura, & authoritate posita, mox completa est digressio illa, quadam animaduersione ad populum facta, in hunc modum. *Num vitæ cursus sempiternus est? verum cum strictissimus ille sit, impensa opera non est opus*. Authoritate hanc reprehensionem confirmauimus Apostoli ad Romanos dicentis *cap.14. Tu quis es, qui alienũ iudicas seruum?* Hic prædicandi stylus nimium præstat: in eo siquidem vitiorum ostenditur turpitudo, atque cauillatio; insuper eorum criminum patratores viua, atque terrifica voce dignissimè corripiuntur. Hoc eodem dicendi stilo vsi sunt omnes antiqui patres, & Dei Prophetæ, quorum quidem Prophetiæ durissimis pullulant, & acerrimis scatent minis, & exemplis. Non secus Redemptor noster in verbis Euangelicis: eiusque Apostoli vsi sunt. Quapropter Euangelicus ille Concionator, qui suggestum ascendens, nimium acutis, & speculatiuis se inuoluit dubijs, longè abest, tam vt plurimos in horrea Domini sui congreget fructus, quam etiam vt emolumenti quidquam percipiat. Quod si egregium verbi Dei ministrum se autumat; sui muneris exactor optimus vt sit, quæ rationabilia sunt, prædicet oportet, humilia humilibus, non ea quæ supra vires sunt, sed quæ attantium mentes capere valent. Ob id quandò in Euangelij contextu de Auaritia, Gula; Hipocrisi, Luxuria, agitur &c. Aut cum Christus Dominus Iudæorum increpat duritiam, aut taxat criminum perniciem, eorum versutiam redarguens; ipse quoque Concionator debet indignari, & ad fidelium cętum sermonem conuertens acerbissimis, atque terrificis verbis eadem met crimina reprehendat. Exempli causa. Quando Christus redarguit Pharisæorũ turbam, qui quasi Zoili obtrectabant, dixit *Matth.15. Quare vos transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras?* ad populũ conuersus,
„ tu dicito. [Hoc ipsum nostris temporibus fieri cernimus, in quibus princi-
„ pes, atque præfecti nimiũ zelantes à se latas, atque sancitas leges, intrepidè
„ quidẽ putant, legem Dei pro suis nouis impositionibus posthabendam: ac
„ subindè Christi documenta contemnunt.] Idem pariter cum dixit Pha-

risæis *Ioan*: 8. *Qui sine peccato est, mittat in eam primus lapidem*: dicito
„ tu. [Ita sese modo habet res: plerosque enim videas, maximè Dei ho-
„ norem qui se zelare prætendunt. Hi molestè, grauiterque ferentes alie-
„ na crimina, ea vel leuissima, ad vnguem puniri desiderant, cum suas vel
„ grauissimas noxas non coniectent. Festucam quippè in proximorum ocu-
„ lis aspicientes, trabem in suis non considerant.] Acturus de vinea Euangelij, cum Dominus misit seruos suos ad agricolas: tandem filium suum è medio tollentes; ad hęc Domini sui bona vsurpare conabantur, dicentes *Matth.* 21. *Hic est hæres &c.* ibi poterit Concionator hominum ingratitudinem taxare: siquidem cùm maxima beneficia de manu Dei susceperimus, quo maiora esse nequeunt, diuinis charismatibus insigniti spernimus nobilissimum pignus. Iudæi namque typicè susceperunt manna, nos verò Angelorum escam, viuificum manducamus panem. Hisce, & plerisque alijs muneribus nos affecit: sed iterum delictis nostris Christum crucifiximus, vt inquit Apostolus *Heb.* 6. & criminum pessulo ostium ineffabilis Dei misericordiæ patulum obdidimus: & quod liuore suo reserauit, nos peccati crimine obturamus. Huiusmodi concionandi series, nimiam continet vtilitatem, ac multum emolumenti parit. Parum namque refert, minùsue fœneratorem mouet, aut turpis lucri cupidum minùs confundit, quod Pharisæorum hypocrisim refellas, aut auari illius luxuriem detesteris, vel Sacerdotum legis ingratitudinem redarguas: quinimò de obiurgationibus eorum oblectantur fideles. Cæterum si inter agendum de eorum vitijs sermonem suum ad fidelium cætum conuertat, ostendens eis versutiam, ac malitiam suam, instar Pharisæorum: & quomodo grauissimum promerentur supplicium, & quod quandoque fiet, vt pœnas luant: siquidem fideles cùm sint, eadem Ethnicorum crimina patrant; tunc quippè illi grauiora subibunt tormenta, qui Christum optimè cum nossent, maximis conuicijs in eum irruerunt; liquidò hinc patet eiusmodi taxandi modum nimium vtilem fore animabus. Namque præcipuum Concionatoris munus est peccata populi reprahendere. Quos tamen Euangelicæ doctrinæ præcones monitos vellem. Magna enim prudentia requiritur, maximumque hoc taxandi opus discerniculum postulare videtur. Ea namque sagacitate vigeat oportet, vt neminem omninò suis parum libratis verbis scandalizet. Det tamen operam, vt eius correptio ad omnium vtilitatem, & vitiorum euulsionem prosit; non autem indignationem, seu scandalum, pariat. Exemplum est nobis aptissimum in ea satis pensata, diserta, ac præclara correptione Nathan Prophetæ 2. *Reg.* 12. mox atque aggressus est, Regis Dauid nefanda crimina reprahendere. Eo namque verborum delectu illius parabolæ sigillatim verba librauit, & eorum, quæ aggrauant culpam annexa discussit: nec non & sermonis lepore, quadam energia, in ea verba prorupit, vt coactus Dauid in se tulerit sententiam. Absit autem vt quemquam peculiarem taxando indices, aut turpi affectum nota verbis demonstres; vel occulto aliquo labefactatum crimine notum facias: ne inde

populus

populus coniectet, aut planè cognoscat, in quem talis correptio illata est. Hoc habet intelligi, cum eiusmodi crimina non sunt admodum exorbitantia, & in scandalum pullulantia: tunc enim publicè increpanda sunt: non exprimendo personam, idq; postquam, & correptio præcesserit, & talis labefactatus disciplinæ capax fuerit. Quòd si tunc scandalum oriatur, parum refert. Nam secundum Iuris præceptum, *Facilius scandalum oriri permittitur, quam quod veritas relinquatur*. Non secus Redemptor noster fecit, cuius actio, nostra est instructio. Qui palam, non priuatim, aut singulis quibusque, sed potiùs conuocatis, & conuenientibus in vnum Pharisæi, & legis peritis, eos quidem viuæ vocis energia hypocritas appellabat *Mat.* 23. & simulacra, atque monumenta forinsecùs dealbata, & coloribus fucata, intrinsecùs tamen ossibus, & vermibus scatentia. De quibus ad populum conuersus dicebat. *Mat.* 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam Pharisæorum, & scribarum: non intrabitis in Regnum cælorum*. Et in Euangelio Ioannis habetur *Capite*8. *Vos ex patre Diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere*. Insuper & Domini præcursor execrandum, atque incestuosum Herodem palam increpauit, *Mar.6.* & durè nimis. Et Apostolus quoque Philetum, Hermogenem, Hymeneum, Alexandrumque proprijs nominibus appellat. Et ad Timotheum scribens, admonet, vt populi noxas publicè redarguat, & peculiariter nullis omninò specialibus criminibus parcat, quin palam ea euomat, & viriliter 1. *Tim.*1.

Ad hæc aduertendum est Concionatori, ne huius rei ignorantia teneatur: etsi probabiliter, aut per reuelationem cognosceret, doctrinam suam minùs fore profuturam, vt peccatores à peccati labe, discedant Cæterum vt sui muneris debitum pensum absoluat, ab incepto ne desistat, & correptionum, minarumque rore ignita hominum scelera extinguat, atque coerceat. Præcursor namque Domini, qui *plusquam Propheta* nominatus est, *Matt.*11. & spiritu Dei delibutus; nec latebat eum, penè induratum, & obstinatum Herodem forè: tamen execrandum eius vitium iterum, ac iterum increpabat, vt impensi muneris debitam, & exactam persolueret operam. Sed quid plura? Num redemptorem nostrum delituit, seu aliqualiter illum fugiebat, obstinata omninò euersa Pharisæorum corda fore? Numquid de eorum desparata salute quicquam sperabat? Verùm ipsam veritatem ne celaret, prædicabat. Igitur cum ea sit rerum vicissitudo; & humana natura (vt eius est fragilitas) in omni vitiorum genere fuerit volutata, & nefandis insultibus labefactata, quamuis maximus Deus tibi reuelasset, nequaquam futurum esse, vt hi scelesti, & improbi quique homines conuertantur, propterea minimè increpare desinas. Ne fortè huius criminis contagium increscat, & aliorum animas euertat. Sed ipse vi; & energia correptionum, vsum peccandi cohibe, & aliquantulum coerce, vt eos deinceps pudeat peccare, & tantum Deum offendere.

Hæc omnia intelligenda sunt, vt eo modo dicantur, quo populus planè cognoscat, non propter aliquam libidinem, aut appetitum vindictæ eadem

ferri,

ferri, ſed tantum vt Maximi Dei afferatur, & zeletur honor, & peccandi vſus funditùs eradicetur, & fomentum hoc euellatur. Quod in ipſo concionatore facilè reperitetur, ſi non petulantia, ſed quadam modeſtia; non iracundia, ſed lenitate, & Chriſti feruida charitate increpauerit. Nam vt diuus Chryſoſtomus inquit, nihil ita confert, vt ille, qui audit, perſuadeatur, ad reſpiciendum quæ dicuntur; ac ſi cognoſcat, quod cum magna dilectione dicuntur. Nec difficile admodum eſt perceptu, an ipſe concionator habeat charitatem, & zelum proficiendi: quod in eius verbis facile cognoſcetur; & in procedendi ſerie conſpicietur. Quod ſi rei ſcopum velis attingere, hoc tibi conſilij do, vt omni proprio amore omiſſo, nec non & appetitu vindictæ, hæc te moueant dumtaxat, Amor Dei, & tui proximi ſalus. Et ſic ea vrbanitate, & modeſtia increpabis, qua expedit. Non enim congruet, inurbanè, aut infeſtè, minuſue modeſtè loqui. Vitiorum ſiquidem turpitudinem licet examinare, abſq; eo quod lingua aberret maledictis alios laceſſens, & petulantiſſimis conuitijs in alios irruens. Propterea caueat, in pulpito forſan dixerit hæc vocabula, *ſcelus*, aut *ſceleſtus*, Hiſpanicè, (*vellaco, ò vellaqueria*:) quamuis de turpiſſimo, aut ſceleratiſſimo quouis homine ſermo fiat, vt de Luthero, &c. Namque Euangelicus concionator maximè perſpectus, & vrbanus debet eſſe, qui ſpectaculum factus eſt omnibus. Sed loco eorum hiſce æquipollentia proferat vocabula, vtpote, *iniquitas, iniquus, abbominatio, inſultum, exorbitantia, aut nefanda crimina, mens inceſta, animùs impurus*, & hiſce ſimilia.

Caueat tamen, ne fortè excandeſcat nimis, & quaſi effrænis equus currens, immoderatè taxet. Ira ſiquidem cohibenda eſt. Nec in doctrina admodum rigidus eſto, ne tua magis ad æmulationem, & deſperationem correptio faciat, quàm ad ſalutem animarum. Medici namque dulcibus & lenibus amara, & acria ſolent medicamina temperare: & pillulas deargentatas præſtare languidis. Et inſtar illius Samaritani, qui vinum ſimul, & oleum vlceribus infirmi applicuit. Iſto modo Euangelicus concionator in fine concionis illecebris, & blanditijs ſuadeat. Cuiuſmodi ſerie D. Chryſoſtomus plerumque conficit, atque terminat ſermonem, cuius loca, breuitatis cauſa, miſſa facio. Quinimo concionator iam terminaturus concionem, ad Deum conuerſus, mox ad populum, eos exhortetur, & viciſſim moneat dulcibus, & ſedatis verbis, vt mores corrigant; amorem, paſſionem, & Chriſti reuerentiam eis proponens. Eoque fiat modo, vt quamuis propter correptionem antea confuſi fuerint, modò conſolentur: & tantum offendiſſe Deum eos pœniteat.

Obiter tamen licet aduertere, ne presbyteros palam, & coram populo ex aliqua peculiari labe eos corripiat, aut notet. Quod ſanè fieri poterit in ſuis capitulis, ſeu congregationibus priuatim. Etenim, ſi eos coram populo taxet, correptio ſolum faciet, vt dignitas ſacerdotalis vilipendatur. Hoc enim abijt in vſum, vt ipſe populus ſacerdotum crimina, ſeu monachorum defectus audiendo maximè congaudeat. Quapropter presbyteri

ri eiusmodi, si taxentur, deteriores fiunt, & duriores corde: insuper & scandalum oritur. Verumtamen de auaritiæ peccato, luxuriæ, libidinis, ambitionis, &c. cum sit correptio: tam sacerdotes, quàm alij cæteri homines comprehenduntur.

Vt autem ab his me expediam, monitum velim Euangelicum præconem, quod adhuc si aduentitius in populo quodam fuerit; ne illius populi, quæ nouerit, peculiaria, nimis rigidè, & quadam auctoritate reprehendat: audientes enim non æqui, & boni consulent: sed quod prædicandi copia non tibi suggessit, aut occurrit suspicabuntur, ob cuius penuriam, in eos taxandos dilapsus es. At quod initio tenetur facere, primum illud est, aliquot prædicare sermones, & hos egregios, in quibus pro viribus, & perdoctum, & sapientem se præbeat omnibus. Postea verò cum erga populum celebre nomen sortitus fuerit, & pro benè docto, & erudito habitus, & diuino flamine delibutus, & virtutibus insignitus: tunc quidem auctoritatem habebit increpandi. Maximi namque interest, vt populus de ipso benè audiat, ad hoc, vt eius documenta libenter percipiat: & correptiones æquo animo ferat. Neoterici quidem, & quasi iuuenes ætate, non habent tantam auctoritatem ad increpandum, velut iam senes: propterea que ne nimium reprehendant. Adhuc item iuuenes quique concionatores luxurię, seu carnis vitium non reprehendant: sed ipsi dumtaxat senes, hique raró; & satis libratis verbis, non obscœnis, aut turpis notæ vocabulis vtantur. Cæterùm hoc vitium acriter reprehendant, referendo Sacræ Scripturæ exempla: vt planum fiat, quot, quantisque generibus suppliciorum hoc tantum, tamq; graue vitium Deus puniuit, & durissimam huiusmodi peccatoribus pœnam imposuerit.

Quomodo increpandum sit: & ex Euangelio vti correptiones sint deducendæ.
Cap. XVI.

COlor Rhetorum est, quod quando quis habet taxare aliquod vitium, inquirat aliquid peculiare mali, per quod alijs præferatur vitijs: ad hunc quippe modum illius criminis fœditas, & turpitudo magis liquet, eiusque versura planiùs constat: vt dum magis dehonestatur magis omnibus fiat exosum. Exempli causa. Si superbiæ taxetur peccatum, licet, ipsum concionatorem non solum huius vitij turpitudinem demonstrare, verum facta comparatione ad alia crimina, illud abijciat magis, dicens. [*Hoc*
„ *vitium* adeo execrandum est, & Deo odibile, quod cum reliqua vitia no-
„ ciua, & iniqua sint, Deus tamen, vt tantum curet languorem, permittit, vt
„ in reliquis offendamus peccatis. Vnde fit palam, omnium turpissimum
„ esse vitiorum. Nusquam enim vnum toleratur malum; nisi vt alterum
„ vitetur peius, vt in populis & ciuitatibus fit. Mulieres siquidem publicæ
„ permittuntur, deteriora ne fiant scelera. Loth etiam filias suas innu-
„ ptas, & adhuc cœlibem vitam agentes, Sodomitis tradebat, vt stupen-
„ dum, & execrandum aboleret peccatum. Propterea, vt superbiæ Deus

„aufer-

,, auferret languorem, alia tolerasse crimina cernimus, vt liquet in D.Pe-
,, tro,cuius vt arrogantiã Christus propulsaret, illũ negare permisit: vt sic suæ
,, nimiæ fragilitatis agnoscens languorem, alios non aspernaretur. In vlti-
,, ma enim cœna dixit de se. *Matth.26. Es si omnes scandalizati fuerint, ego*
,, *autem non scandalizabor*. Idem omninò legimus cum Dauid factum,
,, 2.*Reg.*11. quem priùs in homicidij adulterijque flagitium labi permisit,
,, vt tandem illum humiliaret. Ait *Psal.29. Ego dixi in abundantia mea, non*
,, *mouebor in æternum*. Quid inde? *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum*
,, *conturbatus*. Insuper; alia queq; vitia certis temporibus suas quandoque
,, relaxant operationes. Namque carnalis, & luxuriosus sæpè tepescit, &
,, sui vitij obliuiscitur. Etiam voraces, & gulosi,&c. At superbus, & elatus,
,, vbique,& semper,tam publicè,quàm priuatim suum exercet munus.]

Quòd si luxuriam reprehendat, dicat,vt [Reliqua crimina vnam partem
,, hominis vtpotè ipsam animam, contaminant; at luxuria corpus, & ani-
,, mam, vtrumque corrumpit, quod est templum Dei, iuxta illud Pauli:
,, 1.*Cor.6. Nescitis,quòd corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti? Qui vio-*
,, *lauerit templum hoc, destruet illum Deus.*]

Si verò auaritiæ increpet vitium, dicat,[quòd si reliqua crimina contra-
,, hentibus illa, obsint, alijs tamen emolumento sunt. Vorax namque ob-
,, sonatoribus, & coquis opiparas, lautasquè parantibus dapes, suggerit
,, alimoniam. Sutores quoque purpureis, sericisquè se induens vestibus di-
,, tat prophanus. Nec non & fabris machinantibus ædificia, & laqueata
,, struentibus tecta,superbus nummos impertit; & quos famulorum turba
,, comitatur, & quibus ministrantium astat multitudo, hos alunt, & pa-
,, scunt. Cæterùm auarus nemini prodest, omnibus autem obest, qui fru-
,, menti obturata ne reseret horrea, fame miser perit, & alios perire facit.
,, Ideò scriptura ait: *Eccles.*10. *Auaro nihil scelestius*. Item. Cuncta vitia
,, temporis cursu deleantur, sola auaritia est, quæ senecta virescit. Quare di-
,, ctum est. Senescente homine, cuncta vitia senescunt, sola autem auaritia
,, iuuenescit. Et Poeta: *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.*]
Sufficiant adducta exempla. Idem namquè in reliquis vitijs exemplificari potest, dummodò prædicta series obseruetur, videlicet quod fiat comparatio vnius ad aliud: ita namquè illius vitij magis claret fœditas, & malitia.

Sed quæres modò quonam pacto prædictæ correptiones ex ipso Euangelio deducantur. Respondeo vtique quod bifariam. Vno modo positiuè, alio modo à parte contraria. Primus est; quando in Euangelio taxatur aliquod vitium, & tunc deducere facillimum est: velut cum dicit *Luc.*15. de illo prodigo,qui consumpsit omnem substantiam suam luxuriosè viuendo: in quo quidem nostri temporis luxoriosi increpantur, qui animam suam, bona sua, & denique honorem amittunt. Et in illo quando Pharisæi venerunt ad Christum dicentes: *Matth.22. Magister scimus, quia verax es &c.* Facta quippe est correptio aduersus adulatores, & detractores; *Prou.*11.

Simu-

Simulator ore decipit amicum suum. Etiam cùm Euangelium tractat de vitijs illius auari, *Luc.* 16. liquet correptio aduersus voraces, & indumentorum luxum, & contra eos, qui erga pauperes, & egenos se præbent impios, & parum misericordes.

Secundus modus est, si cum Euangelium tractat de aliqua virtute, tunc eius contrarium vitium taxetur. Vt in Dominica quarta post Pentecosten ait S. Lucas *cap.* 5. *Cum turbæ irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei.* „[Animaduertite huius turbæ feruidum, & anhelantem spiritum: qui vt „ verbum Dominicum audirent, irruebant magna cum deuotione. Secus „ tamen nostris modò fit temporibus, quos virgis, nec impulsibus in Eccle- „ siam trahas.] Et in Euangelio illius fœminæ adulteræ vbi inquit S. Ioannes: *cap.* 8. *Perrexit Iesus in montem Oliueti, & diluculo venit in templum:* „ *& omnis populus venit ad eum.* [O quanta fuit huius populi deuotio, & „ diligentia qui summo manè, vt verba Domini audirent surrexerunt. „ Modò verò non diluculo, sed ad meridiem vsque dormitantes, dum iam „ terminatur Concio, adsunt.] Et in illo Euangelio diei octauæ Sancti Petri Apostoli vbi inquit S. Matthęus *cap.* 14. quod Petrus dixit ad Iesum: „ *Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas.* [Nunc verò non fit ita, „ nec ire volunt, sicut D. Petrus: sed Christũ ad se venire volunt, rem sacram „ intra domesticos parietes celebrantes, & quod arca fœderis in templum „ Dagon feratur, sicut illi ethnici volebant: & in eodem altari, vbi erat „ Dagon, deponi, 1. *Reg.* 5. Hi etiam in domibus suis, abhominationibus, „ & idolis plenis, receptaculis aleatorum factis, vitijs carnalibus, & vo- „ racitatibus imbutis Corpus Dominicum cohabitare præsumunt.]

Cum de S. Andrea fit sermo, vel de aliorum Apostolorum aduocationibus, inter agendum de prompta, & celeri eorum voluntate in exequendis „ Dominicis præceptis, siquidè statim secuti sunt eum. [Nos verò obturan- „ tes aures plerumq; vocati cum simus, non eas patulas præbemus, nec fi- „ bilis, & vocationibus Dei obsequimur. Sed non impunè quidem feremus. „ Audite Dominum dicentem *Proue.* 1. *Vocaui; & renuistis, ego quoque in* „ *interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum id quod timebatis, vobis aduenerit.*] Sufficiant dicta exempla, vt quisque sapiens, & ingeniosus Concionator exhauriat vitiorum correptiones virtutibus aduersantium.

De alio modo ampliandi digressiones, Cap. XVII.

Vt autem Concionator Euangelicus in hisce tribus supradictis loquatur, scilicet comparationibus, authoritatibus, & scripturæ exemplis, correptio non semper est adhibenda; quamobrem hoc medium obseruabit. Nam si id ipsum, de quo pertractat, consilium aliquod sit, aut commune quicquam ad Dei cultum spectans: tunc ponat casus, tribus iam prælibatis (quæ ad vitia spectant) obseruatis. Radices, namque: & quasi fundamenta malorum ea sunt, superbia, luxuria, auaritia & horum affectus. Quod si de vitijs, seu de virtutibus peculiaris sermo fiat, sumat

casus ad triplicem viuentium seriem: quarum vna sit equitum, alia seruorum Dei amicorum, vltima verò rei fabrorum, seu Dominantium, aut religionis sectatorum: huiusmodi namque fastidium non pariet. Sed tamē in hisce sermonibus Concionator vulgata, & trita, communesque casus debet sumere: & quæ inter audientes communiter feruntur. Hic nimirum modus maximè vtilis est. Quòd si in principio audientibus durum sit perceptu, & valdè laboriosum: peculiariter tamen, & oculatiùs si hæc attendant, breui ipso temporis spatio dociles, & nimis idonei efficientur: sicut in reliquis comparationibus. Vt autem hoc ipsum faciliùs percipi valeat, aliud insuper addam medium, sub peculiari tamen, & nouo conceptu: vt iucunditatem afferat. Nec non ipsa media authoritate, comparatione, & scriptura fulciam, duobus quidem appositis obseruatis, vt quod dictum est, planiùs intelligatur. Exemplum erit in illud Euangelij: *Misereor super turbam: quia iam triduo sustinent me: neque habent quid manducent Mar.* 8.
„[Omnis languor, omnis infirmitas, omne malum nostrum ortum habet ex eo, quod Christum Dominum non sectamur, vt isti faciebant. „Hinc est quod panem Dei viuificum non manducamus, nec eius spiritualem consolationem degustamus. Vos qui beatifica Dei visione frui desideratis, hanc vobis veritatem suadete: quòd si Deum vultis habere, „virtutis sectatores sitis, ac in ea constantes exhibeatis vos, & fortes. Si „quis adest, qui consolationem Dei expectat, sicut & hos consolatus est „in cepto virtutis, & amoris Dei, stabilem se præbeat, & fortem. Aliàs „Diuinum auxilium quomodo expectas, debilis cum sis in proponendo, & „tardus in exequendo illud? Inquit *Osee 6. Quid faciā tibi Ephraim? Quid* „*faciam tibi Iuda? Mesericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros* „*manè pertransiens*. Attende ò Christiane, verba hæc. Attende tu ò eques „qui adhuc in bono cœpto non perstitisti. Quid faciam tibi, ait Dominus, „qui verbum meum audis, & tot inspirationibus, & optimis desiderijs „animum imbuisti: in nullis tamen perseuerasti, sed quasi nubes matutina, quæ flante funditur aura, deficit quasi ros, optima destinatio, oriente delectationis Sole, & turbine voluptatis ruit? O serue Dei, qui in „dies studes, vt intra temetipsum recipias, atq; in orationis studio te exer„ces, & bonis operibus intentus ad virtutis culmen adspiras; quid faciam „tibi in ijs haud firmus cū sis? Quomodo te præcingis ad bellū, vt mea tibi „conferam bona? Qui quasi nubes matutina, & quasi ros, sic deficis; quo„modo visitationem meam expectabis, qui fortitudinis loricam adhuc non „induisti? O tu qui manuum labore viuis, quid faciam tibi, aut quo modo „me tecum geram, & necessitatibus tuis opitulabor, qui in bonis operi„bus intentus non persistis? O quanta nobis bona suggererentur, si virtu„tem sectaremur! Sectemur Christi Domini vestigia, & in bonis operibus „perseueremus. Nam ipse ait: *Matth.* 10. *Qui perseuerauerit vsque in fi*„*nem, hic saluus erit*. En tibi Dei signaculum: En dictorum conclusio: En „censura: En virtutis stipendium; quod non solùm animam tuam emol-
„liet,

,, liet, verùm & maxima præmia comparabis. Quid bone Deus senties,
,, cum videris homines, hosque paucissimos in bono perstare? Misit Iosue
,, bellatores ex Iericho, vt irruerent in Hai: & expugnauerunt Ciuitatem.
,, Verùm quia Achan filius Charmi, vnus virorum, præuaricatus est,
,, permisit Deus postquam explorauerunt Hai, mox terga verterent, nec
,, expugnare valerent, & ex eis corruerent nonnulli, Quod cum audisset
,, Iosue scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini
,, vsque ad vesperam: & clamans Iosue dixit. *Heu Domine Deus &c.*
,, Mi Domine, quid dicam, videns Israel terga vertentem hostibus suis?
,, Quid faciam denique, hanc penuriam, ruinamque aspiciens? Attendè, ò
,, Christiane hoc vnum interea. Quod Christi Domini virgineum, sacrumq;
,, carnis indumentum crucis patibulum subire, scindi, fodique fecit, illud
,, nimirum fuit instabilitatem nostram intueri. Poterat quippè nos redimere,
,, absque eo, quod nostram fragilitatem indueret, & pateretur;
,, ac nutu dumtaxat nos saluare vtique poterat. Sed inter cætera Doctorum
,, asserta, & causas, propter quas Christus nobiscum habitare voluit, simul
,, & pati, vnum quidem est, vt ostenderet palam, quantum pro peccatis
,, nostris doluisset. O si nosses & tu, quantum Christus doleat, dum
,, quasi canis ad vomitum in idem peccatum recidis, postquam pœnituit
,, peccasse, ac Deum offendisse! Tactus Deus ipse dolore intrinseco fortem,
,, vicemque tuam dolet, eo quod in bono cœpto non perseuerasti. *Amice,*
,, *ad quid venisti?* dixit Iudæ *Matth.* 26. Quamprimum enim coniectauit, in
,, bono cœpto haud perstitisse, & cum traditor in eum irrueret, ab Apostolorum
,, collegio discessisse cognouit, & præuaricatorē effectum eum tradidisse.
,, Vide, ò charissimè, quod humilis, & patiens aliquando fueris, &
,, parum tua retulisse præterea, quod ab alijs pro nihilo reputatus fueris.
,, Modò illud iam pertransijt, & probæ destinationes abierunt, & dissipatæ
,, sunt, & quod facere decreuisti iam oblitus es. O quanto quam maximo
,, Christus Dominus gaudio afficiebatur videns illorum constantiam! In
,, illa hora exultauit Iesus in spiritu. Discipuli Christi accesserunt ad eū gaudio
,, repleti, ex eo quod sua doctrina magnum fructum comparassent.
,, Quibuscum Redemptor noster simul lætatus est, & gauisus *Luc.* 10. Benedictus
,, Deus noster in æternum, cuius filius lætatur cum probè, & secundum
,, rationem tu viuis. Agite tandem. Numquid adest aliquis, qui
,, hoc Christo gratum velit facere? Protinus à malo discedat: & virtutem
,, sectetur. O quam iucundus, & gratus erit! Hæ namque fluctuationes,
,, & tempestates, & varij expugnantium ictus, quos, ne Deum offendas,
,, viriliter sustines, huiusmodi Christo maximè placent. Numquid aderit
,, aliquis, qui placere Christo non studeat, vt illi referat gratiam aliqualiter
,, pro sibi illatis conuitijs, & doloribus? Benedictus, & laudabilis sis
,, Domine mi rex, & bone Iesu: hanc mæstitiam, hosque labores, quos
,, pro me sustinuisti, modò gratus vtcumque soluam, & deinceps mihi perisse
,, præstabit, quam tantam maiestatem offendam. Modò contumelias, &

„ opprobria mihi illata æquo animo feram, & si in me vniuersum insurgat.
„ Agite iam, qui perseuerastis & stabiles in bono fuistis. Vbinam vitam
„ fœlicem degetis, vt victu viuifico pascamini? &c. *Triduò iam sustinent*
„ *me*. Expedit ergo nobis in bono perseuerare, & constantes esse: aliàs hoc
„ cœlesti pane haud potiemur.]

In prælibato quidem exemplo ad viuum (vt aiunt) & planè vidimus hunc ampliandi digressiones modum, cum ampliandi modis. Priùs namque punctum deduximus doctrinæ, quam docemus. Nam sub illo: *Triduo iam sustinent me*, aptatum est conclusioni, quæ intendebatur: ipsa namque assertio erat. *In bono perseuerare*. Deinde mota est digressio cum illa authoritate, ponendo illud medium, nempè damnum quod subsequitur eos, qui in bono minimè perseuerant. In contrariū tamen explicata illa authoritate, actum est cum triplici viuentium serie simul, & cum nocumentis, quæ eis non perseuerantibus aduenient. Deinde opposito modo mota est digressio, eos, qui perseuerant laudando: & hac explicata comparatione cum ampliatione trium casuum, seu exemplorum. Mox authoritatem subsumpsimus cum comparatione, ad ipsam quippè doctrinam confirmandam. Nam cum ipsamet comparatio sit nostræ rationis opus, necessum est simul, & authoritate assumptum roborare. Deindè aliud medium ad mouendum positum est, quod fuit de Christi passione: & hoc quidem medium sub scripturæ exemplo tribus casibus hanc expositionem declarando, quorum alter, authoritas est. Subindè alio iucunditatis Christi modo, vtpotè opposito, motum est. Et hoc sub authoritate positum, & declaratum fuit sub applicatione casuum. Mox doctrina illa epilogata est, quæ ab initio est incepta, vt punctum iterum sumeretur. Ad huius itaque similitudinem poterit quodcumque aliud punctum dilatari. Aduertendum tamen est, iuxta hunc modum, quod quamuis hìc pergimus de puncto ad punctum authoritatibus, comparationibus, & exemplis scripturæ, non propterea debet sic coarctari, vt hoc regulariter obseruetur. Namque vniuersa media, authoritate dumtaxat, vt illi placebit, extendi possunt: & quamuis tria puncta adhibuimus, alia prout libuerit, ponere licebit; dummodo puncta, seu digressiones non multiplicet, vt fastidium pariat. Nec subinde eo pauca proponat, vt eorum media arida sint, & prorsus sterilia. Atque ita debet concionari, ne fidelium tepescant affectus.

De Gemino alio modo ampliandi digressiones. Cap. XVIII.

AD ea, quæ superiori capite dicta sunt, vt quamlibet digressionem, seu punctum sectemur, notandum est, dictum iam punctum secari post data conclusione: vbi quidem doctrina cum sua amplificatione traditur; mox Sacræ Scripturæ exemplum ponitur, totius historiæ enarrando discursum. Eiusmodi exemplum sit de damno, seu nocumento, quod eius contrarium inferret, de quo & ipsa propositio pertractat. Quo quidem enarrato exemplo moueat, atque suadeat illo Concionator, ostendendo

do damnum, quod eis adueniet, nisi idipsum, quod præcipitur eis, re ipsa fecerint. Idemque authoritate confirmabit, quæ faciat ad illud. Quo finito, alia insuper narretur historia alteriùs exempli, in qua agatur de beneficio ab aliquo accepto, ex eo, quod illud fecit. Quocum moneat, idipsum quoque faciant & illi, ad quod roborandum sumat authoritatem, quæ ad rem faciat. Hoc liquidò satis constabit, si dicta doctrina in superiori puncto ad exemplum redigatur, secundum hoc, quod sequitur: *Ecce jam triduo sustinent me*. [Ex eo quod non perstamus in bono, hoc damni accidit nobis, vt non pascamur à Christo. Nobis ergo in bono cœpto perseuerare, & stabiles, firmosque esse, expedit. Siquis adest, qui huc venit, vt aliquid frugi ex Concione capiat, hanc sibimet suadeat veritatem: quod si à Deo pasci desiderat, in bono perstare debet, & in eo firmum, & stabilem se prębere. Pleraque enim damna non perseuerantibus eueniunt, velut Sacra Scriptura ait. Quoniam volens Deus Sodomam, & Gomorrham euertere, vocauit Loth, & dixit ad eum *Genes.* 19. *Salua animam tuam, & noli respicere post tergum, ne tu simul pereas*. Mox vt egressus est Lot, dissipauit, & solo æquauit Dominus ciuitates has: & corruerunt omnes simul, qui in Sodoma, & Gomorrha morabantur. Coniux autem Lot audiens fragorem, & maximum strepitum, perterrita (nam ex fragilitate inconstantia nascitur) post tergum respiciens, in salis statuam conuersa est: quam adhuc pecora lingunt. Quid ergo non perseuerantibus reliquum est, nisi vt in petrę simulacrum conuertantur? Quoniam vocauit te Deus, abhominationes Sodomæ deseruisti, & per viam veritatis incedebas, gratus sanè Deo: verùm leui sæculi huius fragore consternatus, dereliquisti vias Domini, ac desiderijs sęculi captus, tergum vertens, præuaricator Dominici præcepti extitisti. Quid indè tibi superest, nisi vt obstinatum cor geras;& talis effectus, nihil omnino profis? Quid ò charissimè, tibi superest, si in bono non perseueras? *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda?*

Popule meus,ait Dominus,quid faciam tibi?]Hic punctus amplietur: quo finito, aliud narretur exemplum hiusmodi. [Iacob, dum occurrisset ei Angelus, luctabatur cum eo *Genes.* 32. cui Angelus. *Dimitte me*: at ille noluit, quousque benedixisset ei. Cum quo tota nocte luctatus est, & manè benedicens ei, commutauit eius nomen, sed & altero pede claudus Iacob mansit. Sic Deus facit cum omninò perseuerantibus. Sic te gemino luctari brachio, & expansis vlnis decet: vtpotè Dei, & proximi amore, & tota nocte perstare luctando, donec rutilans venerit aurora. Nam qui luctatur, & perseuerat, tandem benedictionem obtinebit, quia qui *perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit Matth.* 10. Aspice ò Christiane, quidnam summa veritas ait, quòd salui erunt, qui perseuerant.] Amplificetur eiusmodi authoritas, & mox epilogando dicat. [Agite tandem ò charissimi;firmi,& stabiles simus,ne nobis contingat, quod coniugi Lot euenit. At verò quasi Iacob alter mereamur, benedictionem Dei obti-

„ obtinere, quam electis Deus promisit in nouissimo die: & sic pane An-
„ gelorum viuifico in cœlesti regno potiamur,& velut hæc turba, quæ Chri-
„ stum secuta, ab eo dignata fuit.] Hic ampliandi modus facilis, simul, atque iucundus est. Namq; scripturæ exempla ad hunc modum suscitata nimis placent.

Alter quidem modus ampliandi est; si quamprimùm doctrina applicata fuerit, sub illa propositione, vt in priori exemplo dictum est, mox auctoritas in medium offeratur, quà quidem comprobetur illud, quod dicitur, eò verissimum & infallibile esse, quod maximus Deus id volens ostendere, dixit, atque monuit hoc ipsum. Qua nimirum authoritate perfecta inueniatur argumentum à minori ductum. Ipsa namque auctoritas suggeret argumentandi occasionem, Quo argumento proposito, roborabitur alicuius exemplo,qui id ipsum asseruerit. Hoc exemplo finito, duæ, tresue auctoritates scripturæ citentur, velut similia quędam, & quasi per transennam; aut summis digitis (vt aiunt) tacta hoc modo. *Id ipsum habetur, Id ipsum tali, vel tali loco dicitur, &c.* Quibus breuiter tactis, incipiat illius rei defectum corripere, nempe auctoritate argumento, & exemplo, velut qui conqueritur: & post Dei verba cumulando in ipsa auctoritate dicens. [Non mirum esse si Deus conquestus est, dum huiusmodi mala extant.] Hæc omnia in subsumpto liquida erunt exemplo. *Ecce iam triduo sustinent me, &c.* Si hi non perseuerassent nullatenus Deus victum suggereret. Modò inferto conclusionem ampliatam priori exemplo. Deinde dicito; hoc adeo verissimum esse, scilicet quod Deus perseuerantiam vult in animabus, quas habet reficere: vt per Spiritum Sanctum in Canticis dictum sit. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel: tenentes gla-*
„ *dios, & ad bella doctissimi,* [Nunc ò Christiane caue tibi, qui Deum obti-
„ nere desideras,ne tua te fallat opinio, aut teipsum seducas. Anima tua le-
„ ctulus Dei fortissimus debet esse,& valde pręmunitus, non autem debilis,
„ & omni præsidio destitutus. Deinde fortissimis quibusque circumualla-
„ tus ex Israel. Namque eius proposito firmissimi, & præ omnibus stabiles
„ debent esse. Sic Paulus inquit. *Rom.* 8. *Quis separabit nos à charitate*
„ *Christi?* Scio quod neq; mors, neque vita. Existimatis nos tamquam
„ paruulos esse; atque debiles? Firmissimi quidem sumus, & stabiles: quo-
„ niam nec labor, nec dolor, &c. nos à charitate Christi prolongabit. Fi-
„ lij Israel. Exo.15. canebant dulciter hymnos in mari, & collaudare cœ-
„ perunt Deum, videntes suos hostes submergi, & in ipso etiam ad terram
„ promissionis itinere illum benedicentes, quòd eos liberasset, Cæterum
„ non perseuerantes, in Aegyptum reuerti cupiebant. Modò si ad aliquam
„ probè callendam artem continuus, assiduusue vsus requiritur: nonne ad
„ tantam rem obtinendam, maior opera, & studium requiretur? Aspice
„ quod legitimè certanti conceditur laurea. 2.Ti.2. Labor improbus omnia
„ vincit. Num brauium hoc accipies, nisi in bono perstiteris? Ideo Iob: *cap.*
„ 13. *Si occiderit me, in ipso sperabo.* Hac ratione nos docet perseuerare,
„ qui-

„ quibus periſſe præſtabit, antequam retrocedere, aut à bono cœpto deſi-„ ſtere.] Hic ampliandarum digreſſionum modus, maiorem præſefert dignitatem, quàm duo ante habiti modi. Et ſanè loculentior eſt, quia vim habet, & innititur in litteralibus ſcripturæ ſenſibus: & tandem in eo fit argumentum à minori ad maius.

De modo procedendi. Cap.XIX.

QVemadmodum ſi cuipiam etſi famelico ſimul in diſco varij cibi, & innumeræ quaſi dapes apponerentur, faſtidium maximum generarẽt, & ad nauſeam eum peruocarent: quæ ſi in ſingulis quibuſque patinis quiq; cibi apponerentur, excitarent quidẽ appetitum ad edendum; ita contingit in concionibus. Niſi enim eius partes quamuis optimis notationibus ſeptæ recto ordine procedant, ornatęque ſint, nimis faſtidire videntur. Modò verò procedendi ſtylus, & prædicandi modi eo ſunt diuerſi, vt æquum ſit dicere; *Quot capita, tot ſententię, & prędicantium placita ſunt.* Propterea non eſt mihi animus, hæc omnia in breui ſermone compræhendere, quoniam nec capere valeo, nec intellectus aliquis creatus ea omnia percipere, aut compræhendere poteſt. Aliquot tamen ponam hìc, quibus vti licebit. Suppoſito ego quod componere, eſt coniungere, & coadunare pleraque puncta inter ſe diuerſa, & hæc ampliare, & ex eorum ſingulis vtilem doctrinam deducere, vt alij excitentur, & ad probè operandum alliciãtur: hoc vtique fieri nequit, niſi quædam media applicentur. Vt vlteriùs gradiatur, vno aut gemino dumtaxat medio, vti licebit, vt doctrina confirmetur. Ad hoc verò, artificium habeto, ne eiuſdem penuria in officio non ſis. Illud autem quod habes docere, debet locari in primordio cuiuſlibet puncti. Quod quidem habet proferri, velut qui quamdam aſſertionem affirmat: vtpotè verbis lucidis, perſpicuis, & expeditis ſatis. Namque noſter intellectus ita inſtrui vult. Verùm contra hoc videntur facere hi, qui obſcuris verbis, aut nimis conciſè doctrinam ſuam tradunt, aut perplexis, & implicatis eloquijs, aut ſuperfluis verbis alios inſtruunt, ex quibus audientium animus nihil emolumenti percipit. Ob cuius defectum in ſubſequentibus etiam deficiet. Nec itidem quidquam illis ſuadere poterit. Siquidem quę primo ſibi tradita fuere, non intellexerunt. In hoc verò primo, quod quidem eſt concluſio doctrinæ, ac fundamentum totius puncti, digreſſioniſue, quam habet prædicare, expedit concionatori, vt ſit breuis, expeditus, atque perſpicuus: ita vt omnes percipiant, & intelligant. Dixerim breuis, non intelligendo, quod ita ſtrictiſſimis, & breuibus terminis eadem proferat, vt à nemine ſatis percipiatur. In quo etiam nonnulli concionatorum deficiunt, quorum quidem breuitas ſermonis, & doctrinæ, dum ſapientibus, & perſpectiſſimis quibuſq; viris congrueret dumtaxat, eamdem inſipienti populo aptare contendunt. Hic maximus quidem defectus eſt: ſicut & aliud extremum eorum, qui verboſi, confuſi, & ſanè loquaces ſunt: qui nec ſeipſos ſatis intelligunt, nec ab alijs omninò percipiuntur. Modò

ipſam

ipsam propositionem expeditè, luculenter, & dilucidè proferto, semel atq; iterum eamdem repetens, circumcirca prospiciens cœtum, eamque varijs encomijs replicans: cuiusmodi propositio prolata, ab omnibus satis percipietur. Nec incongruum quidem erit, cum varijs, & disparibus nominibus iteretur. In fine verò non est necessaria hæc eadem repetitio, licèt in principio cuiusque digressionis, & quando ipsa propositio profertur, hoc expedit fieri in omnibus sanè subobscuris intellectu punctis. Mox authoritatem, comparationem, & exemplum scripturæ dicito: interea nonnulla verba inserendo, quæ iam dicta cum dicendis connectant. Insuper notandum est. Vt enim ex naturalibus liquet, vnum contrarium iuxta suum contrarium positum, magis lucet, & apparet. Exempli causa. Si sumat pro medio, vt sint humiles, dicens, quod eisdem benè faciet Deus; hoc idem sub quadam authoritate adducere potest, & mox veræ humilitatis oppositũ sumat, nempe superbiam: cui fauet, & præstat illud Iacobi cap.4. dicentis: *Deus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam.* Et quoniam de humilitate priùs egit, ipsam humilitatis partem prius collaudare, & efferre debet, dicens: [Deus gratiam suam humilibus confert, superbis autem resistit.] Ibidemque dicito, qualiter maximo odio Deus prosequitur superbiam, & statim concionator ipsam humilitatis propositionem proponet, dicens:
„ [O vos omnes, præcor, humiles estote: eos namque maximo Deus amo-
„ re prosequitur. Ideo per Esaiam cap. 66. dixit: *Ad quem ego respiciam,*
„ *nisi ad humilem, & contritum, & trementem sermones meos?* Hoc bonum
„ quidem ego faciam: quod humiles diligam, & amabo.] Hoc ita communiter explicato: mox vndique prospiciens, ad particularem descendens
„ dicito. [Aspice ò tu Christiane, quidnam maximus Deus afferat. Audi
„ verbum Domini. Cum humilem te præbes, à Deo maximè diligeris, &
„ amaris. Siquis equitum adest factiosus, & honoriscupidus sui, audiat.
„ Si hásce vanitates expuleris, si hæc honorum puluiscula omninò ex corde
„ tuo aboleueris, à Deo quidem amaberis. O tu mulier compta, & fucata,
„ quæ huiusmodi domum Dei ingredi non trepidasti, exue te monilibus, &
„ vanitates has contemne, & Deus diliget te.] Hic ampliandi modus valde quidem vtilis est. Nam cum ad res peculiares descendit, quamdam concionem complendo, atque in ea duas, tresue digressiones faciendo, magna cibatur caterua.

De introductionibus concionum. Cap. XX.

IAm quidem ab vsu recessit, ipsam subdiuidere concionem, dicendo, hic duas, tresue continet sermo partes: aut duo, triaue agenda sunt: sicut & nostri quidem temporis seniores iampridem faciebant. Hoc siquidem ab omni ratione, & arte, & à rhetorices documentis longè distans est. Nec S. Doctores vt Aug. Origenes, Chrysosto. aut Gregorius, tali diuisione vsi sunt. Cæterum maximam attentionem captat, & nimis placidum est, & eorum excitat animos, dum concionator Euangelicus, ipsum aggredietur sermo-

sermonem cum aliqua eleganti introductione, compendiosa, & rhetoricis ornata verbis in philosophia fundata: aut verò cum aliquo axiomate, aut maxima Aristotelis ingreditur: aut cum aliqua alia naturali ratione, quæ optimè congruat cum ipso Euangelio, quod quidem habet prædicare, aut saltem cum ipsius exordio. Quæ nimirum introductiones bifariam possunt inueniri, aut excogitari. Vno modo, si præcedentia ipsius Euangelij consulas verba, & cum subsequentibus connexueris, & ad propositum applicueris. Verùm vt planiùs me explicem, duo, triaue subiungam exempla. Demus, verbi causa quod prædicet illud Euangelium, Matth.11. vbi dicitur. *Confiteor tibi pater, Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc, &c.* quod quidem ex Communi Apostolorum desumitur, & in festo S.Matthæi, & B.Patris nostri Francisci canitur. Huius quidem exordium habebit huiusmodi. [Philosophi sententia est, quod agentium operationes habent dependentiam à subiecto: in quo tales actiones recipiuntur. *Actus activorum* (inquit Philosophus) *sunt in patiente rectè disposito*. Manè oritur Sol rutilans, suosque ignitos radios in lutum dirigit: verùm illud indurat; Frustum autem ceræ, feriens, liquefacit. Vnde ergo hi duo effectus adeo contrarij emanant? Nimirum à dispositione passi. Proprium namque est ipsi ceræ liquefieri illo calore, & luto indurari. Vna igitur, & eadem causa, quę est calor, diuersos producit effectus: propter disparem subiectorum dispositionem. Idem omninò ipsa re comperimus: iuxta hæc, quæ ad animam nostram spectant. Nam quod verbi diuini concionator faciat fructum, aut nimis faciat in fidelium cordibus: hoc quidem maximè pendet ex audientium dispositione. Hinc est; quod nonnulli sermonis fructum capientes, contriti, & maximè dolentes euaserunt; Et plerique alij subsannantes concionatorem deriserunt. Nam alij, vt emolumenti, & frugi quidquam percipiant, huc se contulerunt: alij verò elato atque superbo, & arroganti animo dumtaxat. Verùm quod modò abijt in vsum, quondam Christi tempore habebatur. Hunc tametsi turba copiosa sequebatur, non omnes tamen æquo, & simplici animo erant: nec eamdem prorsus intentionem habebant. Nam alij eum sequebantur audiendi, & videndi causa mirabilia dumtaxat. Alij verò, vt Pharisæi, vt caperent eum in sermone. Sed & nonnulli alij, vt animæ salutem compararent. Sicut ergo eorum animi dispares erant, eiusmodi verbum dominicum diuersimodè in eis operabatur: & ideo quidam proficiebant, eo quod verbum eius humiliter audiebant: plerique tamen id ipsum non intelligebant, & sic cæci & obstinati, propter eorum versutiam permanebant. Modò Redemptor noster quorumdam videns duritiem & malitiam, quorumdam verò virtutis augumentum, oculis, manibusque in cœlum leuatis, ad patrem conuersus, dixit: *Confiteor tibi, pater Rex cœli, & terræ &c.*

Si verò prædicet sermonem duodecimę Dominicæ post Pentecostem, licebit pro exordio illud Psalmographi sumere *Psalm.*100. *Misericordiam &*

 iudi-

iudicium cantabo tibi, Domine. Et inter agendum dicere, vti his duabus virtutibus Mundus quasi geminis columnis fulcitur, & maximus Deus sustinet pro eisdem vniuersum. Cum verò de eis nonnihil dixerit, mox applicet Euangelium, in cuius parabola depingitur hæc gemina virtus. Deus enim nobis misericordiam suam ostendit, qui piè, & misericorditer se gessit cum illo iniquo seruo, qui decem millia talentorum debebat, Matth. 18. & hoc quidem misericordia motus. Nobis etiam proponitur horrendum nimis, & tremendum eius iudicium. Siquidem tam acerbè punitus fuit, vt externis tenebris traditus, gehennalibus flammis cruciari iussus fuerit, ille qui proximo suo non pepercit. Hocmet introductionis modo D. Chrysostomus plerisque, & varijs locis in suis Homilijs vtitur. Et ferè omnes, quas scribit, in antiquum, & nouum Testamentum, in Acta Apostolorum, & in Paulum.

Insuper, & alius secundus introductionis extat modus, qui se ita habet. Cum Euangelicus concionator congerit, & in summam redigit Euangelij doctrinam, antequam peculiariter, ad eumdem litteræ contextum descendat. Veluti si prædicet Euangeliũ Dominicæ Octauæ post Pentecosten, Luc. 16. exordiatur in hunc modũ. [Hoc Euangelium, elegantem, & maximè egregiam continet doctrinam: in eo siquidem per quamdam lepidissimã, & iucundam parabolam Redemptor noster nobis ostendit, quod hæc præsens vita est benè merendi aptissimum tempus, vt perennem vitam consequamur atq; proinde talibus, tantisque bonis operibus præmuniti simus, vt firmissimum nobis habitaculum in venturo sæculo præparemus. Docet insuper, & admonet nos, vt pij, & misericordes simus. Insuper & quod beatitudinis præmium non verbis solum, sed operibus bonis obtinetur. Idcirco hic villicus non asseruit: *Quid dicam*? Sed: *Quid faciam*? Et bonis operibus suam cooperuit miseriam, ac sibimet profuit. Præterea nos docet alias non minus vtiles doctrinas, vt postea liquebit. Modò noster Euangelista inquit: *Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, &c.*] Hoc eodem introductionis modo, & dicendi charactere D. Chrysostomus plerumque vtitur. Et in Homilia tertiadecima in Genesim post eius introitum dicit: *Videamus itaque nunc, quid doceat ille Moses: Et accepit Dominus Deus hominem, quem formauit, &c.*

De enarratione Euangelici contextus. Cap. X X I.

NOnnulli verò solent, absque vlla introductione, nudam Euangelij litteram enarrare, & omninò sine eo, quod quidquam exponant, aut vtilem doctrinam exhauriant: mox deprecationem ad Virginem Mariam faciunt. Alij verò eamdem salutationem præponunt. Verùm adhuc famelicum populum, & esurientem, cupidumque bonam, & salubrem doctrinam sugendi, ieiunum tenent, siccè, & sterili loquendi modo nihil omninò in ipsam litteram dicentes. Hoc autem offendit nimis, peculiariter tamen cum Euangelij contextus longiusculus extat, sed & multo magis, cum ipsemet

ſemet contextus non eſt hiſtorialis. Cum enim littera Euangelij habet hiſtoriam, vt eſt illud, de Lazari reſurrectione: Io.11. de cæci illius à natali illuminatione, Io.9. aut de prodigi conuerſione. Luc.15. hæc, & ſimilia quamuis in longum habeant, minùs quidem moleſtè populus percipit, & audit. Cæterùm iam ſapientes. & expertos, qui idipſum ſemel, atque iterum audierunt, nimis offendit: atq; dum enarrat, in exteris, & forinſecis rebus præmeditantur, aut inuicem loquuntur, donec aliquid noui incipiat concionator dicere. Ipſi namque expectant ieiuni aliquid, quod iucunditatem animabus afferat ſuis. At verò ſi huiuſmodi pulchræ quædam hiſtoriæ, nimis diſplicent, ac tædio ſunt, & valde quidē offendunt: quanto magis offendit Prædicator, ſi merū litteræ contextum, vtpotè corticem, & ſenſum eius enarrauerit? Exempli cauſa, illud Euangelium: *Vos eſtis ſal terræ*. Et illud, *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire*. Et Euangelia poſt Pentecoſten: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*. Et illud: *Sic Deus dilexit Mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*. Et ſic de reliquis. Itaq; vt nos ab hiſce incommodis caueamus; ne populum aliqualiter offendamus, aut prorſus detineamus, qui ſpiritualem paſtum deſiderat: initio(namq; promptiorem habet percipiendi appetitum;) dicimus geminum eſſe Euangeliorum genus. Quoddam eſt, quod in ſe continet doctrinam, ſententiaſue, vt eſt illud: *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cœleſtis miſericors eſt*. Et illud: *Niſi abundauerit iuſtitia veſta, pluſquam ſcribarum, & Phariſæorum, &c.* Et illud: *Vos eſtis ſal terræ*, & alia huiuſmodi. Aliud verò eſt Euangeliorum genus, nempe hiſtoricum, referens aliquod miraculum, aut aliquā parabolam enarrans De quorum priori Euangeliorum genere dicimus, nō fore neceſſum, in ipſius Euangelij initio, aut in fine, totā litteram enarraſſe. Etenim ſi quiſpiam in ſolemnitatibus Doctorum prædicaret illud Euangelium, *Vos eſtis ſal terræ*: poſſet equidem de ſale illo totam concionem facere, & cum ſale conficere ſermonem, nec omninò ſubſumere illud: *Vos eſtis lux mundi*; aut illud: *Non poteſt ciuitas abſcondi*, & ſic vltimam concioni manum imponere. Si verò in illud: *Vos eſtis lux mundi*: voluerit prędicare; breuiter, & ſummis quaſi digitis illud tangat; *Vos eſtis ſal terræ*: aut nonnihil, ſi placuerit, dicens doctrinæ, quouſque peruentum fuerit ad illud: *Vos eſtis lux mundi*: qua cum luce omnem concionem poterit conficere: intacta relinquens cœtera Euangelij verba. Quod ſi vniuerſum Euangelium prædicare decreuerit, atque in vltimis verbis ſermonem fundare, tunc temporis omnem contextum enarrare poterit. Quamuis tamen ne inſulſus, aut tepidus procedat, nonnulla inter enarrandum ingeret: vtpotè conducibilia, & audientibus ſatis iucunda, quouſque ad illud, quod habet prædicare, deuentum fuerit, ibique ſiſtens, ſermonem conſummabit. Idem omninò poterit facere in illud Euangelij: *Eſtote miſericordes*; nempè de miſericordia ſermonem conficere abſque eo, quod illud ſubſumat: *Nolite iudicare*: & ſic de reliquo totius Euangelij. Idem prorſus dicimus pro Euangelijs feſti Pentecoſtes.

Verùm de his, quæ aliquod miraculum continent, aut parabolicam historiam enarrant, eiusmodi sunt ex secundo Euangeliorum genere, vt iam prædiximus: iuxta quod duo asserimus. Primum quidem est, quod tota parabola, cunctaque Euangelij miracula referenda sunt, & prorsus enarranda: ob cuius defectum, seu penuriam indè sequeretur, Euangelij historiam imperfectam, truncatamq; relinquere. Quod monstruosum, & indecens maximè foret. Nam si illud Euangelium de quinque panibus, & piscibus, quisquam prædicaret, & in medio ipsius conficeret sermonem: nec prorsus dixisset, quod illa magna turba paululo piscium, & panum saturitati sunt, & quod fragmentorum duodecim cophini collecti sunt, enarrationem vtique truncatam, & imperfectam faceret. Siquidem metam, & illius mirifici gesti terminum non tetigisset, nec historiæ cursum prorsus enarrasset. Idem omninò dicimus, cùm Euangelij contextus parabolicus est. Exempli causa. Si quis illius Euangelij parabolam de quinque virginibus fatuis, & de quinque prudentibus prædicaret, atque interruptum illud relinqueret, in quo agitur, vti fatuæ virgines exclusæ fuerunt à nuptijs, nec tandem concluderet, dicens: *Vigilate itaque quia nescitis diem, neque horam*: hunc Concionatorem sapientes quique irriderent, & indocta gens ieiuna recederet, haud emolumenti quidquam inde capiens. Et cuncta in confusionem abirent, & vniuersi ordinis fieret euersio. Quapropter congruentissimum quidem est, vt exactè compleatur, atque omninò parabolę discursus enarretur, aut ipsi historiæ finis imponatur. Sic namque audientium animi quiescunt.

Secundò dicimus; quod, supposito, illud Euangelium siue historiale siue parabolicum ad vnguem esse exigendum, præhabita (inquam) ipsiusmet introductione, Euangelij litteram mox adire conetur, scilicet periodum proponendo, & statim doctrinam ex visceribus, & medulla contextus deducendo, digressionibus, & notabilibus pro temporis opportunitate litteram ampliando ornatè: & mox ad ipsius Euangelij punctum, & ad eum, vndè exiuit, locum reuertatur. Ita cum totius Euangelicę historiæ, aut omninò parabolæ discursum conficiet, ipsam quoque Concionem consummabit. Nam cum iterata verba, terque, quaterque repetita, fastidium maximum in animis audientium causare videantur, si iam semel Euangelij contextum enarrasti, & mox in ipsum reuertens, vt conceptus ex indè deducas: nonne liquidum est, quod idem iterum atque iterum subsumis? Modò si semel ipsam enarres, vtpotè immediatè digrediens, duo indè commoda insurgunt. Alterum quidem est, quod semel eumdem contextum enarras dumtaxat: aliud verò est, quòd tuus non tepescit affectus, nec audientium aures offendis, velut si litteram nudam referres. Cæterùm fortè, si cuncta, quæ habes prædicare, ea fuerint in ipso historialis Euangelij initio, atque in postrema eius verba nihil omninò dicere habeas: tunc temporis reliquum Euangelij nudum, & illepidum fore constat, & præcipuè eius finem: qui quidem, vt prælibatum est sermonis exitus omninò feruidus,

uidus, & maximo spiritu prolatus debet esse. Tunc ergo hoc vti consilio congruum erit; semel discurrere vniuersam Euangelij historiam enarrando in principio sermonis; & interea enarrando ipsam litteram, quasi quędam notanda ingeres, quæ ipsam litteram comitentur, ne te ipsum infrigides: denique verò quauis optima, & ingeniosa ratione, seu authoritate ipsum finem cum principij periodo connectes: eò tamen artificiosè idipsum consitum maneat, quod nisi quisque satis perspectus, aut nimis acutus fuerit, id prorsus ignoret factum. Et mox prædica, quod super eius principium dicere habes. Verbi causa. Cum illud cæci à natiuitate Euangelium prædicatur, pleraq; profectò dicere habes in illud: *Venit nox, quando nemo peterit operari*, & in illud, *Quis peccauit, hic aut parentes eius?* In quo quidem loco longè, lateque, & spiritus maximo feruore potes tractare, & viua vocis energia homines ad pœnitentiam allicere, & vt benè, pièque viuant, nec in nouissimum tempus medelam vlcerum differant. Tunc temporis, initio poteris hæc duo puncta summis quasi digitis, & quasi per transennam tangere. Et quoniam Euangelij contextus longiusculus est: enarrato ipsam historiam, & interea quasi quasdam buccellas, & frusta, doctrinam ingeres. Verbis tamen Latinis, quantum poteris, vtere parcè, nihil omninò Romani sermonis, enarrationisue omittendo, sed & viua præceptoris voce, atque expedita, summèque latentis energiæ; & instar optimi cuiusque rhetoris, seu tragœdi vultus obseruare tenores, atque membrorum æquabiles motus sectari. Tandem cum Christus Dominus se huic cœco manifestauit, & ipse tunc Christum adorauit pronus, tunc, inquam,
„ poteris dicere: [O quam probè Redemptor mundi dixit *Matth.* 11. *Con-*
„ *fiteor tibi pater, Domine cæli, & terræ &c.* Multi ex sapientibus, & ex le-
„ gisperitis non nouerunt Christum, & ex principibus huius sæculi pleri-
„ que eum ignorarunt, cum cognoscere studerent, dum interrogabant: *Si*
„ *tu es Christus, dic nobis palam Ioan.* 10. Et adhuc non cognouerunt, nec
„ digni habiti sunt nosse tantum mysterium. Verùm huic cæco, paruulo,
„ & mendico hodie se manifestè ostendit. Sic ipse per Esaiam ait *cap.* 66.
„ *Ad quem ego respiciam, nisi ad contritum, & humilem?* In hos Deus ocu-
„ los suos conuertit. Relictis Sacerdotibus legis & primatibus, diuitibusque
„ in templo: quam primùm exiens clementissimus, & pijssimus Redemptor,
„ oculos suos fixit in hoc mendico, & paruulo. Verùm eius discipuli viden-
„ tes, Dominum, cæcum inspexisse, ansam quærendi inuenerunt, dicen-
„ tes: Numquid hic peccauit, an parentes eius, qui cæcus natus fuerat? At
„ Discipuli sibi ipsis imponebant, existimantes, quod non ob aliam cau-
„ sam Deus vnicuique languores, seu infirmitates tribuit, quam propter
„ eorum crimina. Cum id ipsum pro beneplacito Dei contingat, & omni-
„ bus accidat, & etiam vt Deus in operibus suis manifestetur.] Hic aptare licebit illud, quod antea Concionator volebat dicere, & mox ad illud Euangelij: *Me oportet operari*: pertranseat. Ad hunc modum quæcumque in promptu, & ex corde habet dicenda, prædicare poterit: & denique ipsam Concionem maximo cum feruore, & spiritu perstrigat. *Quòd*

Quòd verbi Dei Concionator ad omnium vtilitatem predicet. Cap. XXII.

CVm Euangelici Concionatoris is debeat esse finis, & intentum, vt fidelium animæ veram obtineant salutem: sic etiam debet eligere media congruentia ad hunc exactum finem exequendum; nimirum, vt corda alloquatur, insuper & populum ignarum doceat, & bonis etiam moribus instruat. Ad hoc autem eligito vtilia satis loca scripturæ, & iucundos nimis, & placidos dicendi modos: non ea, quæ subobscura, sterilia, & speculatiua sunt. Velut quidam non infimæ notæ Concionator faciebat. Qui cum illud diuitis auari Euangelium *Luc.* 16. prędicasset, totam penè horam consumpsit in expositione illius periodi: *Est Chaos inter nos, & vos.* Ita referens & multiplicans opinionum sarcinas, vt explicaret quidnam esset illud Chaos, doctrinam vtique salubetrimam, quam aduersus huius sæculi auaros poterat prædicare, missam fecit. Insuper & contra helluonum voracitates, & contra luxum indumentorum, & splendidè epulantium turpitudinem, & modicam erga suos proximos pietatem taxare. Deinde quò tendunt huius sæculi diuites, & primates. Et de pœnis inferni, & perenni gloria tractare. Denique de alijs nonnullis moralibus materijs, quas illud Euangelium continet, valde animabus vtiles. Eiusmodi verò concionandi modus, eos, qui aderant nimis offendit, & populum ieiunum vtili doctrina dimisit. In Euangelio namque comparat Redemptor noster *Mat.* 13. ipsum Concionatorem patrisfamilias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera. *Omnis* (inquit) *scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera.* Negociator, & vniuersi illi, qui suas officinas aperiunt, vt omnem suppellectilem venalem habeant, hi insuper absconditos thesauros aperiunt, & demonstrant, vt pluris habeantur, nimirum ostentandi, & ostendendi causa. At verò Paterfamilias omnem suppellectilem, suosque thesauros abscondit in thecis suis, vt cùm necessitas ipsa cogat, filijs, & filiabus suppeditet necessaria: domesticosque induat vestibus, & filias monilibus exornet; & nummos, vt victum, & alia huiusmodi domui necessaria comparet, recondit. Videat ergo Euangelicus Concionator, quod non comparatur mercatori, qui omnem suppellectilem venalem habet. Nec quidem habet Concionator ostentandi, aut potiùs iactandi rationem, nec vt sua doctrina maximi pendatur ab omnibus. Expedit quidem ipsi, esse, velut paterfamilias, vt ita ex abscondito thesauro scientiæ, & sapientiæ suæ depromat, & charitatis suæ supellectilem eroget, egenosque humanitatis indumento contegat. Insuper & tepidum lacrymis, & cordis dolore perfundat, atque peccatori gratiam, & charitatem impertiat, & miseris tribuat solatium, & vexato remedium exhibeat. Huiusmodi quidem habeat Concionator ad fidelium omnium vtilitatem: non autem vt sui ingenij aciem, & perspicacitatem ostendat. Quapropter abhorrere debet omninò ab omni doctrina, quæ in curiositate magis fundatur, quam

ad

ad pietatem, & morum castigationem pertineat. Vt Euangelici ministerij facilè princeps Paulus plerisque in locis suarum Epistolarum nos docet, peculiariter ad Titum, & ad Timotheum scribens: qui quidem Concionatores erant. Ad hæc Euangelicus Concionator attendat oportet, ad audientium qualitatem, & capacitatem. Et sic quidem eligere poterit congruentem doctrinam ad præsentium commodum, & vtilitatem; atque vitiorum, quæ magis prædominari cernit, aut coniectat, extirpationem. Et ita Concionatorem expedit virum sanè prudentem, & perspectum esse. Aliter namque in capitulis, & congregationibus debet prædicare Episcopis, & Presbyteris: & aliter monialibus, & cæteris religiosis. Aliter regibus, primatibus, & equitibus: aliter rerum fabris, & agricolis correctionem adhibeat necessum est: & aliter generaliter loquendo. Si prædicet tamen vbi pestis, aut fames (quod absit) aut quodcumque aliud contagium creuerit, insuper & de alijs quibusque infortunijs, aut ciuilibus bellis; omnibus spem adhibeat in Deo maximo habendam: atque etiam eos moneat, vt vitæ deprauatos mores corrigant: & radicitùs vitia amputent: quæque vt primum correxerint, absque dubio Dei ira cessabit. Vbi Sacræ Scripturæ referat exempla, vt 2. *Reg.* 24. de peste illa in diebus Dauid Regis: & famis in diebus Eliæ, & Elisei Prophetarum 3. *Reg.* 17. 4. *Reg.* 6. quodq; omnibus maximus Deus succurrit. Et in tempore Moysi, filios Israel pane cœli saturauit *Exo.* 16. & in deserto quinq; panibus, & duobus piscibus magnam turbã pauit *Io.* 6. Et illud, quod in Euangelio habetur *Mat.* 6. *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus? &c.* Cæterum si in fœlicibus, secundisq; temporibus, & lætis nimis prædicet, ostendat, doceatque, qualiter maxima cum prudentia, & temperantia hæc omnia subeunda sunt, vtpotè cum gratiarum actione: si quidem nihil permanens, nihil omnino stabile in huius vitæ tota extat: atque secundis rebus vt tribulationes, & angustiæ succedunt, & ærumnæ insurgunt. Ad hunc modum debet suam doctrinam Concionator tradere, vt omnium Deo animas comparet, & in altissimi seruitium, & amorem trahat: secundum illud Apostoli 1. *Co.* 9. *Omnia factus sum omnibus, vt omnes facerem saluos.*

Iterum moneo Concionatorem, ne authoritatum numerum multiplicet, sed eas dumtaxat, quæ ad rem facere videntur, & curet vt audientes vtilitatem, & emolumentum percipiant: & vt verba sua memorijs, & fidelium præcordijs tenaciter hæreant: aliter enim facere, est audientium aures offendere, & nihil omnino frugi, & commodi capere. Sufficit namque duos, tresue punctos, seu digressiones deducere, & ijs probè relatis, satis superque dilatatis, congruentibusque exemplis, & authoritatibus exornatis. Errant nonnulli, veluti qui sanè egregium verbi Dei Concionatorem prædicant, & nimis collaudant, virum tenacis, immortalisque memoriæ quempiam dicentes: eò quod authoritatum sarcinas inter prædicandum congessit, retulit, & coaceruauit. Quos tamen si percunteris, & examines, & intimè perscruteris, nihil omnino frugi cœpisse inuenies. Nec vox

ipsius

ipsius, quem colldudant Concionatoris, in imum cordis pertingit: sed quasi attonitis effectis dumtaxat vocis Echo resonabit verticis auras. Verùm qui prodesse studet, & animarum fructum exoptat: ea prædicet, quæ ad tantum locum spectant, secundum prædictum dicendi modum. D. namque Chrysostomus hoc passim vtitur dicendi stylo in Homilia sexagesima in Matthæum: in illud Euangelij: *Væ mundo à scandalis:* nā duo loca solum ampliat. Quod si quando Concionator pleraque loca pertingat, id quambreuissimè faciat: & mox ad sibi signatum, & prædicandum locum pertranseat, secundum D. Chrysostomi dicendi modum, vt in prædicta Homilia facit in illud Euangelij *Matth.* 18 *Angeli eorum semper vident &c.* Vti Angeli Custodes nobis dati sunt, vt nos custodiant, satis diffusè pertractat; & ne proximos nostros contemnamus &c.

Quod Euangelicus Concionator doceat. Cap. *XXIII.*

TRia quidem Euangelicus Concionator debet facere: nempè docere, delectare, atque mouere. In præsenti capite, & in duobus subsequētibus de ipsa doctrina, & quomodo sit tradenda vtcumque tractabimus: denique verò agendum est, quomodo delectare, & mouere debeat. Expedit ergò Concionatori, qui fructum facere desiderat, eam tradat populo doctrinam, quæ maximè ad eorum salutem spectare videtur. Itaque doctrinam suam, Catholicam, distinctam, veram, solidam, atque satis perspicuam prædicet. Postquam enim Apostolus Timotheo nunciauit, nonnullos fore pseudoprophetas, qui perperam suam doctrinam suadebunt, subdit statim 2. *Tim.* 4. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina &c.* Nec anxias nimis quæstiunculas ad huiusmodi locum discutiendas afferat. Nec scholasticis dubijs se inuoluat, aut in eis moretur. Cæterùm cum idipsum necessitas postulabit, meram, nudamque veritatem illius dubij afferat, absque eo, quod referat aliorum opiniones, aut quemquam impugnet: Quod quidem negotium scholis relinquendum est, vt disceptationibus, & argutijs veritas ad vnguem exigatur. Verùm de prædestinatione, aut de animæ immortalitate, cautissimè prædicet. Multo minus Lutheri hæresim referat, aut quascumque alias, nec earum fundamenta. Hoc enim turpissimum, & nefandum est. Quæ insuper scandalum germinabunt, & tanto loco nimis incongrua videntur. Igitur ad hominum vtilitatem prædicet, vt Beatus Gregorius probè suadet libro tertio de pastorali cura, capite sexagesimo sexto. Expedit illi, esse velut quemdam Domini villicum, qui victum in domo sui Domini impertit. Qui enim ita facier, à Domino seruus bonus, & fidelis dicitur. Itaque Concio scateat doctrina sanè vtili, suadeat, doceat, moneat, atque alios illustret, & probè se ipsum explicet: vt memorijs audientium tenaciter hæreant eius verba, vt ex eis vtilitatem capere possit.

Quanam

Quanam doctrina communiter vti debet. Cap. XXIV.

EVangelicus Concionator sæpissimè debet agere, & pertractare, de necessitate, & congruentia bonorum operum. Plerique enim sunt, qui prauè, & luxuriosè viuendo, nimis audacter, & temerè confidunt, dicentes se Christianos esse, & cum fide mortua dumtaxat contenti sunt. Eiusmodi quidem doctrina absq; eo quod vtilis, & congrua maximè est: tacitè quoque Lutheri turpissimi hæresim taxat. Peculiariter etiam Euangelicus Concionator prædicet aduersus duo communissima, & nimis vulgata vitia: nimirum aduersus detractores, & lucri turpis cupidos, ac thesaurizandi nimiùm auidos. Inter quæ vitia primū quidem ab omnibus quasi quoddam leuissimum crimen contemnitur. Ferè namque nisi falso aliquid proximis imponant, de reliquis non curant; atq; eorum conscientia eousque se extendit, vt existiment, se minimè peccasse; videlicet proximi sui vitium sanè ignotum, cum noxium sit, alijs reuelare, si tamen verum omninò dicant, nullatenùs peccatū esse putant. Peculiariter autem si idipsum parentibus, aut fratribus, sodalibusue, aut amicis ostendant. Huiusmodi vtique ignorantia, cum non sit inuincibilis, non excusat à peccato: quin potiùs (vt ferunt) ignorantia crassa est. Quamplurimi quidem sunt, qui in hoc offendunt, atque altero pede claudicant, propter quod nusquam pœnitent, nec dolent, aut prorsus eadem confitentur. Quapropter nonnullos videas, quos si taxes, eo quod erga suos proximos valdè ignominiosi sunt, aut nomen eorum detrahunt, & maledictis lacessunt, horum responsio vulgaris in promptu est, & valdè vsitata: dicunt enim: Nos illi hoc non imponimus. Sub veritatis pallio celant sui criminis dolum: nec abscondita vitia pandere, vitium esse putant. Plerisque etiam probè factum videtur, Presbyterorum, ac Religiosorum crimina (ne dicam defectus) prodere, absque eo quod eos humiliter, & charitatiuè priùs corrigant, secundum illud Euangelij præceptum *Matth.* 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit: adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.*

Aliud insuper est peccatum satis vulgatum, & commune, quod multi quidem propter ignorantiam committunt, vt causarum iudices, & commercia gerentes, quęstores, ac peculiariter rerum fabri, & qui res venales habent: qui plus quam par est, & æquum, pro eis pretium deposcunt, & cum eiusmodi pretium eis offertur, quasi inuito emptore ea congerunt, & rapere non dedignantur. Quod cum quæstus planè sit, & mortale peccatum, de hoc non curant. Quomodo mulieres publicæ, & scorta, quę iam perfricuerunt frontem, quamuis actualiter non peccent, propterea tamen à peccato non liberantur, siquidem firmum habent propositum, dum sese obtulerit occasio, Deum offendere; similiter de his omnibus dicendum, qui quamuis regulariter, aut propè semper quæsturam non exerceant, aut

aliena vſurpent; attamen ſatis eſt, quod hanc deprauatam expoliandi proximi voluntatem ſemper habeant, vt de eis affirmare, & dicere poſſimus, quod in graui peccato viuunt. Id ipſum tamen eos non mordet, nec ſuo iudicio eos aggrauat: quin potiùs ſi ab eis poſtules, aut repræhendas, quare eiuſmodi machinentur ſubdola? tibi quidem reſpondebunt dicentes: Quomodo coniugem, aut noſtros liberos alemus? Optima quidem reſponſio. Haſce ergo, & ſimiles craſſas ignorantias Euangelicus propugnator increpare tenetur, vtpotè docendo, & eos illuminando, quod in tenebris ignorantiæ, vel potiùs malitiæ vagantur: & huius quidem criminis turpitudinem penſitare, & inſuper quod hac via paulatim in tartarum labentes deſcendunt.

At verò præter has duas ignorantias ſeu noxas, in quibus inſiſtere habet, de verſutia, turpitudine, ſiue malitia peccati pertractet. Et de acerbiſſimis Inferni pœnis, de magni iudicij die, & de mortis memoria. Nam eò hominum ſe extendit malitia, vt anſam peccandi ſumant, propterea quòd tantam Dei cernunt miſericordiam. Et propterea Euangelicus Concionator magis ſe inducat, vt acerrimis verbis, terroribus, & horroribus audientium animos conſternat: quam vt illecebris, & miſericordijs, leniſſimiſque verbis eorum inuitet animos. Abſque dubio hac via maius emolumentum comparabit, nec non & peccatores magis cohibebit, vt peccandi abuſum deſerant. Itaque gehennalibus ſibi flammis oblatis, valde horrendum magni Dei iudicium, & ſtrictam nimis rationem ab eis depoſcendam proponat eis. Nam veteris legis Prophetæ plerumque crebris comminationibus populo prædicabant: quippèqui eiuſmodi perterriti ſermonibus ad Deum toto corde, & cum lacrymarum effuſione reuertebantur (ſic noſtra poſtulat deprauata natura, atque rebellio) cuiuſmodi Eſaias ſtricto minarum gladio aggreditur, dicens *Cap.1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis. Dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum. Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem &c.* Huiuſmodi quidem comminationibus, atque terroribus hoc primum caput ſcatet. Et in ſecundo capite ſubdit: *Exaltabitur autem Dominus ſolus in die illa, quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, & ſuper omnẽ arrogantem, & humiliabitur. Et ſuper omnes cedros Libani ſublimes, & erectas, & ſuper omnes quercus Baſan &c.* Tandem concludit, dicens: *Quieſcite ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt: quia excelſus reputatus eſt ipſe.* Ieremias quoque in primis ſuis verbis, animaduerſionibus, & increpationibus, populo comminatur dicens: *Ecce ego conuocabo omnes nationes regnorum &c.* Verùm, ne longior, quam par eſt, fiam, reliquum eſt, vt receptui canamus; ſiquidem ſermo noſter ad eos fit, quos non decet Scripturæ Sacræ ignaros eſſe: quibus, ſi placet, omnia prophetarum volumina licebit euoluere; quæ terrificis minis exuberant, atque acerrimis obiurgationibus pullulant: quibuſcum peccatorum induratos animos ad pœnitentiam, & maximum dolorem adduxerunt.

runt. De his quidem materijs Diuus Chrysostomus communiter tractat, & ita in Homilia 1. in Matth. agit de causa peccati. Et Tomo quinto, Homilia quadragesima octaua, de tremendo magni iudicij die peragit. Et Homilia septuagesima eiusdem quinti tomi, Nihil omnino ieiunium prodesse ait, nisi vita immaculata, & innocens sit. Et in alijs pleris que locis idem facit.

Debet insuper Euangelicus Concionator, quæque alia grauissima crimina ostendere, & vt turpissima pensare: quæ quidem cum in hoc sæculo ea censura, sicut & alia, non puniantur, propterea in ijs passim offendere non trepidant. Eiusmodi sunt blasphemia, periurium, ingratitudo, libido, obtrectatio, contumeliæ, detractio, ambitio, & simplex fornicatio, &c. quæ huius sæculi censores, & iudices arbitri paruipendunt, nec vindictam sumunt. Euangelicus tamen Concionator, & maximi Dei honoris zelator, has vtique turpitudines increpet, & tamquam grauissima crimina execretur: quod & Sacræ Scripturæ exemplis confirmet. Ita namque Esaias facit, & Christus Dominus in Euangelio. Ad hec item iurandi abusum omninò abolere studeat, & radicitus extirpare: quod vitium maximè receptum est ab omnibus; vti Diuus Chrysostomus facit in Homilijs ad populum Antiochenum, Homilia quarta, quinta, sexta, septima, octaua, nona, decima, vndecima, & duodecima, & alibi. Et in Homilia decimanona inscripta ad agricolas de vitando iuramento. Vice versa tamen populus nonnullas virtutes habet, quas quoniam ignorat, non pluris habet: quas & innotescere, & summis efferre laudibus Concionator tenetur: sicut & Dei Apostolus facit, *Rom.* 4. fidem Abrahæ patriarchæ collaudans cum omnibus sibi adiacentibus, vt magis ac magis excitetur. Idemque facit Origenes Homilia quadragesima sexta in Genesim.

De doctrina Ethnicorum. Cap. XXV.

Doctrina est D. August. plerisque in locis suorum scriptorum, congruũ esse Christianis, atq; peculiariter Concionatoribus (de quibus præsens sermo vertitur) philosophorum gentilium, & Ethnicorum dictis, & probè assertis vti. Nam, secundum D. Ambrosij sententiam, *veritas à quocumque dicatur, ab Spiritu Sancto est*. Ipse idem namque maximus Deus significauit Pharaoni in somno illo sterilitatem, & vbertatem in Aegypto futurã *Genes.* 41. Et Nabuchodonosori in visione statuæ Regna *Dan.* 2. Et asinæ Balaam os aperuit *Nume.* 22. & prophetauit per os Balaam, & Caiphæ viri nequam, & reprobi *Io.* 11. Verba autem Diui Augustini, quæ huic opinioni alludunt, insuper addam, quæ libro secundo de doctrina Christiana habentur: *Philosophi autem, qui vocantur, siqua fortè vera, & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam, tamquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda.* Atque etiam vt ipsemet Augustinus loco citato asserit: Sicut filij Israel petierunt ab Aegyptijs vasa aurea, & argentea *Exo.* 12. quæ omnia denique conflan-

tes obtulerunt Deo, vt tabernaculum construeretur, & maximus Deus honorificaretur: eodem modo Christiani debemus nos gerere erga Philosophorum, & Gentilium dicta, quæ sunt velut vasa argentea, & auri frusta, nempe expurgata aptare ad scripturæ loca: vt tandem ad ædificationem populi prosint. Quod fecisse nimirum legimus Euangelicæ disciplinæ principem, qui in prima Epistola, quam ad Corinthios scribit, inquit, *cap.* 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*: quod probè vtique dictum ex Menandro quodam Ethnico poeta desumpsit. Etiam ad Titum scribens, cap. 1. dicit: *Cretenses malæ bestiæ*; idque ab Epimenide prisco duxit. Item in Actibus Apostolorum cap. 17. citat Aratum poetam dicentem: *In quo viuimus mouemur, & sumus*. D. Hieron. quoque scribens ad Magnum oratorem Romanum plerosque commemorat non minoris sanctitatis, atq; egregios viros, quæ de Orthodoxa Fide, & de Christiana Religione pertractantes, à Platonicis nonnulla duxerunt, & ab alijs Ethnicorum scriptis ad Ecclesiæ sacræ cultum, & Euangelicæ doctrinę ornatum traxerunt. Legimus Adriani Imperatoris factum, qui ob quemdam sibi librum oblatum à Quadrato Athenarum Episcopo, Ecclesiam persequi desijt. Quam cum summo odio prosequeretur Iulianus apostata, indixit quod nullus omninò ex Christianis philosophiæ studium sectaretur, aut liberalibus disciplinis operam daret. Aduersus huius detestandum Iuliani edictum, atque turpissimum præceptum, expedit concionatori, vt in liberalibus disciplinis probè sit instructus: vt cum se obtulerit occasio, hisce vtatur. In Deuteronomio cap. 21. præceperat Deus, quod captiua quæque fœmina vt viro nubere posset, omnem cæsariem raderet, atque vngues resecaret: & sic Hebræus eam posset ducere vxorem. Haud secus quidem & nos ex Philosophorum assertis, & poetarum dictis debemus omnem immunditiam abolere, & excrementa tollere, atque fabulosa euellere, & superstitiosa amputare; atque ita probè examinata poterunt Ecclesiæ limina salutare, & eius consortium inire. Tunc enim ad virtutis theatrum spectabũt, & Sac. Scripturæ deseruient.

Verumtamen consulimus concionatori, vt hanc dicendi copiam quodam moderamine sumat. Namque Ethnicorum asserta, & poetarum carmina in pulpito non sunt referenda, & omninò recitanda, nisi rarissimè, & aliqualiter. Poesis namque ibidem est velut pomum inter opiparas quasq; & lautas dapes, quod discumbentibus non apponitur, vt ventri indulgeat, aut referciat, sed vt appetitum solum excitet, vt reliquæ intrudantur epulæ. Ita quidem Sacræ Scripturæ doctrina, nostrum debet esse quotidianum, & viuificum, atque substantiale nutrimentum, & animarum victus, & refocillatio: poesis tamen instar est alicuius condimenti, quod appetitum excitet nostrum. Nonnulli siquidem sunt, qui quodam versiculo adeò delectantur, vt omnem deinde mentem libenter ad ea, quæ prædicanda sunt, prorsus adhibeant. Insuper & ipsum concionatorem satis in omnibus versatum, & vniuersalem reputant. Quibus cum pignoribus suam doctrinam authenticam facit, & æquiori animo eam sectari impellit. At verò illum qui

pomo,

pomo, vel cerasis & alijs hoiusmodi, atque aqua enutritur dumtaxat, malè habere & turgidum incedere cernimus. Non aliter, qui humanis omninò libris congaudent, eos cernas tumidos, & inflatos viuifico nutrimento carentes; nec mellifluos sacræ Scripturæ riuulos degustantes. Quapropter hæc Ethnicorum doctrina quasi quid accessorium adhibenda, & ingerenda est: quam quidem rarissimè in medium fore trahendam iam diximus, & dum se obtulerit occasio. Paulus namque Apostolus in suis Epistolis triginta quinque vicibus citat Dauid: & Esaiam viginti septem, tum etiam passim veteris legis commemorat loca: Ter autem dumtaxat Ethnicos citat poetas, quos & supra retulimus. Ita quidem concionator sepissimè scripturæ loca referat: plerumque Paulum, & psalmographum citet, & tam veteris, quam noui Testamenti authoritates, & Esaiam cum reliquis Prophetis, & insuper Sacræ Scripturæ sanctos, & egregios Doctores. Sed vt iam monuimus, raiò se inuoluat, & hæreat gentilium doctrinis, nec nisi vbi ipsamet postulet occasio, & noster adhuc soporatus appetitus requirat.

Vti concionator habeat delectare. Cap. XXVI.

IVxta modum autem delectandi, non est nobis obseruandum rhetorum documentum, quod nonnullas facetias referre, & dicere monet, vt audientium animos oblectent. Suggestum namque sacrum grauissimum quidem est, & sanctimoniam quamdam præsefert; & vultus seueritatem, & membrorum æquabiles motus, & verborum moderamē exigit. Longè absit, vt scurrilitas, neniæ, aut facetiæ in hoc tanto, tamque insigni loco audiantur. Ergo Euangelicus concionator prorsus abstineat, nec ibidem talia proferat verba, quæ risum excitent. Sic enim Diuus Hieronymus ad Nepotianum scribens monet; *Laudes (inquit) tuæ, lacrymæ auditorum sint*. Abstrusum enim, & execrandum nimis est, quod concionator imitetur, atque scurrarum munus vsurpet, & facetias ibidem proferat, vt deuotam plebem ad risum prouocet, & euertat omninò. Verùm vt optimè sese gerat concionator, & Deo maximo placeat, hoc in suis concionibus præferat, & quidem hoc modo delectet; vt recto ordine procedat, & egregias comparationes in medium afferat, & Scripturæ Sacræ loca citet, & pleraque notanda dicat: grato dicendi stylo, & qui iucunditatem præbeat. Ita quidem se debet gerere concionator, velut optimus quisque architectus. aut domificator, qui vt turrim, aut pretiosa laquearia fabricet, vndique lapides, & ligna, num congruentia sint, conspicit: & mox mirificè ordinatis, suis quibusque locis aptat. Quod si minus congruentem, & tenuem materiam quasi ruentem inuenit, inter vtrosq; parietes calce constringit, ita vt defectus non videatur. In suis ergo concionibus prædicator studeat, vt quæq; proba, & egregia sint, & mirifico dicendi charactere disposita; sin minùs quæpiam fuerint eiusmodi, in eam sermonis partem eadem ingerat, vbi minùs requirantur. Cuius quidem doctrina in duobus consistit. Aut enim illud, quod habet prædicare, est quid egregium, & subtile, & tunc eo modo idipsum

pro-

proferat, vt ab omnibus percipi valeat: & eiusmodi terminis, & comparationibus, vt neminem fugiat audientium. Verùm si illud punctum sit tritum, & commune, dicito illud sub aliquo dicendi stylo, quod non sit vulgatum, idque rhetorici colores suggerent. Primo dicendi modo assidua bonorum librorum prælectio iuuabit. Verumtamen ipsi doctrinæ, quam habet prædicare, nonnihil peculiare dicendum excogitet, quodque exquisitum summo studio requirat; illius inquam, vitij aut virtutis, de quibus pertractat; hoc pacto enim delectabit. Nam cum omnia noua placere cernamus; hoc est quia ab ipsa natura hominibus insitum est, vt naturaliter scire appetant, secundum Philosophi sententiam. Qui verò nimis vulgata, & trita, nec peculiare, aut subtile quidquam prædicant, minimè delectabunt. Aduerte tamen; quod cum de peculiari, aut subtili loquimur (vt hic) non vtique debet intelligi quid curiosum, & minus vtile. Sed per huiusmodi intelligito nonnulla ingenio digna, & satis vtilia, & acuta, quæ in scholasticis docentur curriculis, & in virtutis theatris, & doctrinalibus libris inueniuntur. Hęc cum populus ignoret, Euangelicus concionator edere, & diuulgare tenetur. Quosque egregios, & vtiles nimis prædicator euoluere debet, & punctuationibus, & lineis notare, vt suis quibusque applicet locis. In secundo autem consistit eius doctrina, vt illud vulgatum punctum, quod habet, per nouum dicendi stylum conuertat. Namque dupliciter delectatur, scilicet proferendo noua; vel ea quæ communia, & vulgata videntur, nouo, & eleganti stylo dicendi. Pleraque enim asserta, & vetera sæpè, ac iterum sunt commemoranda: verùm dicendi character nouus cum sit, delectat: quæ & rethorici colores, & metaphoræ iuuabunt. Et quoniam de hoc plura excusa, & scripta sunt, duo solum referam, quæ communia, & satis vulgata faciunt iucunda. Primo modo quando idipsum, quod subsumitur, dicitur sub aliqua parabola, aut similitudine alicuius rei: quod ex Euangelio quod prædicatur, licet desumere. Vt si diceret, quod sint humiles, hoc quidem isto pacto dici poterit, etsi conclusio communis „ & vulgata sit. [Velut quædam planta, dum magis ac magis radicatur, & „ subtus terram celatur, eo magis coalescit, & increscit; & sicut aqua in „ cauernis meliùs conseruatur: & igniti carbones sub cinere fouentur: sic „ & Dei gratia in humili corde conseruatur, & permanet.] Secundò modo fit à contrarijs: quod magis gratum erit, si cum superiori adiunetur, vt si di- „ xeris. [Ruit domificium, propterea quod fundamentis caret optimis: hæc „ arbor infructuosa est, quia radicem habet corruptam. Sic qui non fuerit „ humilis, peribit.]

Hi duo modi dicti, sunt ad delectandum in sermonis parte, in qua docetur. Insuper iuxta rationem mediorum studendum est valdè, quæ ad mouendum sumuntur: namque rationes deduci possunt cum egregijs authoritatibus, non autem vulgatis. Ad hęc tamen iucundius, & delectabilius audientibus illud est; cum suæ voci prædominatur concionator: dum tollit, & comprimit, cum ipsa postulat occasio, & optimam habet repręsentatiuam:

nam: & vernaculo ſermone, modeſto, & eleganti, facundoque vtitur; nec ſermonis inops, aut nimis garrulus, aut verboſus eſt. De quibus inferiùs ſuis locis ſigillatim tractabimus.

Vti concionator habeat mouere. Cap. XXVII.

ORatores, & ſęculi rethores omnem vim, omnemque energiam in medijs rationum, quas afferunt, ponunt, & hanc vim etiam in rhetorices ornamentis locaut: Euangelicus autem concionator non debet ſic facere. Etenim rationibus ita ſuadeat, vt omnem ſpem, omnemq; fiduciam in ſolo Deo, ponat, vt ipſe fidelium corda moueat, atque conuertat. Propterea dicit Apoſtolus: 1.*Cor.3. Neq; qui plantat, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Ideo quidem ad mouendum, expedit concionatorem maximè deuotum, & orationis ſtudio omninò deditum eſſe. Ethnicus namque poeta Horatius in arte poetica inquit. *Si vis me flere, flendum eſt priù ſipſi tibi.* Huiuſmodi namque viuæ vocis energia prædicabit, & deuotionis ſpiritu; atq; maximus Deus ſuggeret illi rhetoricæ cœleſtis vbertatem, vt obſtinatorum corda emolliat. Sic enim ille egregius, & propè diuinus Apoſtolus faciebat, dum dixit: 1.*Cor.2.Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in virtute Dei.* In quibus ſanè verbis nos docet, quod omnem vim, omnemque verborum ſuorum facundiam Deus ſuggerebat, & in eo operabatur. Itaque aſſidua oratione hoc ſupremum, & cœleſte donum à Deo poſtulandum eſt: deſuper namque huiuſmodi talentum venit. Et hoc quidem eſt primum, & præcipuum, quod debet concionator facere.

Secundum verò, quod facere debet,vt audientium moueat affectus: illud quidem eſt; ſtudere, nonnullas rationes, & media adducere, vt eos alliciat ad faciendum, quod ſibi præcipitur, & monetur. Et quamuis hoc rethorum munus præcipuũ ſit:non propterea tamẽ Euangelicus concionator eo vti deſinat,ſiquidẽ & redemptor noſter eo vſus eſt;nam v.g.cum præcepit nobis, vt inimicos diligeremus: Mat.5. id rationibus naturalibus ſua fit. Idem prorſus fecit cum nos docuit, & monuit, ne nimis ſolliciti, & cupidi eſſemus erga victus, & veſtitus rationem. Mat.6. Et Apoſtolus hoc idem pleriſque in locis ſuarum Epiſtolarum facit. Deniq; omnes ſancti Doctores. Nam cum homo rationalis vtique ſit, arte, & ratione vincitur ſecundum Philoſophi ſententiam. Vnde aberrant illi, qui vocibus quæque confundunt, nec rationes, aut media proponunt, vt fidelibus doctrinam ſuadeant. Rationes namque comprobare debent, illud ſanè bonum,& conducibile fore, quod ſuadere vult. Etenim voluntas noſtra non appetit aliud ab eo,quod intellectus noſter iudicat eſſe bonum, & conducibile nobis. Hinc eſt,quod audientium affectus nullatenus mouebuntur, niſi priùs intelligant, illud congruum, & vtile fore.

Tertium verò vt moueat affectus; præſtat in ſecunda perſona alloqui,velut ſi ipſi vni dumtaxat prædicaret. Vt v.g.ſi de ineffabili Dei miſericordia ſermonem faciens, & quantum nobiſcum Deus diſſimulet; in hunc modum

,, dum diceret. [Miserande, & nimis infœlix peccator, cur illos Dei su-
,, premos thesauros, & gemmam misericordiæ, & clementiæ Dei con-
,, temnis? Quippè tot ante iam temporibus contumelijs affectus ipse
,, maximè cum sit, te tamen vocat, te postulat, te tandiu expectat, atque in-
,, spirat, vt conuertatis ad eum? Cur tanta, tamque ineffabilis misericor-
,, dia saxeum cor tuum uon emollit? Cur tanta pietas te non conuertit?
,, Quamuis pro eo, quod ad te pertinet, aut commodi, quod consequitur,
,, id minimè faceres, tamen pro ipsius amore dumtaxat, qui crucis patibu-
,, lum adiuit, vt te à criminis noxa liberaret, conuerti vtique deberes. Leua
,, oculos tuos in altum; vide vlnis tensis in cruce pendentem, vt te suscipiat
,, paratum: perforatum latus, vt in visceribus te ingerat suis. En tempus
,, acceptabile, en tempus salutis: huiusmodi ne contempseris: diem enim,
,, aut horam prorsus ignoras, cum in illo tremendo iudicio ante tribunal
,, Dei apparebis execrandæ tuæ vitæ strictissimam redditurus rationem
&c.] Ad hunc modum in secunda persona loquendo nimis vtilis est ad mo-
uendum locus: namque si in tertia persona loquatur, magis docere quam
mouere est. Itaque ad secundam personam sermo fiat. Nonnumquam Dei
iustitiam assumat terrificis comminando verbis: nonnumquam lenissimis
,, vtens verbis, eos trahat, dicens. [Summis precibus à te contendo, & vi-
,, ritim te charissime moneo, & exhortor pro acerbissima Iesu Christi
,, passione, & eius reuerentia &c.] Et ita quidem varijs exhortationibus,
quasi quibusdam declamationibus, vtatur, quæ maximè ad mouendum iu-
,, uant, dicendo. [Benedicant tibi Deus meus Angeli omnes, & Sancti tui
,, benedicant tibi: qui vt pijssimus talia suffers.] Nonnumquam verò me-
diocri voce taxando, dicito. [Numquid simulandum, quod in hac Ciui-
,, tate sunt publici chartarum ludi, & latruncularia tabulæ? Insuper & ne-
,, fandæ matres, quæ filias venales habent?] Et sic de alijs vitijs, quæ vsi-
tatiùs pertractantur, licebit corrigere. Tandem hinc, indeq; conuersus, &
circum circa prospiciens cætum, sancto calescens flamine, ignitus, atque
maximè cupidus Dei zelare honorem, intimoque animi flagrans ardore,
hinc inde prospiciens, seueroque vultu sacras retundat auras Echo, dicens:
,, [Itane viuitur? Hiccinè est Christianismus? Vbi nam gentium sumus?
,, Hæccinne tolerari possunt?] Et mox ad Deum conuersus lenta aliquan-
tulum voce, & humili, atque deuoto animo dicito: [O bone Deus, cuius
,, pietas, & misericordia me terret; & quidem magnam esse fateor, siqui-
,, dem hasce abhominationes; & pestes super terram viuere suffers.] Et sic
gradum sistens paulùm conticescens, audientium suspendat animos, & qua-
si in echstasim rapiat. Et mox cuiusdam prophetæ authoritate poterit hunc
adimplere locum dicens [Audite, perfida gens, quæ aures patulas habe-
,, tis, vt terrena percipiatis. Audite Dominum per Esaiam prophetam
,, dicentem: *Ingredere in petra, & abscondere in fossa humo, à facie timoris*
,, *Domini, & à gloria maiestatis eius*] Hac, & similibus authoritatibus,
quibus & pullulant prophetarum volumina, quasque benè ampliare, dilata-
reue

reue poterit, & cessare faciet fluctus criminum; atque indurata viscera emolliet, pauefaciet, terrebit, & euersa conuertet, & labefactata stabiliet, quocum periodum terminabit. Reuertor iam ad illud, quod primum in hoc capite dixi, vtpote præcipuum; videlicet præ omnibus orationis, & deuotionis studium præstare, quibus quasi lorica Euangelicus verbi Dei Concionator præmunitus esse debet, & quasi facula ignis intrinsecus ardens, vt ita verba calefaciat, & illustret, atque aliorum viscera incendat. Quòd si in verbis omnem operam, omnemque laborem adhibeat, intrinsecùs tamen nisi deducantur, parum, aut nihil omninò proderunt, nec audientium præcordijs eiusmodi, adhærebunt. Legimus vtiq; Diuum Vincentium Ferrerium ex Prædicatorum ordine instar cuiusdam Apostoli Hispaniam peragrasse, & alia diuersa loca Orbis circuisse; sicque Apostolicum ministerium mirificè exercens, Iudaicæ gentis magnum numerum conuertit, atque Ethnicorum, & Mahometicæ sectæ insuper sectatorum, plerosq; etiam Christicolas iam penè euersos conuertit. Et etiam S. Antonium, D. Bernardinum, D. Ioannem de Capistrano ex Minorum Ordine scimus idem omninò fecisse. Eorum namque verba similabantur verbis Eliæ, de quo in Ecclesiastico habetur *Cap.* 48. *Surrexit Elias, propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*. Rhetores, vt affectus moueant, quatuor ponunt. Hæc sunt, lætitia, spiritus, metus, & ægritudo. Nos verò vt affectus moueamus audientium, orationem, & deuotionem ponimus dumtaxat, quam habere semper debet Concionator. Videmus enim, prædictos sanctos, & alios plerosque, litteris destitutos, absq; vlla prorsus rhetorices, aut alterius artis instructione, simplicibus, & crassis verbis, & rusticis eloquijs omnium corda traxisse. Quod quidem Dei maximi donum lachrimis, & orationibus crebris impetrarunt. Et sicut sancto calescebant flamine, & Dei amor in eis permanebat, eiusmodi radiabat facula charitatis, & scintillæ eius micabant vsque ad fidelium viscera protensæ, in quibus Dei amor præstantiùs operabatur, quam humana sapientia.

De spiritus feruore Concionatoris. *Cap. XXVIII.*

EX præcedenti capite patet iam ad hoc præsens. Nam ad hoc, vt Concionator moueat affectus, requiritur vt spiritum feruidum habeat: quem quidem orationis studio consequetur, vt prælibatum est. Quapropter Diuus Augustinus de doctrina Christiana, capite quintodecimo. Nihil potest statui opportunius, inquit, quam quod præcones verbi Dei ante ipsum verbum orationem instituerint. Et regius ille Dauid in Psalmo 50. canebat dicens: *Spiritu principali confirma me*. Vt autem sciamus, quamobrem hunc spiritum postulabat, subdidit: *Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur*. Deum ita maximum precemur, vt qui quondam Esaiæ labia mundauit, dignetur & modò nostra corda illustrare, & igne sui amoris ea incendere: vt verba nostra (vt inquit 1. *Cor.* 2. Apostolus) non sint

in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis Dei. Virtutis (inquam) Dei. Nam virtus, & energia verbi Dominici non in iactantia, aut in verbis tumidis, & inflatis consistit, sed in spiritu, qui moueat, & conuertat fidelium corda. Spiritus præconis Dei ignitus, proteruorum humiliat corda, & obstinatorum viscera plectit, & errantium conuertit quasi profugas pecudes fidelium animas. Cuiusmodi in Actibus Apostolorum *cap. 6.* habetur, quòd illi perfidi Iudæi non poterant resistere sapientiæ, & spiritui beati martyris Stephani. Sic Deus loquens ad Ieremiam dixit, mittens eum ad prædicandum *cap. 1. Ecce, dedi verba mea in ore tuo. Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna: vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Et per Esaiam prophetam *cap. 55. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum: sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.*

Hæc, & pleraque alia loca, quæ breuitatis causa missa facio, nostro alludunt proposito: videlicet quod spiritum habeat feruidum Euãgelicus Concionator, vt fructum in fidelium cordibus faciat: huiusmodi verò si careat spiritu, instar cuiusdam cadaueris factus est in nihilo præpotens. Et ita redemptor noster dixit: *Verba, quæ loquor vobis, spiritus, & vita sunt.* Dixit spiritus, ab effectu: qui verbo suo dumtaxat viuificat quemcumque vult: secundum illud Apostoli in secunda Epistola ad Corinthios *cap. 3.* ad hoc propositum: *Littera enim occidit, spiritus autem viuificat.* Plus namque Elias pelliceis vestibus indutus regem Achab deterrebat 3. *Reg.* 18. & Præcursorem Domini caprinis pellibus indutum Herodes magis pertimescebat *Mar.6.* atque eius aspectum vilem, & pallore infectum, quam vniuersam rhetorum eloquentiam, aut philosophorum elatam iactantiam. Tu igitur precare Deum, & summis ab eo precibus contende: vt verborum copiam tibi suggerat. Moyses volens prædicare populo Israel, non precepit eis aliquid ex se, sed ea solum, quæ Deus illi communicauerat. Et ita Sacra Scriptura ait *Exod.4.* quod dixit Dominus ad Moysem: Perge igitur, & *ego ero in ore tuo: doceboque te quid loquaris &c.* Et Ezechieli dixit Dominus Deus *cap. 2. Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum.* Et cum stetisset, dixit Dominus ad eum: *Fili hominis: mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt à me.* Et in fine capitis scribit propheta, quod dixit ad eum Dominus: *Aperi os tuum, & comede quæcumque ego do tibi:* & librum intrusit in os eius. Regius ille Dauid non est ausus laudem Domini annuntiare, quousque os eius aperiret Deus, & ita in Psalmo 50. postulabat: *Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.* Petamus ergo superna domicilia, & inde probe cuiusque cogitationis exordium à Deo maximo postulemus, & spiritus feruorem poscamus. Quia *Iac. 1. omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Maximè igitur necessaria Spiritus Sancti gratia est, vt feruido prædicemus spiritu: & vt mouere possimus, & in animabus

bonum

bonum semen iacere. Talis debet esse finis, & intentum Euangelici Concionatoris.

De Orationis studio Euangelici Concionatoris. *Cap. XXIX.*

CVm ex præcedentibus capitibus planè constet, quantum Concionatori expediat, feruidum habere spiritum, vt audientium moueat affectus: denique postquam ea, quæ prædicare habet, probè tenuerit, mox se recipiat, & in cubiculum abdat, & priuatim identidemque consideret illud opus, quod exercere pergit, quod vtique Apostolicum est, & propè Diuinum ministerium. Et sic maximum Deum deprecetur, vt sua illi gratia succurrat, & almum spiritum in suis præcordijs ingerat: vt illi continuè seruire mereatur; & etiam dignetur, fructum in illis animabus producere, secundum illud prophetæ Psalmo 38. *In meditatione mea exardescet ignis.* Quod si hunc ignem comburentem aliorum viscera, in se voluerit incendere, & germinare, opus est vt meditationibus crebris, & orationibus assiduis perflet. Sic namque impetrabitur optatus spiritus, qui ad mouendum requiritur, aliorumque viscera incendet. Quapropter omninò se tradat Deo oportet. Quod si ad inuocandum venerabile nomen, IESVS, vt decet, peculiaris De afflatus requiritur: an non ad prædicandum populo Diuina mysteria per vnius horæ spatium requiretur? Taxandi sunt ergo, qui suggestum ascendere non trepidarint, sine cordis præparatione, & suimet Sacrificio. Hoc idem Christus Dominus nos docuit. Vt enim Euangelistæ affirmant, plerumque montium cacumina petebat, antequam sermonem aggrederetur prædicare:& cum totam noctē in orationis studio consumpsisset, descendebat, & templum ingressus prædicabat. Quando illum in monte sermonem mirificum prædicauit, quem S. Matthæus *cap.* 5. & Lucas *cap.* 6. scribunt, ait Beatus Lucas, quod totam noctem in oratione consumpsit: denique de monte descendens, vbi orauerat, stetit in loco campestri, & ibi prædicauit turbæ sequenti eum. Non vtique Redemptori nostro hanc semotionem facere necesse erat; quippe qui semper cum Deo, & ipse Deus erat: sed hoc faciebat, vt exemplum Concionatoribus relinqueretur. Sic legimus factum esse cum Moyse, cui legem cum vellet tradere, iussit ei, vt in montem Sinai ascenderet, ibique oraret. *Exo.* 19. Hoc modo quidem facere tenentur, qui in prædicationibus suis fructum facere student. Præuisis itaque omnibus dicendis, sese recipiat, maximum Deum deprecans, vt sibi fauere dignetur, & linguam suam moueat, & regat, vt sui ministerij debitum pensum soluat, liberè, probèque, & expeditè eo munere fungi possit. Cùm autem flexis genibus in pulpito iacet iam prædicaturus, leuans suum spiritum ad Deum, tam ipso corde, quam ore, hanc orationem proferat.

DEPRECATIO AD DEVM.

OMnipotens, & clementissime Deus, qui me indignum, & peccatorem ad tantum officium vocare dignatus es: suppliciter & obnixè oro, vt mittere digneris à sede maiestatis tuæ auxilium gratiæ, vt dignè laudare Te valeam. Tu has animas ex nihilo creasti, quæ sanguine dilectissimi Filij tui sunt redemptæ: & hoc quidem munus non meum, sed tuum esse fateor. Quapropter pijssime Deus, si querelas sustines, & meis demeritis existentibus in causa, iram, & indignationem mereor, in posterum vltionem relinque. Non propter mea scelera puniantur, neque in pænam delictorum meorum. O Domine Deus, consolatione hac eas carere non permittas. Sed potiùs mittere digneris Spiritum Sanctum tuum in visceribus meis, vt cor mundet, labia purificet, inanes cogitationes expellat, & spiritum prædicandi tribuat, & benignissimè concedat. Et Concionem hanc sicut pro te ipso solum, & ad gloriam sanctissimi nominis tui incipere decreui, sic per te incæpta finiatur. Qui viuis, & regnas &c.

De Idiomate, & vernaculo sermone Concionatoris. Cap. XXX.

VNum interea eorum, quę audientium delectanr aures, iucunditatem afferunt, & insuper quammaximè concionem exornant, atque expoliunt, illud est, non minus gratum, atque iucundum, nimirum Idiomatis Romani elegantia, & eiusdem copia sermonis, quam optimus quisque verbi Dei Coucionator debet habere. Ad hoc tamen maximè iuuat, cum viris vrbanis, & comibus assiduè loqui, & cum eis incedere, & eos imitari in probis quibusque suis loquendi characteribus, & dicendi phrasibus, & quæque acuta, eleganriaque verba obseruare. Ad hæc etiam iuuabit, optimi cuiusque dicendi characteris, & Romani styli libros euoluere. Aduerte tamen, quod in hac re solet accidere; aut eius limites vltra pertransire, aut nimis sistere retrò. Verùm nequid nimis, minusue, quam congruat, fari; ne insulsè loqui, & garrulus, vel loquax extitisse videatur; quod sæpè contingit. Ea propter ad medium necessarium, & congruens confugiat, vt aures potiùs iucundet audientium, quam vt eas offendat. Et sic Euangelicus Concionator aduertat, ne synonymorum multitudinem coaceruet, & quasi in lineam colligat. Ex eo namque duo incommoda euenient. Aliud est, quod offendit, dum ea congerit, & multiplicat: aliud verò incommodum est, quod cum se offert explanare, aut secundò eamdem rem iterare, iam semel assumpta vocabula vt iterum subsumat, necessum est: quod nimis acerbum, & asperum sit audientibus. Exempli causa. Si-
„ quis diceret. [Magnanimus, fortis, robustus, & præpotens: dissipat,
„ impugnat, expugnat, & profligat: muros, arces, oppida, & castra. Nam cum sit magnanimus, & robustus, expugnat muros, & arces.] Hæc huiusmodi prolata nullius momenti sunt. In priori namque propositione, tam-

quam

quam garrulus, pleraque congessit, & recitauit synonyma, & omnem prorsus vocabulorum copiam euomuit. Et ita in secunda propositione necessum fuit, iterum resumere prædicta encomia. In quarum prima propositionum, si nimis offendit, eò quòd abusiuè processit, itidem in secunda, quia semel dicta iterum sumpsit. Quorum nisi prodigus fuisset vocabulorum, nequaquam mox indiguisset: ob quorum penuriam mendicare coactus est. Hæc omnia incommoda vitantur, & eleganti stylo, exactoque dicendi charactere idipsum dicitur: quando dicta vocabula, aut synonyma in diuersis propositionibus partiuntur. Vt in hunc modum si dixeris. [Fortis „ profligat castra, præpotens expugnat oppida, robustus aggreditur muros „ magnanimus dissipat arces.] Hoc modo hæc si dicantur, præstat ad mouendum affectus, & animarum vinea pastinatur, & dura tunduntur pectora: absque eo quòd aures offendantur synonymorum sarcina. Diuus Paulus varijs in locis suarum Epistolarum præfata vtitur loquendi norma. Ad Corinthios scribens ait 2. *Cor. 6. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis, ad tenebras? aut quæ conuentio Christi ad Balial? aut quæ pars fideli, cum infideli? Quis autem consensus Templo Dei cum Idolis?* Hic quidem est iucundus, & gratus dicendi modus; hæc est delectabilis enarratio, & loquendi stylus, in quo vna, & eadem res varijs nuncupatur vocabulis in diuersis propositionibus. Hic enim dicendi modus, non solùm non displicet, quinimmo suspendit, & quasi in extasim rapit, & delectat. Expedit ergo vocabulorum habere copiam, & talentum, vt sic disponere, & varijs in propositionibus reponere queat, & eas dilatare, ampliareue simul, & conceptum, atque digressionem quamcumque facere.

Omninò verò concionator abhorreat ab omni affectato sermone, quæ affectatio in omni genere linguarum odibilis est. Maximèque abhorreat ab omni fucato, teneroq; & quasi fœmineo eloquio, in ipsomet tono, aut vocis pronuntiatione. Hoc sapientium aures maximè offendit. Quamuis autē rhetoricis vtatur coloribus Cōcionator, & eadē rhetorices arte, videre tamen licet, quod præcipua ipsius Rhetorices pars est, eam celare, & occultare. Quę verba & si artificio conflata sint ab ipsa rhetorices arte, à nemine tamen id requiratur, necessum est. Nam hæc adeo celanda sunt, vt non artificiata, sed quasi ab ipsa natura prodire videantur. Propterea verba valde pensanda sunt, & examinãda, ac sũma modestia, & authoritate pręesse debet, qui tantum locum adiuit, vbi Christus Dominus repræsentatur, & eius Apostoli sacrosanctæ Euangelicæ doctrinę ministri.

Egregius, & satis elegans dicendi modus est, per contraria loqui: vt sunt contraria, lętitiæ tristitia: & vitæ ipsa mors. Velut siquis de ærumnis, & „ laboribus Christi Domini sermonem faciens, ita diceret. [Redemptor „ noster humiliari voluit, vt nos exaltaret: egenus esse voluit, vt nos ditaret. „ Et labores, & dolores subijt, vt nos lætaremur: durissimam, & valde igno- „ miniosam mortem adiuit, vt maximo cum trophæo ad gloriam nos viui- „ ficaret. Cuius quidem abiectio est gloria nostria, eius mæstitia est gau-

„ dium

„ dium nostrum ; eius inedia refectio nostra ; eius denique opprobria ;
„ & angustiæ sunt decora nostra, & pręmium sempiternum.]

Animaduertat insuper quisque concionator, ne incongrua, aut minùs decentia in virtutis theatro, aut verò euersi,& incongrui idiomatis,proferat verba. In communi, & vulgari sermonis congressu caueat omninò ab omni infimo verborum conuictu, aut eloquio. Nec fabellis, aut aniculis vtatur adagijs, aut scurrarum facetijs, quæ nimis absona, & incongrua huic tanto loco videntur. Fieri namque potest;cum idioma pulpiti illud sit, quo vulgariter vtimur, absque vlla consideratione lingua aberret, communi ducta tramite, vsuq; fandi: & inde talia proferat verba, quibus audientium offendat aures, & omnem doctrinam polluat, & prorsus euertat.

De ipsius concionatoris vocis accentu, seu tenore. *Cap. XXXI.*

CAuendum maximè est concionatori, ne aliorum vocis accentum, vt proprium amittat, studeat imitari: aut eorum tonum adulterare contendat: & velut actor mimos æmulari. Nimis enim defatigatus, lassusque manebit, & insuper natiuam deperdet vocem, & omnem dicendi leporem, atque spiritum destruet. Tandem, nihil violentum perpetuum, & stabile est. Qui si statim adpropriam vocem se conuertat, fieri nequit, quin audientim offendat aures. Ea propter concionator Euangelicus pro viribus studeat in omnibus, quæ habet tractare, vocis tenorem sequi, prout ipsa natura dictauit, atque suggessit dumtaxat. Ea enim est ptoportio, & harmonia inter audientium aures, & ipsius concionatoris vocem; quod si hic mutet proprium vocis accentum, audientis exarcebantur aures, animusque tepescit dissono vocis affatu. Verùm vt hoc significantiùs queat intelligi, aduertendum est;quod in omni concione, triplici tono & locutionis serie vti debet prædicator Euangelicus. In prima quidem docere habet: In secunda, enarráre: In tertia verò, aliquid pertractare, vt inde moueat affectus illecebris, & blanditijs. Nonnumquam tamen velut quidam satyricus vitia acerrimè taxet, & concrepando abolere studeat. Hæc triplex locutio diuersos sortitur natiuæ vocis accentus. Quod si vocis consonantiam prædicator non obseruet, molestus quidem fiet audientibus: Nam vt in musices arte comperimus, dum modulamina concentus quidam sectantur, mox si psaltes harmoniæ modulum perturbat, statim idipsum sentitur. Ita fit, si Euangelius verbi diuini præco natiuæ vocis mutet accentum; enimuero tunc offenditur populus. Aduertendum tamen maximè concionatoribus est, ne in hoc deficiant, aliàs peculiarem notam, & ingentem labem in prædicationis nomine contrahent, & omnem vim, omnemque energiam amittet eorum sermo. Ex quo nihil boni redundat; nec enim mouet affectus, sed damnum potiùs, & risum excitare videtur, & tandem ab omnibus vilipenditur, quasi tyro, & in tanto munere parum exercitatus, & quasi qui abutitur

eo, & sapiens quisque eius vilipendet sermones. Vocis igitur proprius, & natiuus tonus, qué & obseruare semper, & tenere debet, ita se habet. Dum enim intendit docere, narrareue, tranquillo, & quieto idipsum proferat eloquio, & perspicuo dicendi stylo. Eo modo namque noster instrui desiderat animus. Verùm si dum docet, aut enarrat quidpiam, festino properans fatur eloquio, aut concutit inuicem palmas faciens strepitum, insuper & clamitans retundit vocibus auras, ineptè loquitur. Propterea que huiusmodi obseruet stylum, & se gerat velut qui prælegit, sigillatim, & pedetentim, nec omnia confundat: sed perspicuè enarrando, aut docendo procedat. Aduertendum tamen est, quod quamuis quieto, & perspicuo sermone debeat proferri quodcumque docetur, non vtique debet intelligi quod sit procedendum tepidè, & perfunctoriè, aut insulsè. In his enim vitium inueniri potest, velut qui vltimos fines transgreditur, in quibus mediũ foret tenendom. Dixerim, sigillatim, & pedetentim docendum: non interpolatè, & velut quæ irrisoriè loquitur. Semper enim concionator debet ferre continuam prolationem, & spiritus feruorem obseruare. At geminus cum sit feruor spiritus: alter ad docendum, alter verò ad mouendum inseruit. Verùm vtrumque confundere, & dum docetur, vti mouendi feruore, incougruum quidem est. Dum enim enarrat, aut docet, omnem mensuram obseruet oportet: nam & omnia verba pensare, & eorum ima accentuare, rectèque pronunciare debet: ne quicquam obliuionis, negligentiæue in eo reperiatur. Inter enarrandum verò, aut inter docendum, mediocriter procedat, ordinatas periodos construat, vt detur respirationi locus: ne nimis continuo sermonis processu coarctet fauces, & penè strangulari videatur: & quasi effrænis equus præcipitabundus continuo cursu, ita vt non pręsit suæ natiuæ vocis accentui. Verumtamen hoc obseruare tenetur, vt suæ voci prędominetur; videlicet dum opus fuerit, sumat spiritum, & iterum mittat, atque respiret: & sic periodum terminet, & conficiat, aliaque enunciet. Sed & omnia satis exprimat opportet, velut equitans, qui stapedis innititur, ne inde corruat: sed vt audientium animos suspensos habeat, & animo ferantur, ab eiusque ore pendeant. Contra hæc faciunt concionatores, qui adhuc consueuere ingenti tumultu, & strepitu prædicare. Nec immo se prædicasse putant, cum omnia non confundunt, & quasi furiosi non prædicauerint. Qui siue documenta tradant, siue mouere studeant, eumdem prorsus vocis tenorem obseruant. Nonnulli verò sunt, qui congruentem tonum obseruant, vtpotè inter docendum mediocrem, &c. Verùm ordinare periodos prorsus ignorant, & eas terminare: & ideo nimium lassi procedunt, & continuo, nec interrupto sermone fauces quidem coarctare videntur, quod maximè offendit astantium aures. Alij autem sunt, qui periodos ordinant; verùm eo longè tendunt, & eas protendunt, vt cùm iam eas terminant, tepidè finire videantur, & absque vllo spiritus feruore; qui in fine periodi cum lassi sint, respirare, & spiritum sumere non cessant; eoque fit, vt concio frigescat. Quod accidit ex eo quod defecit spiritus, quem

quem in longa periodo consumpsit: & sic vt eamdem terminet, coactus est iterum, ac iterum respirare. Hi communiter concionatores aliud etiam sortiuntur vitium. Periodum namque submissa voce exordiuntur, & mox paulatim ascendunt,& quasi gradatim in summum vsq;leuant vocis torrentem, vsque ad medium periodi. Mox paulatim labuntur, quoniam spiritus iam consumitur. Quod sanè factum liquet ex longitudine periodi, & grandi vocis missione: propterea; læsus descendit sæpissimè anhelitus: quo fit, vt audientium mentes tepescant, & ansam dormiendi inueniant, & sic cuncta frigida maneant. Quæ omnia benè habebunt, si obseruentur in prædicto documento illata. Nam si mediocri vocis torrente hæc proferantur, & breues ordinentur periodi, assiduè licebit in eis respirare: & crebrò spiritum sumere,nec nimis defatigabitur pectus. En vt spiritus feruore, & æstu licet sectari concionem, absq; vlla nota ex perdictis. Hæc pro ijs quæ ad docendum, enarrandumue spectant, dicta sint.

Secundus verò sermo, quocum mouere intenditur, charitatiuè,illecebris, & blanditijs debet quidem fieri, secundum maiorem, aut minorem additionem. Sic enim nostra est trahenda voluntas. Discrimen autem inter ipsum sermonem, qui illecebris, & inter ipsum, qui minis & terroribus fulcitur, hoc est, quod primus leniter, & charitatiuè procedit, ita vt concionatoris charitas, & amor in hisce verbis eluceat; secundus verò sermo rigidis, & acerbis increpationibus peragitur: & quasi quidam paterfamilias dum suos obiurgat seruos, cum quodam prædominio, & seueritate. Cæterùm obseruare licet, ne huiusmodi increpatio intrinsecùs oriatur ex aliquo odio, aut indignatione concionatoris (hoc enim absonum nimis esset) sed quasi honoris Dei zelator dumtaxat id ipsum faciat. Denique iuxta hunc ordinem procedendi ita se debet habere, vt primùm dicat illud, quod habet docere, mediocri, & summissa voce, & magistrali tono, velut qui in cathedra prælegit. Interim tamen dum applicat media ad mouendum affectus, vt illud quod præcipit, continuo fiat: incipiat calefieri, & inflammari, ita vt cum ad finem periodi, aut digrassionis deuentum fuerit, magno impetu prorumpat spiritus, & instar currentis equi, qui paulatim terminat cursum. Itaque ex prælibatis colligimus. Cum enim litteræ contextum enarrauerit, magistrali voce procedat, velut qui documenta tradit. Et huiusmodi etiam cum incipit digressio, loquatur, vtpotè mediocri tono. Et sic gradatim ascendens flammescat, quousque finiatur digressio, quacum suadet. Ea quidem finita, mox ad Euangelij contextum reuertatur: quē tranquillo, & quieto prædicet animo: sic enim vniuersa concio construenda est. Aliud siquidem est docere, seu enarrare, ab eo, quod mouere, & audientium affectus excitare. Dum enim documenta traduntur, cum hoc negotij intellectus sit, attentionem captare solum inteudit, vt percipiant quæcumque eis præcipiuntur, & docentur. Verùm cum in doctrina mouere intenditur, tunc res geritur cum ipsa voluntate: & ita huiusmodi locutio magno spiritus feruore perurgenda est, vt praua, indomi-

ta,

ta, & trunculenta voluntas ſedetur, ac ſubijciatur. Et vario artuum motu inſtar cuiuſdam ſeueri parentis filium ſuum obiurgantis, qui ſe totum concutit, & dilacerat, vt ille probus fiat. Hoc modo ſubiurganda eſt noſtra proterua voluntas, ne vlteriùs ſæua recalcitret.

Vti natiuæ vocis accentus formetur, & conſeruetur. Cap. XXXII.

GEminum documentum tradi poteſt, ne Euangelicus præco proprium amittat tonum, aut natiuæ vocis perdat accentum. Primum eſt, vt ſtudeat in ipſo concionis limine, & exordio propriæ vocis obſeruare tenorem; dummodo vocis reſonet Echo, ita vt probè omnes percipiant, & quaſi cum ſodalibus, amiciſue loquatur, aut cum domeſticis, & familiaribus, ſic prædicet. Et inſtar cuiuſdam parentis, filium ſuum monentis, & ſuadentis, abſque eo quod peregrina voce, aut adulterino prædicet tono. Cui præmeditari licet, (atq; ſanè vtile illi erit,) dum ſuggeſtum aſcendit, quod cum vno dumtaxat loquitur; & hunc proprium eſſe filium etiam intelligat, quem ſeriò, & ex animo increpat, & ſuadet, vt probus ſit, & virtutis ſectator. Et ita in ipſius concionis primordio mente percipiat quempiam audientium pluſculum ſanè diſtantem ab eo, & quaſi quidem ille vnus aſtaret ſolum, cum eo ſermonem ineat: abſq; eo tamen, quod eum demonſtret, aut omninò indicet;& ſecundum præfatum modum, ac rationem, vocis tenorem obſeruet. Videt ſiquidem, quod ſi ille ſolus ibidem aſtaret, inſtar dulcis parentis vtique familiariter, & domeſticè, non fictè, ſed proprio vocis accentu eum alloqueretur. Eo modo ergo debet proloqui, veluti quando cum geminis ſodalibus aliquod negotium communicat. Verumtamen nonnullos cernas pulpitum aſcendentes, qui eiuſmodi vocem contrahunt, quod ſi coram duobus, tribuſue aſtarent dumtaxat, equidem illum irriderent, & meritò ſubſannarent. Nimirum quidam ſunt verbi Dei concionatores, qui tales vſurpant vocis accentus, atque proſodiam, quod data comparatione abſonum nimis videtur; vt liquet, cum ex animo loqui, ac prædicare contendunt. Variè namque vociferantes, & propriè, ſeu natiuæ vocis tenorem & accentum torquentes, & prorſus euertentes: ita vt eorum ſermo ad parietes potiùs, quàm ad homines fiat, & verba aeris cacumina petant, quàm in viſceribus audientium ingerantur. Qui quidem defatigati manent, & audientium cœtum parum conſolatum dimittunt. Nam, vt præcedenti capite dicere cœpimus, hanc ſortitur naturalem congruentiam ſenſus auditus cum ſuo obiecto, dum pertingit harmonia dulcis: interim autem, ſi diſſonus fiat concentus, protinus auris ſentit, & offenditur. Huiuſmodi quidem contingit, dum concionator mutat propriæ vocis accentum, vt audientium maximè offendantur aures. Dum etiam ſic adulterantes tonũ prædicant, ſubſequitur, vt repræſentatiua careant, quæ eſt vna ex præcipuis partibus, quæ ad optimè concionandum requiruntur. Tandem verò læſi cum ſint, alium denuo ſumere tonum coguntur, & illum iam demum amittere. Haud immo fas eſt etiam ita Sacræ Scripturæ loca inſerere, aut hiſtoriam enarrare; ſed curſim, & quaſi

 per

per transennam, crudam, seu indigestam, & malè expositam ipsam relinquendo. Quod fit, quia propriam vocem mutarunt, nec illi prædominantur. Ex quo etiam emanat, vt eorum prædicatio plerumque contemnatur, & pauci eorum doctrinam sectentur. Nam sic procedentes, ipsa narratiua, seu repræsentatiua, & prorsus omni spiritu carent: quibuscum aliorum mentes, quasi hamo trahuntur. Et tandem subsequitur, vt concionatores non sint; & cum cernimus populum eos non sequi, propter hoc vitium id euenit, vtpote quia insulsi, & illepidi sunt, natiuum vocis accentum mutantes. Cæterùm qui proprium obseruant tonum, vibrantes vndique vocem, hoc boni sortiuntur, quod tametsi nihil parumue moueant, delectent tamen, cum optimam habeant repræsentatiuam, quod sufficit, vt ab alijs audiantur, & laudentur. Hoc sanè punctum maximè concionatori adnotandum est; siquidem nullus est, qui in priuatis, domesticis, ac peculiaribus eloquijs probè, & rationaliter non se gerat. Vnusquisque enim proprium obseruat vocis tenorem, dum loquitur cum suis domesticis, aut sodalibus. Quam quidem dicendi normam, seu stylum nonnulli ex prędicatoribus, si obseruarent, dum pulpitum ascendunt, non tanta in loquendo illepiditas, seu indecentia vigeret. Vnde infertur, inter prædicandum, proprium vocis tenorem fore obseruandum, non secus, ac si cum domesticis sermonem iniret. In vno dumtaxat discriminare tenetur: vtpote quod altiorem ducat vocem, secus ac si familiariter loqueretur. Ad quod prædicta consideratio deseruit, vbi cœpimus dicere, quod percipiat mente illum aliquantulum distantem secundum suæ vocis extensionem. Et sic prædicet, quasi ille solùm astaret, & secundum Ecclesiæ longitudinem, & astantium cœtum sic tollat vocem. Hinc aliud notatione dignum obseruabit: quod exæquet, & contemporizet in vocis torrente cum populi astantis turba, & locis in quibus prędicat. Contra pleriq; faciunt, nam in locellis, & humilibus sacris tectis magnum vocis torrentem emittunt, & quasi præcones penetrant humilia tecta sacrorum. Nec discrimen statuunt, siue magnus irruentium astet vndique cœtus, seu anicularum congeries pauca circumstet, aut in excelsis, vel in humilibus prædicetur templis, omninò æqualem vocis accentum, seu tormentum obseruant.

Secundum verò documentum; ad hoc vt concionator æquè, & secundum optimam, & congruentem rationem leuet vocis tenorē, erit hoc; quod omninò sit intentus, vt quæcumque dixerit, ex animo proferat, minimè autem intentus, an vocis accentus æque, & naturaliter feratur. Siquidem illud quasi natiuum est, & quod cōmuniter fit apud omnes; dum quisq; sermonem facit de quauis re proposita, cum vocis tenorem obseruat, prout eiusmodi res postulare videtur. Sit quispiam rusticanus omninò rhetoricæ ignarus, interim tamen cum de aliqua re pertractat, mediocrem leuat vocis accentum, & quietè procedit, instar cuiusdam pręceptoris, & dum opus est, verba suspendit. Mox, dum socium, aut filium ad opus allicere studet, paulatim incenditur, & vibrans mouet brachium, & artubus ludit, &c. Hæc omnia facit absque

absque eo, quod quidquam intendat ad motum, & operationem artuum, seu prosodiæ. Dum obiurgat, increpat, & aliorum crimina taxat, vultum comprimit, & collum erigit, & lingua insectatur &c. Qui dum humanè, pièque loquitur, vultum extendit, & humiliat. Vbi solum intendit rusticus, & obseruat illud inducere, quod monet dumtaxat. Nam ipsa natura suggerit vocis varios accentus, absque eo quod circa idipsum studeamus. Hoc documentum est egregium, & satis optimum; vt Euangelicus concionator congruenter loquatur, dum prædicat, nec vocis mutet natiuum accentum: sed proprium obseruet, cui quidem præsit, & opportunè eo vtatur.

De æquabili motu artuum, ac prædicandi stylo. Cap. XXXIII.

MOneo tamen verbi diuini concionatores, vt à quorumdã abusu prorsus discedant, qui inter mouendũ subsiliunt, atq; adeo membra complicant, & incuruant, vt penè intra pulpitũ desilientes, abscondantur (instar vrinantium sub aqua,) & varijs distorsionibus, & vultibus propriam oris speciem exterminare videantur. Vlnas tamen, manusque licebit mouere, & vndiq; prospicere cœtum, & ad sacramentũ, dum loquitur cum Deo, vertantur. Quapropter ea religione, & grauitate ibi astare intendat, quantam maximam requiritur vt habeat, qui virtutis theatrum adiuit: & tanti ministerij exactor, & tanti muneris minister extat & præest. Cæterum nisi æstuantis aeris epicaumata premant, & angant eos, vt aliter fieri nequeat; dum prædicant, cucullo, seu pileo contegant caput. Nonnumquã autem pro temporis opportunitate, vt dum aliquod grauissimũ increpat vitium, vt eorum moueat animos, & indurata pectora tundat, ad Deum conuersus, manibusque positis, loquatur. Tunc inquam licebit aperire caput, non aliàs tamen. Motus quidem secundum ea, quæ monet docetur, fieri debent; siquidem æqualiter repræsentatiuam comitatur prosodia. Vtpotè si Absalonis illius miseri historiam enarraret, cuius quidem Ioab acerbis iaculis viscerum ima transfixit, leuabit in altum brachium, & terram versus minabitur: quasi qui iacula mittit, significans ipsum Ioab. Eodem modo si Euangelij verba referret, vt illa: *Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ero*: manum protendat, quasi aliquid volens tangere. Quæ omnia probè habent intelligi: dum temporis occasio postulat facienda, ordineque seruato, non secus. Caueat tamen, ne in motibus, quasi iaculatorẽ se ostendat. Insuper & alias incongruas dexteritates manuum fugiat, quæ ad gladiatores magis spectant, quam quod suggesti honestas postulet, grauitasque deposcat. Iuxta quod notare licet illud, quod præcedenti capite prælibauimus in fine, loquendo de vocis accentu, quem naturaliter obseruant, qui familiariter, & domesticè loquuntur: & idem obseruandum est in motibus membrorum. Nam Euangelicus Concionator obseruet oportet illud, quod communiter, & in exteris negotijs gerendis obseruat. Etenim cum edisserit, disceptat, & arguit, indicem mouet, & manum. Dum admiratur, aut exclamat, os suprà intentum habet &c. Idem prorsus inter prædicandum obseruet, & nihil omninò horum mutet, vt dictum est; & ipsa res postulat.

Dicendi autem ſtylum obſeruare debet iuxta modum enarrandi, & iuxta ea omnia, quæ dicere habet; non inſtat cuiuſdam Dialectici ſe gerat, qui ſyllogiſmorum obſeruat modum, & figuram, ad hunc modum dicens. [En maior, en minor.] Nec ſcholaſtico modo, aut diſſertiuè procedat: ſed quaſi quidam orator nonnumquam enarrando, amplificando, aliàs exclamando, rationes deinde afferat, & authoritates citet. Non inquam ſcholaſtico dicendi charactere. Itaque ſi quadrifariam propoſitam concluſionem, aut aſſertum eſſet comprobaturus: id nimirum probet, abſque eo quod dixerit [quadrifariam, bifariamue hoc comprobabo] & mox [prima ratio, ſecunda ratio ſic ſe habent &c.] Hic ſiquidem dicendi ſtylus, acerbus nimis eſt. Verumtamen ſic poterit has omnes dicti rationes referre, abſque eo, quòd dixerit [prima, ſecunda, tertia ratio eſt] Sed finita priori, ſubdat, dicens. [Et ſimiliter hoc ita ſe habet, namque &c.] Aut alio huiuſmodi vocabulo vtatur, quod haſce rationes connectat, & eò probè conſutæ, connexæque ſint, vt audientium aures minimè offendat: ſiquidem Euangelici præcones ſumus, non autem ſcholaſtici Doctores, ſeu Magiſtri, qui argutijs, & probationibus, ſuadent, dicentes. [Prima, ſecunda, tertia ratio &c.] vt eorum doctrina luculenter, planèque oſtendatur, & faciliùs percipi valeat.

Vti recordabitur, dum obliuiſcitur alicuius puncti, & incongruè aſſertum corriget. Cap. XXXIV.

SI fortè contigerit (vt enim memoria hominis labilis eſt) eorum, quę cœpit dicere, quidquam obliuiſcatur, aut prorſus labatur è mente, poterit quidem ad Deum conuerſus, dicere terque quaterque: [A, a, a, Domine Deus, vt moleſtè, grauiterque fero, cùm viderim tua verba parum inſectari, & percipi.] Interim niſi recordatus fuerit, ſimilibus ironicis vti poterit verbis. Cæterùm ſi hæc omnia minimè proderunt, vt recordetur, dicat: [Hæc miſſa faciamus, nec vltra immoremur.] At verò vt in memoriam facilè reducat, nec omninò obliuiſcatur eorum, quę habet prædicare, hoc ſingulari vtatur documento. Nonnulla ſumat peculiaria, & ſignata puncta, & horum notabilium initiatiua verba ex corde ſatis habeat, atque primordia; vt in his initijs, quaſi ſtapeda firmiter innixus procedat: quamprimum enim illius exordij, quòd antè memoriæ mandauerat, recordabitur, reliquorum memorabitur dicendorum. Itaque priùs quam pulpitum aſcendat Concionator, mente recolat, quæcumque habet prædicare, & ordine ea enumerans dicat. Primum punctum ſic incipit, & ſecundum huiuſmodi &c. Hæc viciſſim mente, iterumque euoluat, vt cordi figantur, nec ita facilè fugiant. Et initium cuiuſque puncti plerumque repetat. Quod ſi inter concionandum contigerit, vnum, aut alterum punctum elabi, ad aliud tranſire poterit. In hiſce quidem debet Concionator ſtapedis inniti, qui debilē ſortitus eſt memoriam. Verùm, vt iam diximus, initiatiua notabilium verba ſic memoriæ inſideant: quod ſi velles, minimè tamen elabi poſſint. Hi autem memoria debiles Concionatores continuò

dedu-

deducere poterunt ex Euangelij contextu, & modicas facere digressiones.

Verùm si acciderit vt inconsultò, nec verba perpendens aliquam falsam, dissonamue nimis propositionem dixerit, ne vltra gradiatur, sed potiùs in se reuertatur. Quod si oportuerit, exceptionem, & additamentum exhibeat, Exempli causa: hanc si assertionem proferret. [Nemo adhuc hominum fuit, quem peccati labes fugerit.] Hæc quidem assertio, vt liquet, falsa est, & sic reuersus iterum dicat: [Nemo, inquam, culpæ expers fuit, exceptis, Christo Domino, & eius matre sanctissima.] Quod si diceret hanc propositionem. [Omnes, qui ex Aegypto exierunt, perierunt in deserto:] similiter est falsa. Quam iterum repetens, excipiat dicens. [Præter Iosue, & Caleb.] Alius insuper est modus ad resarciendum, & celandum, quod incongruenter est assertum. Non per additamentum siue exceptiuè, sed expositiuè, se ipsum planè explicando, & insuper addendo aliquid illi asserto. Huius quidem exemplum est. Si inter prędicandum, in illud Euangelij: *Fides tua te saluam fecit,* diceret. [Fides omnes saluificat.] Iterum dicat. [Fides, Spei, & Charitati comes saluificat.] Deindè si dice-
,, ret. [O vos, qui tot antè sæculis in peccati labe volutati permansistis, &
,, adhuc correctionẽ minimè adhibuistis: & iam diuturna vos carpsit depra-
,, uata consuetudo peccati: dico vobis, omnes peribitis in gehennalibus flã-
,, mis præcipitandi.] Hoc corriget, sua verba exponens, vtpotè dicens [nisi
,, pœnitentiam habueritis: quam difficillimè habebitis, qui assuefacti estis
,, peccare] Si autem talis fuerit assertio, seu propositio, quæ correctionem, aut additionem non admittit: tunc quidem non est defectus, vt ad se reuersus dixerit. [Non hoc ita habet. Haud probè dixi. Modò sic assero, vel sic &c.] Et sic fideliter eam proponat. Quòd si spiritus ardore inflammatus, & feruidus dixerit aliquam propositionem, quam iterare non est locus, per ambages, & circumloquia eam tandem repetat secundum verum dicendi modum; ita vt populus intelligat, ne fortè aliquem percipiat errorem, & tandem decipiatur falsè edoctus.

De confutatione obiectionum, & responsione. Cap. XXXV.

PLerumque accidit Euangelico Concionatori, dum aliquam doctrinam populo sanè arduam, & intellectu difficilem tradit, facere quidem in
,, se argumentum, quod populus obijcere posset, vti si assereret. [Qui elee-
,, mosynam impertit, plus lucri sibi comparat, quam sit quod amittit. Plus
,, recipit, quam quod erogat.] Statim diceret, [Vide quid dixeris ò pater.
,, Quomodò hoc verum sit prorsus ignoro. Ego qui antea promptuaria
,, mea plena, & exuberantia habebam: dum impertio, en vacua sunt. Qui
,, anteà signatos loculos, & copiosos cernebam, dum erogo, vacui, & inanes
,, mihi videntur: & ego egenus, & propemodum mendicus sum factus.]
,, Tunc ad populum conuersus, dicat. [Hoc quam verissimum esse, vobis
,, ostendam. Nam dato quòd fideles estis vos, scripturæ assertis teneamini
,, alludere. Creuerat ingens fames in Israel. Misit ergo Dominus Eliam
,, Prophetam, vt egenum, & mendicum in Sareptam Sidoniorum, vt

,, apud

„ apud viduam maneret, & ab ea pasceretur &c.] Narra historiam, & di-
„ cito. [Nonne cernitis planè vt vidua plus accepit, quam quod Eliæ im-
„ pertiuit? Alijs namque varijs modis poterat Deus Eliam pascere: ve-
„ rùm ita disposuit, vt illam ditaret viduam, ad eam egenum Eliam mit-
„ tere. Maius quidem beneficium recepisse diuitem de manu pauperis con-
„ stat, cum hic suam eleemosynam accipit, quam diues inferat illi ero-
„ gando. Et ita dum muneribus, & donis aliquem diuitem vult Deus
„ afficere, egenum & mendicum ad eum mittit: vt potiùs ab illo diues reci-
„ piat. Hanc loquendi phrasim, quæ vos sanè fugit, rectè calluit ille San-
„ ctissimus Patriarcha Abraham, cùm dixit ad Angelos, quos peregrinos
„ esse putabat: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed*
„ *afferam pauxillum aquæ.* Nouerat quidem Abraham, quod diuites be-
„ neficio tunc afficiantur, cùm eorum eleemosynam pauperes valeant
„ accipere. Propterea que dixit. *Si inueni gratiam in oculis tuis.*] Hæ nimi-
rum obiectiones refutantur, & facillimè soluuntur, gemina si vtramque lance ponderes. In altera earum, lucrum perennium gaudiorum locato, & in altera iacturam terrestrium bonorum statue. Nunc perpendere licet, quam sint nullius momenti huius lutulenta prædia sæculi, & caduca: illa autem æterna, pretiosissima super omnia bona. Et consequenter quam parum eadem erogando, deperditur, imò lucrum fit, cùm acquirantur perennia, impertiendo vilia, & abiecta. Hoc eodem modo Diuus Chrysostomus plerumque vtitur; peculiariter in Homilia, quæ inscribitur, *De oratione Annæ, & quod vtilis sit paupertas,* hoc dicendi stylo probat, fæliciorem diuite pauperem esse, & beatiorem gaza ipsa paupertatem. Quæ Homilia habetur Tomo primo post Homilias in Genesim. Atq; etiam propè finem quinti Tomi, Homilia septuagesima octaua, quæ inscribitur: *Quòd melius est iniuriam pati, quam inferre.* Deinde, postquam dixit, & nunciauit commodum, quod ex hoc consequitur, in hunc modum subdit: *Sed est graue (inquis) iniuriam pati, & calumniam. Non est graue, non est. Quousque circa præsentia stupidus hæres? Neque enim id Deus instituisset, si graue foret. Animaduerte verò. Qui fecit iniuriam, abijt, habens quidem pecunias, sed & conscientiam perculsam: læsus autem, pecunijs quidem priuatus, habens autem apud Deum fiduciam, possessionem innumeris thesauris digniorem &c.* Hinc iacturam temporalem, quæ minima est, locato, istinc spirituale damnum reponito, quod sibimet machinatur, qui alium lædit, & contumelia afficit. Et ita Diuus Chrysostomus concludens, inquit: *Quid ais? Priuatus sum omnibus meis: libet tacere? Calumniam sum passus, & ferre iubes æquanimiter, & quomodò potero? facillimè profectò si tamen in cælum respicias, si spectes hanc pulchritudinem, & quòd te Deus suscipere promiserit, iniuriam generosè ferentem. Hoc argumentum fac, & cælum respiciens, cogita, quod illi super Cherubim sedenti factus es similis. Nam ille contumelijs affectus fuit, & tolerauit: opprobria pertulit, nec vltus est, percussus, & non surrexit, sed contra beneficia reddidit ijs innumera, qui talia patrauerant. Nosque suos*

esse

esse iussit imitatores.] Vbi quidem Chrysostomus soluit quæstionem cum spe præmij, & Christi Domini exemplo, eiusdemque præcepto *Matth.* 5. Non secus ad suadendum populo ignaro, inimicos diligendos esse, hisce quatuor medijs vti oportet. Primum quidem est agere de damno, & iactura, quam Zoili, detractores, & inimici nostri sibi comparant: & similiter de commodo, quod inde prouenit nobis. Secundum quidem medium est agere de præmio, quod sanè consequemur: quia erimus filij Dei, & hæredes, cohæredes autem Christi. Tertium est exemplum Dei asserentis: Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos: & pluit super iustos, & iniustos. Quartum autem medium confirmatur Dei pręcepto. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Quod nisi feceritis, peribitis, & in æternum ardebitis: modò verò eligite vtrum horum præstet vobis, numquid diligere, an pœnas luere?

Magnum quidem ingenij acumen, & artificium requiritur ad abolendas, & radicitùs extirpandas falsas, & erroneas populi, quas habet, opiniones. Vt Salomon ille in Ecclesiastico facit, plerumque opiniones reijciens, quæ circa summum bonum ferebantur. Et Apostolus ad Romanos *cap.* 5. 6. & 7. aduersus contrarios eos, qui perfectionem docebant, per meram fidem dumtaxat, absque operibus.

Vti Euangelicus præco suadeat. Cap. XXXVI.

CVm nostræ obiectum voluntatis, quò tendit, sit verè bonum, aut saltem apparens bonum, nunquam enim noster appetus fertur in malum, nisi sub aliqua specie boni; hanc ob rem plerique sunt, qui sibi ipsis imponunt, & sensualium rerum desiderio trahuntur. Vt autem hæc inimici fraus destruatur, Ecclesiæ Dei Concionatores præsunt. Eapropter medijs, & rationibus vti debent, quibus populo suadeant: scilicet peccati bonum, & gaudium mundi, & carnis, fucatum, & lutulentum, & omninò dolosum esse. Secus autem de virtutis commodo suadeant: nimirum virtutis bonum verum, & amabile esse: & seruire Deo non modò vtile, & honestum, sed & delectabile. Et sicut prouidi quique duces, dum bellum gerere cum alio student, optimam quamque munitionem debent parare, vt hostes aggrediantur, & militibus adunatis bellicum canere, vt tandem trophæum obtineant. Ad hunc vtique modum Euangelici Concionatores summo studio, & opera exquirere, & adinuenire tenentur, quibus planè ostendant virtutis viam non modò honestiorem, verum & vtiliorem, & magis delectabilem esse, quam vitij, perditionis, & interitus. Quod si suadere nequeant: ipsam delectabiliorem, dulcioremq; esse; saltem probent, atque suadeat, vtiliorem, ac magis commodam esse; propterea que insolentiæ maximę esse, ipsi virtuti velle præponere vitium. Et absonum nimis, ipsam peccati obscænam voluptatem, honestæ virtutis commodo, & dulcedini præferre. Aliàs operę pretium est rationibus ostendere, quòd vitium, etsi oblectet, & iucundet, cœterùm maximè nocet. Ad hoc autem expedit, plerumque recitare, & inquirere damna, quæ ex quocumq; vitio emanant,

nant, vt ab huiusmodi audientes abhorreant. In hisce, quæ dicta sunt, latissimus patet Concionatori mediorum campus ad suadendum. Nam ad hoc, vt aliquid appetatur, & diligatur, necessarium est ostendere, illud delectabile, & oppidò satis iucundum, & honorificum nimis esse, facile, & non arduum, scilicet ipsam virtutem. Hæc quidem omnia ostendi possunt, si eius, quod docetur, explicetur definitio; nonnumquam per suas causas eius commodum ostendendo: aliàs per suos effectus demonstrando. Idem omnino licet fieri in ipso damno, quod subterfugere potest. Nam cùm contrariorum eadem sit ratio, & voluntas nostra propensa cum sit ad bonum sectandum, vbi eius commodum sibi planè ostenditur, ita quidem diuertit à malo, cum eius nocumentum respicit, & videt, vtpotè molestum, odiosum, inhonestum, & ignominiosum illud esse &c. Qui rhetorices documentis delibuti sunt, longè, lateque hoc ipsum facere poterunt. Cæterùm quibus sors non suggessit, eis aduertere sufficiat, quot honores, & commoda in bono contineantur: & quot opprobria habeantur in malo. Quibus probè libratis, vtique virtutem sectandam forè, & vitium fugiendum suadebit.

A quibus recitandis cauere debet Concionator. Cap. XXXVII.

CAueat Euangelicus præco, ne suggestum ascendens, suimet honoris gloriam autumet, aut prædicet. Si fortè nouerit obtrectatores nomen suum ignominiosè detrahentes, seipsum haud defendat ibidem. Nec se iustificet. Virum vtique probum, nec infimæ notæ esse, aut litteris delibutum se esse ne dixerit. Hoc enim est, quod latebat, prodere, & quod inter duos, tresue ferebatur, vniuerso cætui manifestare. Et, quod peius est, quòd alijs patientiam cum prædicet, se elatum omnibus præbet, & vestimenti lacinia dum tangitur, ægrè fert. Ideoque tacere, & æquo animo tolerare præstat, siquidem ea est rerum vicissitudo, & tempus omnium medicus est, ad cuius cursum omnia decidunt, & labuntur, cunctaque prætereunt. Deniq; suos æmulos confundet, & maximo cum trophæo superabit. Verumtamen qui hoc ipsum non faciunt, sed in pulpito se ipsos prædicant, præterquamquod adstantium aures offendunt, insuper ab eis posthabentur, & doctrina minus recipitur.

Caueat ne iactabundus sui ingenij acumen, & agilitatem ostentet, aut quæ dicere habet, nimis collaudet, & ad nubes vsque tollat, dicens: Quòd adhuc nemo tam egregium, & propè Diuinum excogitauit punctum, & similes huiusmodi vanitates, & iactantias. Ad summum autem dixerit: [Attendite, & notate hoc:] absque eo quòd subdat, [quia nimis acutum, aut præstantissimum est:] Nam siue bonum, siue malum illud sit, denique audientes viderint, & iudicabunt.

Caueat, absona, & longè extra à præsenti concione verba proferat: illud verò quod à concione dissidet, vtpotè sermones, qui ad ædificationem populi non conferunt, hæc nimis pensanda sunt, & maximo cum studio examinanda, antequam proferantur in pulpito. Namque in hisce, & similibus sermonibus, ineptiæ dici plerumque solent.

Caueat

Caueat, dixerit forsan,quòd serò nimis ei sermonem ipsum commendarunt: huiusmodi namque iactantiæ verba sunt. Non secus ac si diceret. [Si tam breui temporis spatio, & præter spem, talia tamque mirifica prædico: quid si temporis angustia non præmeret?] Hoc sibi suadeat Concionator, eorum audientium aures, acres, & subtiles ita esse, vt probè animum, mentemque calleant, & percipiant. Qui & vilipendunt, & in derisum habent, cum nos iactare cernunt.

Caueat,ostenderit se molestè ferre, aut potiùs obtrectet ex eo, quod modicus audientium cœtus sit. Siquidem præsentes non sunt noxij, cum adsint: & absentes non percipiunt, cum absint:& sic taxatio volaret in aerem & presentes malè iudicarent de eius patientia, & æquanimitate. Grauiter enim ferunt,cum cernunt se vilipendi,& pro minimo reputari. Quin potiùs meminisse tunc habet, quod Christus Dominus prædicauit mulierculæ Samaritanæ *Io.* 4. Propterea spiritu, & deuotione, ante oculos ponat Christi crucifixi amorem, & pro eius amore, & cum amore prædicet dumtaxat. Astantes enim quamprimum promulgantes, & illius optimam famam circumferentes, alios quidem trahent, vt eius egregiam doctrinam sectentur.

Caueat,ne citò credulum se omnibus præbeat, vt cuncta, quę à sæcularibus illi nunciantur sibi suadeat;si detrahēt apud cum clericos,aut Ciuitatis rectores,& præsides, & hisce similibus obtrectantes, & apud eum conquerentes. Plerumque enim euenit,vt quidam sibi illatæ iniuriæ non secus vindictam sumere valentes, ipsum Concionatorem, quasi instrumentum sumant, quem cantionibus informant, & verbis dolosis, & fortè longè aliter, quàm se habeat res. Quodsi Euangelicus Concionator nullo habito consilio, non veritatem ipsius rei vndequaque inquirat, sed nimis credulè suggestum ascendens, protinus idipsum euomat, & eorum falsò imposita crimina taxet, pullulabunt quidem in populo scandala; plerumque insontes damnabit, & ipse vultu confusus manebit, cùm tandem veritas vbique sit non celanda, sed planè videnda est. Hoc maximè notandum est Concionatori. Huiusmodi namque res postulat eum perspectum, & nimis callidum, ne omninò concipiat quæcumque audit: sed probè omnia pensare,& vtrum dolus aliquis delitescat ibidem,rimari.Quòd si attentas aures præbere debet calumniantibus, non ita facilè eorum detractionibus assentiatur, quin priùs omnia ruminet.In veteri namque lege *Leui*.2.*Deu*.14. prohibitū erat, ne offerrentur in holocaustum animalia, quæ non ruminant.

Caueat inter increpandum luxum, & prodigalitatem, erga victum, ne
,, dixerit, vt plerique ineptè faciunt, dicentes. [Ea est rerum vicissitudo,
,, vt iam sutoris coniux ità lautè se gerat, & monilibus, sericisque vesti-
,, bus ornet, vt quasi cuiusdam principis vxor luculenter incedat, & va-
,, rietatibus induta.] Hoc enim ignominiosum est valdè, & sutorum detrahere honori. Sed potiùs alio dicendi charactere, & ordine dicat. [Ea est rerum vicissitudo, vt iam fabri vxor &c.] Non autem in particulari, sutoris, sartorisue. Et sic de reliquis.

Caueat, ne nimis Doctorum prolixas aurhoritates Latino sermone ibi recitet: sed breues satis. Verùm longiusculas (si desint compendiosæ aliæ) licebit transferre dumtaxat. Hiuiusmodi namq; populus ignarus fastidit nimis, & offenditur. Præterea quoque sapientes viri non ira facilè ferunt, cum iterum Hispano sermone recitanda sint: *Fastidit miseros crambe repetita magistros*. Verumtamen quicquid Latino sermone recitauerit, vtpotè scripturæ, Doctorumue authoritates referendo, paulatim, luculenter, & clarè illud pronuntiet. Caueat autem neotericos ibi doctores, seu scriptores recitet: namqne suggestum ea pollet auctoritate: grauitatem tantam postulat, vt Sacram Scripturam dumtaxat, & ex sacris doctoribus iam priscos citare liceat. Ac inter doctores scholasticos S. Thomam, & D. Bonauenturam solum recitet: hosque raro.

De Sermonibus Sanctorum. Cap. XXXVIII.

AEquum sanè est, & acceptum satis; Diuorum merira inclyta promere verbis, & præconijs attollere, atque eorum heroicas efferre virtutes, & victorias, tropheaque pangere. Idque multi Sancti Patres, & prisci, sacriq; doctores fecere. D. enim Chrysostomus Tomo quinto, Homilia quinta, prædicat sanctimoniam patientissimi Patriarchæ Iob. Et Homilia sexta idem omninò facit de Elia propheta. Et Homilia septima de Machabæorum præstantia. Homilia octaua de tribus pueris, qui in camino æstuantis incendij metro ludentes, ordinatè ad laudem omnipotentis Dei omnia elementa prouocantes, tripudijs incedebant. Et Homilia nona laudibus effert celebrem, castamque Susannam. Non secus videntur facere Sancti Ecclesiæ doctores, Diuus Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Diuus Basilius, Nazianzenus, & plerique alij. Quapropter Ecclesiasticus dicit: *cap.* 44. *Laudemus viros gloriosos in generatione sua.* Et Christus Dominus laudat Sanctum Præcursorem, & Diuum Petrum, & D. Mariam Magdalenam: & alios sanctos quammaximè: Quòd si ex nostris cantionibus, & laudibus, & diebus festis, in quibus eosdem sanctos colimus, nihil emolumenti, aut gloriæ eis accrescat; attamen quia Diuorum laudibus trahuntur fideles ad horum virtutes sectandas, atque vt deuotionē habeant in eis, idcirco ab eorum laudibus non debemus abstinere. Paulus ad Galatas *cap.* 1. inquit: *In me clarificabant Deum*. Et in Epistola ad Hebræos *cap.* 13. *Memento præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei &c.*

Secundum, quod aduertere debet Concionator, est iuxta modum laudandi. In quo duæ simul considerandæ sunt laudandi rationes. Prima quidem est, ne communia, & trita nimis de aliquo sancto prædicet: sed aliquā peculiarem, & exquisitam prærogatiuam, & hæroicam virtutem ei ascribat, in qua reliquis excellat sanctis. Namque arma ex eodem metallo fabricantur, verùm hanc materiam si armarius temperet, lucidiora quidem apparent reliquis armis. Ita quidem omnes sancti fuerunt vtique viri perfecti,

fecti, & omnibus virtutibus insigniti: at nonnulli suas virtutes eatenus expolierunt, & igne examinarunt, vt in ipsa virtute facilè primatum obtineant, & eximij valdè, egregijque sint. Ea propter, & mater Ecclesia pro pluribus concinit *Eccl.* 44. *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi*. Quòd si in hoc omnes conueniunt, ingeniosus Concionator exquirat aliquod peculiare encomium, vt eum præferat cæteris. Hic namque laudandi modus est iuxta rhetorices documenta: & ipse quoque sanctus maximè exaltatur. Sic enim Christus Dominus satis collaudat S. Ioannem Baptistam, dicens *Mat.* 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior &c.* Et Centurionem, dum dixit *Matt.* 8. *Non inueni tantam fidem in Israel*. Et Magdalenam, pro ea respondens Marthę sorori eius. Si de S. Ioanne Euangelista sermo fiat, dicito omnium dilectissimum Deo fuisse, & quòd ipse solus inter Apostolos duodecim virginitatis aureolam obtinuit. Si de Ioanne Baptista prædicet, dicat, quod è ventre matris rationis particeps fuit, & sancto flamine delibutus. Si de Paulo, quòd vas electionis inter omnes Apostolos in prædicationis ministerio facilè princeps fuit. Si de S. Iacobo, quòd lux, & decus totius Hispaniæ fuit: & inter omnes Apostolos primus fuit martyrio laureatus. Si de Sancto Francisco, vti præ omnibus sæculi contemptor extitit, post ipsos Apostolos. Si autem de Sancto Antonio, de suorum mirabilium excellentia, quòd inter omnes clarus fuit. Si de Sancta Catharina, quòd inter omnes sanctas meruit ipsa sola tres aureolas deportare, vtpotè Virginis, martyris, & doctricis, post ipsam Virginem Mariam. De Magdalena autem dicito, quòd torrentem lacrymarum fudit, & maximam compunctionem, & dolorem præ omnibus habuit.

Secundus laudandi modus, est, cum priùs laudantur hi, quibus ipse anteponitur: quod quidem fundamentum habetur etiam in rhetorices documentis. Homerus etenim priscus poeta, & sanè egregius, in Iliade, quam in laudem Achillis scripsit: vt Achillem probè, & secundum animum collaudet, priùs Hectorem collaudat, & eius præclara gesta recitat: denique verò vnico dumtaxat verbo Hectori præfert Achillem, dicens, quod vicit, ac superauit Hectorem. Quantò tamen laudibus ipsum Hectorem effert: tanto magis laudat Achillem, qui victor euasit. Non secus Dei Apostolus vt legem nouam magis ac magis collaudet, & probet, priùs veterem Moysi legem collaudat, ad Hebræos dicens *cap.* 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissimè &c.* Deinde ait, quomodo hæc lex gratiæ à Christo Domino data est. Et mox quantum Christus, siquidem Dei filius est, Angelicis spiritibus præstet, qui serui, & ministri Dei sunt. Itaque (vt ad propositum reuertamur) si in festo D. Petri placuerit immortalibus laudibus eum efferre: priùs quidem de suprema Apostolorum dignitate perloqui decet. Qui quasi Seraphim Sacrosanctæ militantis Ecclesiæ extiterunt, & quasi principes eius. Et quęcumque prædicauerunt, & exararunt, omnino Euangelium esse, & Scripturam Sacram, & scientiam à Deo illis infusam. Postquã in communi de huiusmodi celeberrimo,

rimo,& propè Diuino minifterio verba fecerit, & de Apoftolorũ excellentia, dicat. Audiftis principatum, & fupremam dignitatem Apoftolorum? Modò aduertite, quòd D. Petrus omnium princeps fuit, & caput eorum. Infuper fi S. Matthiam intendis laudibus infignire: priùs illius Iofephi peculiarem probitatem laudato, qui cognominatus eft iuftus, pro fua
„ fingulari fanctitate: hoc modo dicens. [Aduertite, quifnam S. Matthias
„ fit. Hic enim Sancti Spiritus electione, qui probè hominum corda nouit,
„ nec decipi poteft, Apoftolatus minifterium fortitus eft, & Iofepho præ-
„ pofitus, & cœlefti figno ab Apoftolis electus, & in eorum numero computatus.] Hæc duo exeampla fufficiant, vt quifque ingeniofus Verbi Diuini Concionator fumat ftylum, ac dicendi modum, & Rhetorices documentis vtatur, vt optimis rationibus, & coloribus rhetoricis artificiosè, maxima cum maieftate fciat Sanctorum merita laudibus extollere, in eorum folemnitatibus, & Ecclefijs: fecundum eum modum, qui meliùs videbitur expedire. Quod vtique eligere poterit ex gemino dicendi modo iam pofito.

De fermonibus pro defunctis. *Cap. XXXIX.*

Sancti quoque Doctores, & iam prifci pro defunctis prædicare confueuerunt, & ad huiufmodi quidem funereos excogitarunt fermones. In fcriptis namque Diui Gregorij Nazianzeni inuenimus conciones pro exequijs Magni Bafilij, necnon & Diui Athanafij: atq; etiam in funeralibus parentis fui Gregorij, & Fratris Cæfarij, & fuæ fororis Gorgonię. Et Diui Ambrofij quoque duæ extant funebres conciones, altera pro Theodofio, alia pro Valentiniano Imperatoribus. Quibus fanè concionibus præordinandis vtilis materia extat: De recordatione mortis: De miferia, & fragilitate hominum: Vti ftipendium peccati ipfa mors eft: De fæculi vanitate, & contemptu: De perenni gloria: De iudicij magni die: De pœnis Inferni, & beatorum gaudijs. Pro ipfis verùm defunctis, vnum, aut alterum verbum folum addat, & hoc propè concionis finem, & quafi in compendium præfata redigens, illud verbum applicet dicens, quod probè vitæ fuæ curfum confummauit & ipfe, qui quafi fortiffimus quifque miles perftitit vfque in finem, & omnia tandem facramenta percipiens, migrauit. Et ita piè credendum eft, gaudia meruiffe fempiterna. Cætera, quæ hifce infuper addi poffunt, vanitas, & maxima dementia eft: quod audientium aures offendit nimis. Præterquam fi mortuus fuerit, aut Rex, Reginaue, aut aliquis alius princeps, feu optimates; tunc enim licentiam habebit Concionator, plufculum extendi fecundum præclara illius Principis merita: verùm & hoc cum prudentia, & verborum delectu fiat. Namque fi dum prædicamus de illis fanctis, quos iam Ecclefia recepit, & in numerum fanctorum computauit, non licet doctrinam vtilem omittere pro eorum laudibus decantandis: quanto minùs licebit, in pulpito eorum inanes laudes recitare, de quibus quidem falui ne facti fuerint, ignoramus, quamuis vifum fuerit nobis, fœliciter difceffiffe?

Quidnam facere debeat post ipsam prædicationem. *Cap. XL.*

HAud tamen Concionator vana efferatur iactantia, cùm se rectè prædicasse cognouerit: sed considerandum ipsi est, hoc propè Diuinum, & cœleste donum sibi collatum fuisse, pro communi Ecclesiæ vtilitate, & pro salute animarum. Et insuper quod Christus Dominus in Euangelio *Matth.* 7. dicit, quod in nouissimo magni Iudicij die multi dicent: *Nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus*? quos Deus ignorabit, nec ampliùs cognoscet. Et Apostolus ait 1. *Cor.* 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum: charitatem autem non habeam, nihil sum*. Itaque ne quis pro peculiari fandi, aut mouendi charismate se iactet, & cæteros vilipendat. Plerumque enim maximus Deus solet indignis, & sibi aduersis hæc, & similia dona communicare, non pro se, sed pro aliorum vtilitate dumtaxat. Proptereaque debet existimare forsan, aliquam humilem aniculam adfuisse concioni benè, ad cuius merita respiciens Deus Concionatori gratiam dedit, & spiritum prædicandi, & scientiam, & leporem dicendi infudit, cum tamen hæc non mereretur. Plerumque enim Deus administrat bona, & ea suggerit medijs quasi vilibus, & abiectis instrumentis. Vt Eliæ Prophetæ carnes suggessit, per ministerium coruorum. 3. *Re.* 17. Noluit quidem Deus Eliam per vngues aquilarum, aut ministerio accipitrum (quæ nobiles vtique sunt) alere: sed coruorum ope. Samson quoque per asini mandibulam potauit *Iud.* 15. quę, fœtidum, turpe, & vilissimum quid est. Hæc quidem ita placet Deo operari, vt magis ac magis eius sapientia, atque potentia coruscet, & fulgeat. Et propterea dedecet maximè Concionatores, gloriari, & collum erigere, siquidem per reprobos fieri solent magnalia, & excelsi sermones. Quamobrem cùm Dei peculiare auxilium senserit, hisce meditationibus se colligat: Nec patiatur se laudibus erigi; ne forsan vanitatis venticulus omne meritum tollat, & peculiare Dei auxilium dirimat, & in subsequentibus concionibus desit. Cæterùm si aliter fieri nequit, quin laudes sui audiat, se non audire simulet: obseruet, & taceat. Nec, vt quidam faciunt, effœminatis, & mollibus se excuset verbis, qui quandoque se nihil omninò scire fatentur, quorum superbia, & iactantia intrinsecùs latitat. Deo interea in imo cordis gratias agat pro omnibus, quæ communicare dignatus est.

Debet insuper Concionator peculiarem aliquem amicum consulere, & ab eo diligenter inquirere, & percontari, numquid in pluribus offendat, aut deficiat: & vtcumque illud fit, ostendere dignetur: quod sanè inquirat cum animo corrigendi seipsum, & lætetur deinde, cùm suos illi defectus objiciunt, præcipuè cùm amicorum correptio facilis sit, nec fraterna admonitio grauiter ferenda est.

Tandem quibuscum maior fructus animarum percipiatur, interroget; illudque sectetur, & prædicet ad laudem omnipotentis Dei, qui Trinus, & Vnus viuit in sæculorum sæcula. Amen.

DEO GRATIAS.

PRAT-

PRATTICA DI COMPOR LE PREDICHE

Vsata dal famosissimo Predicatore FR. FRANCESCO PANIGAROLA Minore Osseruante, e dall'istesso communicata a'suoi Discepoli nel Conuento d'Araceli.

De' Generi delle Prediche. *Capitolo Primo.*



PER fare vna Predica; la prima cosa, che s'hà da fare, è pensare, in qual genere si troua quell' Argomento, che tù hai da trattare. Dicono i Rhetori, che tutti i Generi si riducono à trè: *Dimostratiuo*, oue si loda, e si vitupera: *Giuditiale*, oue si accusa, e si difende; e *Deliberatiuo*, oue si persuade: de i quali il Dimostratiuo risguarda il passato, & honorato; il Giuditiale il presente, e giusto; il Deliberatiuo il futuro, & vtile. Mà oltre tutti questi, si troua vn genere di Oratione, che domandaremo alla Greca *Didascalica*, nella quale nè si loda, nè si difende, nè si persuade; ma s'insegna, ouero insegnandosi si espone, ò arte, ò scientia, ò testi, ò commento, ò altro.

Noi, in materia di Prediche, à pena è possibile, che ci conteniamo entro à i termini delle cose sopradette; perche in tante maniere si ordiscono, e si fanno le Prediche, che pare che richieggano maggior numero di generi, che i sopradetti non sono. Tuttauia presupponiamo vna cosa; cioè che anco i Rhetori nelle orationi deliberatiue lodano, & difendono, & insegnano: e nelle altre parimente mischiano gli effetti de gli altri generi. Ma in tanto vn' oratione si chiama tale, in quanto il suo principale scopo è tale; non hauendo perciò rispetto à quello, che occasionalmente vi s'inserisce. E però diciamo, in quanto al fine, che tutte le Prediche saranno, ò *Didascaliche*, ò *non Didascaliche*: il quale secondo membro contenendo quello che contengono i trè generi communi dell' oratione con vn sol nome, lo domanderemo *di Materia*, e l'altro Didascalico, chiamaremo *di Vangelo*; e così tutte le Prediche, le quali si potranno fare, saranno, ò di Materia, ò di Vangelo.

Hora cominciamo la diuisione di quelle, che domandiamo Prediche di Materia. Queste saranno di trè sorti: perche, ò tratteranno vna materia puramente, come sarebbe à dire, predicare del digiuno: ouero lodaranno vn Santo, come sarebbe à dire, predicare in lode di S. Pietro: ouero confuteranno vna heresia, come sarebbe, il fare vna predica contro l'opinione di Caluino, intorno alla Eucharistia. E quì si vede, che ad ogni modo vi è la proportione; perche la materia semplice è in genere Deliberatiuo, come quando persuadiamo il digiuno: la laude del Santo in Dimostratiuo: e la confutatione dell'heresia in Giuditiale. Mà questo habbiamo di più noi Predicatori, di quello, ch'hebbero i Rhetori. Alle volte ci obblighiamo à trattare tutte le dette cose; cauandole dal Vangelo, ò dalla

Scrit-

Scrittura, che corre: e questo in due modi, cioè tal'hora da vn sol passo del Vangelo, e tal'hora da tutto il Vangelo.

E però nascono sei altri generi, che sono. Primo, trattare vna materia sopra vn passo del Vangelo. Secondo, ouero cauarla da tutto il Vangelo. Terzo, lodar vn' Santo da vn passo del Vangelo. Quarto, ouero applicandogli tutte le clausole del Vangelo. Quinto, abbattere vn' opinione heretica per vn passo del Vangelo. Sesto, ouero mostrando, che tutti i passi del Vangelo la confutino. Si può di più da vn' istesso Vangelo, ò da vn capo, ò da tutto, cauar' insieme *Materia, e Santo*, e tal'hora *Materia, Santo, & Abbattimento d'heretici*. Mà in somma si hauerà sempre l'occhio al principale; e da quel fine tutta la Predica verrà à pigliare la determinatione del genere suo. Si come ancora, se bene noi ci seruiamo del Vangelo, ò tutto, ò parte, & intorno alle Materie, & à i Santi, & à gli Heretici; non però questa si domanda Predica di Vangelo: perche il principale nostro fine è, ò la Materia, ò il Santo, ò l'Heretico; nè adoperiamo il Vangelo, per isporlo principalmente, ma per seruircene ad vno di quei fini ch'habbiamo detto.

Si che le Prediche di Materia (pigliando Predica di Materia per tutte quelle che non sono di Vangelo) non saranno mai più, che noue sorti, cioè. *Materia semplice. Santo semplice. Heretico semplice. Materia da vn capo del Vangelo. Santo da vn capo del Vangelo. Heretico da vn capo del Vangelo. Materia da tutto il Vangelo. Santo da tutto il Vangelo. Heretico del Vangelo tutto*. L'altre Prediche poi, che sono *di Vangelo*, sono quelle; oue noi non habbiamo altro principale scopo, che di esponere letteralmente, ò misticamente quella parte della Scrittura, che ci si propone; interserendoui, e Materia, e laude de' Santi, e confutatione d'heresia, quanto si voglia, mà sempre occasionalmente, e non per altro, che per isporre quel testo.

E queste anch'elleno possono essere di trè sorti; perche, oueramente pigliamo ad esporre con molte opinioni, e con varij sensi vna particella, ò tutto il Vangelo; ouero (il che è ingegnosa cosa) facciamo, che tutte l'altre clausole del Vangelo concorrano ad esporne vna sola principale: ouero, correndo doi Vangeli, come di Feria, e di Festa; ò Vangelo, & Epistola, come corre ogni giorno: facciamo, che vno di questi testi ci serua ad ispiegare ò parte, ò tutto l'altro. Così, tosto che si vorrà fare vna Predica; in vna delle due maniere bisogna che sia; cioè ò di *Materia*, ò *di Vangelo*: delle quali contenendone la prima noue, e la seconda trè; dodici sorti di Prediche, al mio giudizio, sono quelle, che frà tutte le Prediche del Mondo possono trouarsi.

Del formare la Propositione principale. Capitolo II.

TRouato che habbiamo, in quale di queste dodici maniere vogliamo formare la Predica nostra; subito *habbiamo à ridurre tutta la Predica ad vna Propositione sola*, in modo tale, che, da quella Propositione in poi, niuna

niuna cosa si dica da noi principalmente, e per se stessa; mà tutto quello, che si dirà, serua ò per introdurci à quella Propositione, ò per amplificarla, ò per prouarla, ò per ornarla; & in somma tutto ò mediatamente ò immediatamente si apporti per lei sola: in quella maniera, che Aristotele nella Poetica dice, che il Poema non è vno, se non è vna l'Attione: & ogni Poema può bene hauere delli Episodi assai; ma all'vltimo bisogna, che vna sola sia la cosa, che egli tratta; come à dire, l'ira d'Achille, il passaggio d'Enea in Italia, e simili.

Quando dunque io voglio trattare, per essempio, del digiuno; non basta questo: ma posso in questa sola Materia far diuerse Propositioni. Come sarebbe à dire. *Il digiuno è opera buona. Il digiuno è meritorio. Il digiuno è sodisfattorio. Il digiuno è antico. Il digiuno opera buoni effetti*, & altre tali. Delle quali, per fare vna Predica, bisogna ch'io non pigli se non vna; altrimenti la Predica non sarà vna. E questa vnità di Propositione, per parlare logicamente, sarà; quando non vi sarà se non vn Soggetto, & vna Passione. Come sarebbe à dire. *Il digiuno è antico*; non importandomi però molto, se questa Propositione si pronuntij in modo di Enuntiatione, ò in modo di Questione. Di Enuntiatione affermatiuamente, come sarebbe à dire, *Il digiuno deue osseruarsi*, ò negatiuamente, come, *Il digiuno non deue tralasciarsi*; ò di Questione, come sarebbe, *Se il digiuno deue farsi? Se è ordinato da Christo? Se ogn' vno vi è obligato?* e simili. Perche, se vi pensiamo bene, anco la Questione si riduce all'vltimo all'Enuntiatione, ò affermatiua, ò negatiua. Si che à me basta, che in ogni Predica tutto lo scopo altro non sia, che trattare vna sola Passione di vn sol Soggetto, comunque tu lo proponga; ò per modo di Propositione, ò di Enunciatione, ò d'altro. Mà applichiamo più particolarmente alle dodici maniere.

In vna Predica di *Materia semplice*, per essempio, volendo predicare del digiuno, piglierai vna sola Propositione, come sarebbe à dire, *Il digiuno è antico*: oue vediamo, che Soggetto è il *digiuno*, che Passione è *l'antichità*, nè altro in tutta la Predica faremo, se non introdurci, ò prouare, ò amplificare, ò ornare mediatamente, ò immediatamente la *inherentia* di questa Passione à questo Soggetto. Con vn' auuertenza sola, mà notabilissima; che, potendosi in materia di digiuno eleggere la Propositione, della quale vogliamo predicare, ò più vniuersale, ò più particolare; bisogna che auuertiamo molto bene, à non pigliarla tanto particolare, che non vi siano proue bastanti per empire vna Predica; nè tanto vniuersale, che non bastino le principali sue proue à rinchiudersi in vna Predica di vn' hora: & in somma bisogna che facciamo la cappa secondo il panno, che noi habbiamo. Se habbiamo molte cose, e siamo dotti assai; possiamo eleggere le Propositioni quanto si voglia più particolari, che non ci mancherà mai da fare vna ben longa Predica in proua loro: ma se non habbiamo più farina che tanto, sarà manco male à pigliare la Propositione più vniuersale che si può: perche gran cosa sarà, che sotto à tanta vniuersità non si

trouino

trouino proue, per empire sette, ò otto fogli. Mà di questo bisogna che ogn'vno sia giudice nella propria causa: e se s'ingannerà, sarà suo danno.

Io dirò questo solo; che, entrando due cose nella Propositione; la maggiore, ò minore vniuersità, si potrà pigliare hora dalla parte del *Soggetto*, & hora da quella della *Passione*, come sarebbe à dire. Dalla parte della Passione. *Il digiuno è buono*; questa è vniuersalissima, e poi di mano in mano. *Il digiuno è opera Christiana. Il digiuno è meritorio. Il digiuno è sodisfattorio. Il digiuno aiuta l'oratione*, e simili; sono tutte Propositioni, che si vãno sempre maggiormente particolarizando. E così dalla banda del Soggetto; *Il digiuno è buono. Il digiuno comandato da Christo è buono. Il digiuno quadragesimale è buono. Il digiuno quadragesimale senza beuer vino è buono*; ancò qua si vede, che le cose si vanno sempre restringendo. Di modo, che ò dalla parte del Soggetto, ò della Passione, ò da tutti doi, bisogna ch'altri nell'eleggere della Propositione sopra della quale vuole fare la Predica, si faccia ò più largo, ò più stretto il fosso, conforme al vigore, che si sente nelle gambe, per saltarlo; pure che (come hò detto) vna sola sia sempre la Propositione, che si elegge.

Il medesimo habbiamo da osseruare, quando semplicemente *ragioniamo in laude di vn Santo*: cioè, Determinare anco quà vna sola Propositione, alla quale tutto il rimanente della Predica si riduca. Et in questa, senza dubbio, *Soggetto* sempre sarà il Santo, e *Passione* quella laude, che noi gli vorremo attribuire. Come sarebbe à dire: *Lorenzo fù vn gran Martire, Pietro fù Prencipe degli Apostoli*, e cose simili.

Auuertendo, che anco quà, e dall'vna, e dall'altra banda si potrà allargare, e ristringere la Propositione, come diceuamo di sopra: mà più chiaramente dalla parte della *Passione*, che da quella del *Soggetto*. Poiche dicendo: *Pietro fù Santo. Pietro fù Apostolo. Pietro fù Principe de gli Apostoli. Pietro fece la più bella confessione di fede, che si facesse mai*; quà si vede espresso il ristringimento della *Passione*. Mà come si possa ristringere il *Soggetto*, essendo Pietro vn' indiuiduo; non pare così chiaro: tuttauia si ristringerà, trattando di lui, non semplicemente, mà considerato nella tale ò tale attione. Come sarebbe à dire, *Pietro in tutto il corso della vita sua fù lodeuole*, ouero, *Pietro nell' Apostolato*, ò *Pietro nel Martirio*, ò, ristringendo di mano in mano tanto più le considerationi, quanto più ristretta sarà l'Attione di lui, che noi considereremo. E questo basti quanto al Santo.

Nel confutar l' Heretico semplicemente, bisogna hora hauer' vn poco più di consideratione. Perche, se ogni volta che noi trattiamo materia impugnata da Heretici, noi credessimo di trattar questo terzo genero; bisognerebbe dire, che tutto quello che trattassimo mai ò di *Materia*, ò di *Santo*, ò di *Vangelo*, fosse di questo genere; non essendoui hormai cosa nella Theologia Sacra, che non sia stata impugnata da qualche Heretico. E però diciamo, fare vna Predica contro l'Heretico, all'hora, che tutto lo scopo nostro è il dimostrare, che le raggioni, le quali egli hà adoperato à fortificare

la sua, & abbattere la nostra opinione, sono lontane ò dal vero ò dal verisimile. Di modo, che la Predica contro l'Heretico è tutta quasi confutatiua, & hà pochissimo della confermatione. Per essempio. Predicando io, *il digiuno quadragesimale douersi osseruare*, questa se bene è di Materia che hà negata l'Heretico, e se bene predicando, incidentalmente io confuterò le ragioni di lui; ad ogni modo, essendo mio principale intento il confermare la materia, ch'io tratto, e non il confutare chi l'impugna; come dal fine diceuamo già che si denominauano i generi, così questa Predica non sarà *contra Heretico*, ma *di Materia*: la doue, se per mio principale intento predicassi, *che le ragioni di Caluino, addotte contra il digiuno, sono false*; questa propriamente sarebbe *contra l'Heretico*, perche non hauerei per mio fine confermatione alcuna, mà confutatione sì bene.

Et in questa ancora bisogna, come nelle due passate, eleggersi vna Propositione sola, quasi centro di tutta la Predica. Come sarebbe à dire, *le ragioni di Caluino, addotte contra il digiuno, esser false*. Hauendo anco l'occhio quà, ad allargarla, ò stringerla, come diceuamo di sopra, ouero dalla parte del *Soggetto*, come sarebbe à dire, *gli Heretici falsamente impugnano il digiuno, gli Heretici moderni falsamente impugnano il digiuno, i Caluinisti impugnano il digiuno, Beza falsamente impugna il digiuno*, e simili: ouero dalla parte *Passione*, come sarebbe, *Beza falsamente impugna le opere sodisfattorie, ò il digiuno quadragesimale*, e così discorrendo. Et infin quà, assai habbiamo detto de' trè generi semplici, che chiamiamo *di Materia*, cioè della *Materia semplice, del Santo, e dell'Heretico*.

Facil cosa sarà hora, il trattare di questi medesimi congionti, ò con passo particolare del Vangelo, ò con tutto il Vangelo: perche: douendosi anco quà per regola infallibile eleggere vna Propositione sola, dalla quale pende tutta la Predica; il modo di farla sarà, pigliando dalla parte del *Soggetto*, tutto quello che era, *e Soggetto*, *e Predicato* ne' Generi semplici, e poi dalla parte della *Passione* mettendoui ò il passo del Vangelo, ò tutto il Vangelo, che tu vuoi applicare. Per essempio, la Materia semplice era. *Il digiuno deue osseruarsi*, piglia tutto questo, e mettilo dalla parte del *Soggetto*, dicendo * In tutta questa Predica, mio scopo sarà il dimostrarui *come, che il digiuno debba osseruarsi, viene eccellentemente prouato dal tal passo del Vangelo*. Nel Santo Propositione era questa: *Pietro è Prencipe de gli Apostoli*: dicasi hora, *Pietro esser Principe de gli Apostoli, lo proua eccellentemente questo tal passo del Vangelo*. Contra l'Heretico, Propositione era: *Beza falsamente impugna il digiuno*: dicasi adesso: *Beza falsamente impugnar' il digiuno, questo si proua dal tal passo del Vangelo, per molte vie*. Dico, *per molte vie*, perche queste vie saranno poi quelle, le quali ci faranno le argomentationi da finire tutta la Predica: ma non siamo ancora arriuati tanto auanti. Per hora, quello, che hò applicato ad vn passo del Vangelo, applichisi à tutto il Vangelo, e dicasi: *Il digiuno douer' osseruarsi, Pietro essere Principe de gli Apostoli, Beza falsamente dannar' il digiuno, la tale ò la*

tale

tale di queste cose, si proua marauigliosamente nel Vangelo d'oggi. E di questa maniera si forma la Propositione de' generi semplici, con l'applicatione del Vangelo. E, se doue diceui: *il tal passo lo proua per molte*; dirai: *il tal Vangelo lo proua per molte clausule*; hauerai ancora apparecchiato il fondamento di tutta la Predica. Mà questo si vedrà poi più chiaramente.

Restano hora le sole Prediche Didascaliche, che noi domandiamo *di Vangelo*: nelle quali ancora, bisogna tirare ogni cosa ad vna Propositione sola (che questa è certa, e perpetua regola) ma come si possa fare, quì (al mio giuditio) è molto maggiore difficoltà: perche, esponendosi tutto il Vangelo, semplicemente; tante pare che siano le Propositioni, quante sono le clausole, che si espongono: nè si può facilmente vedere, come tutte insieme vadano à seruire ad vna sola: E pure chi espone vn Vangelo à clausola per clausola, senza ridurlo ad vnità; al sicuro fà bene, ò Parafrasi, ò Commento, ma non già Oratione, ò Predica. Tuttauia diciamo, che essendo trè i generi di questo Didascalico; ciè, Espositione di vn Vangelo solo, di vn passo col Vangelo tutto, e di vn Vangelo con l'altro; ne' doi vltimi, facilissima cosa è trouare la Propositione fondamentale della Predica, perche dicendo noi: *La tal clausola del Vangelo si mostra vera per tutte l'altre*; questa è vna Propositione sola, la quale da tutte l'altre, esposte nel rimanente della Predica, vien' ad esser confermata: e dicendo, *Questo Vangelo hà marauigliosa conformità con quell' altro*; anco questa è vna sola Propositione, la quale riceuerà confermatione da tutto quello, che si di-
„ rà. Per essempio, [*Ego principium, qui & loquor vobis*. Che Christo sia
„ principio, come dice questa clausola; voglio prouarlo con tutte le altre
„ clausole del Vangelo.] Ecco la Propositione: e così sarà d'ogn'altra, anche di Vangelo con Vangelo; come facilmente possono intendere li mediocremente essercitati.

Quello, che pare difficile, è la espositione semplice d' vn solo Vangelo. Tuttauia bisogna considerare, che tutti i Vangeli, che si ci propongono, ò saranno Dottrina, ò saranno Historia, ò Misto. Dottrina, come sarebbe à dire, la sesta feria delle Ceneri, *Diligite inimicos vestros*, fino al fine. Historia, come la feria quinta. *Cùm introisset Iesus Capharnaum*, fino al fine. Misto, come sarebbe il giorno d' Ogni Santi. *Cùm ascendisset Christus in montem &c. Beati*, e quello che seguita. Noi habbiamo prima à distinguere, quale di queste cose ci venga per le mani. E poi, se è Dottrina; pigliaremo lo scopo di quella Dottrina, che quiui si tratta. Come sarebbe à dire, nell'essempio allegato la Propositione sarà, *Che i nemici s'habbino da amare, il Vangelo d'oggi lo mostra*. Nè basterebbe à dire: *Il nemico deue amarsi*, perche à questo modo la Predica sarebbe *di Materia*, e non *di Vangelo*. Ben si potrebbe dire, che anco la Propositione formata da me pare più tosto propositione di materia applicata al Vangelo tutto, che Propositione *di Vangelo*; ma bisogna auuertire, che il Vangelo stesso quiui tratta Materia, e però non poteuamo procedere altrimenti.

Se farà Historia quella, che si tratta nel Vangelo; procureremo di conoscere, quale virtù, ò quale qualità dell' *Agente* si mostri principalmente per quella Historia: e dicendo, quella qualità prouarsi dalle attioni di quel Vangelo; haueremo formata la Propositione. Come sarebbe nella Historia di Cafarnaù: se vogliamo pigliare il Centurione come *Agente*, potremo „ dire. [Quanto possa la fede del Centurione, lo mostra per molte clausole „ le questo Vangelo:] e così potremo poi aggiungere nelle argomentatio- „ ni, [perche Christo viene à lui, perche lo essaudisce, perche lo lauda, „ &c.] ouero, se vogliamo pigliare per *Agente* Christo; potremo dire: „ Quanta sia la bontà di Christo, lo mostra questo Vangelo,] e poi nelle „ argomentationi soggiungere, [perche viene al Centurione, perche sana „ il seruo,] e simili cose: le quali esponendosi da noi, ci faranno insieme esporre tutte le clausole del Vangelo, e tutte nondimeno indrizzare ad vna proua sola. Mà che si hauerebbe à fare, quando in vn Vangelo si narrassero due Historie, come sarebbe à dire in quella Domenica, che si legge l'Historia del Centurione, e quella del leproso? In tal caso; vna delle due cose potiamo fare: ouero, esporre vna sola, al modo che diceuamo di sopra, e non far mentione dell'altra: ouero, Trouare quello *Agente*, che è commune à tutte due, e trouare quella qualità di lui, che da tutte due l'attioni viene prouata: e tutto questo mettendo per Soggetto, dire, che tutto questo si proua da tutte due l'Historie; come sarebbe: [Christo esser po- „ tente, lo prouano i doi miracoli del Vangelo d'hoggi.]

Resta il *Misto* solo, oue si narra Dottrina, & Historia insieme: e quiui, ò la maggior parte è Historia, ò la maggior parte Dottrina. La maggior parte Historia, come nel Vangelo del Centurione, se doppo tutta quella attione aggiungiamo: *Multi ab Oriente, & Occidente venient*. La maggior parte Dottrina, come nel Vangelo d'Ogni Santi; oue, doppo l'attione d'ascendere nel monte, si narra tutta quella Dottrina: *Beati &c.* Se la maggiore parte è Historia; pigliaremo lo scopo della Historia. Come sarebbe „ à dire: [Christo esser buono, lo mostra tutto il Vangelo, perche viene „ al Centurione, perche sana l'infermo, perche lauda la fede, e di più per- „ che egli non è partiale; onde soggiunge. *Multi ab Oriente, & Occidente* „ *venient &c.*] E così haueremo innestata la Dottrina à prouare l'Historia. Mà se la maggior parte sarà Dottrina; bisognerà pigliare lo scopo della Dottrina, e procurare, che quelle poche attioni anco loro, almeno per senso morale, caminino all'istesso scopo. Come sarebbe nel Vangelo d'Ogni „ Santi: [Il modo d' acquistare la felicità si mostra nel Vangelo d'hoggi.] „ Ecco la Propositione, [questo si fà da quelli, che *Flent*, che *Sunt mundi* „ *corde*, che *Persecutionem patiuntur &c.* E di più da quelli, che con Chri- „ sto *Ascendunt in montem*, cioè contemplano, *Sedent*, cioè si compongo- „ no l'animo; *Aperiunt os*, cioè giouano al prossimo,] & và discorrendo.

Si potrebbe quà dubitare, sotto qual Genere andasse la Parabola; ma non è dubbio, che è Dottrina, e che hà lo scopo chiarissimo: sì che, trouando

uando il suo senso letterale, in quale non è quello, che le parole suonano, mà che principalmente hà inteso Christo (come in vn Trattatello à posta habbiamo dimostrato noi) facilissima cosa sarà il ridurre anco il Vangelo della Parabola ad vna Propositione sola. E così habbiamo già fatto due cose importantissime nella Predica: cioè imparato à conoscere il genere, nel quale vogliamo dire; & in ogni genere à formare quella Propositione, che hà da dare vnità alla Predica, e sopra alla quale si hà da reggere tutta la machina: Cosa infin quà, che tutta si può fare senza libro, e senza lume, pensando solo, ò nel letto, ò doue si voglia: perche fin qui non si hà di bisogno d'altro, che di se stesso.

De' Libri, & del preparare la Selua de' Concetti. Cap. III.

FAtto questo, cominciamo ad hauer bisogno d'altri, che di noi medesimi; cioè di molti libri, da' quali noi possiamo cauare i concetti, che prouano, e che c'introducono alla Propositione, che ci siamo eletta: in quella maniera, che doppo hauer' altri proposto di fabricare nella Città, e di far casa nella tal forma; bisogna poi ch'egli entri nella fornace à prouedersi di pietre, e nel bosco à procacciarsi tauole, & in somma ad apparecchiare la materia dell' edifitio suo. Così bisogna, che noi entriamo nella libraria nostra, e che quiui procuriamo da tutti i libri ch'habbiamo cauare, e mettere in disparte quasi vna Selua, di tutti quei concetti, che ci hanno à seruire nella proposta Materia. Nè senza proposito, tutta questa raccolta de' concetti noi la domandiamo *Selua*; perche, mentre l'andiamo cauando, l'andiamo ancora distendendo confusamente, quasi selua ò bosco, in vn poco di carta, infin' à tanto, che disponendola poi, come diremo, la compartiamo, e ne facciamo giardino. E certo, quanto à questo mestiero del preparare la Selua, sarebbe forsi meglio il non ne dare regola alcuna; se non dire, che ogn' vno da quei libri, ch'egli tiene appresso, cauasse quella maggior copia di concetti à suo proposito, ch' egli potesse: se dall'altro canto noi non hauessimo molta voglia di giouare in ogni minutia a' principianti. Di maniera, che anco in questo deliberiamo (succintamente però) di dire loro trè cose, cioè: Quali libri deuono procurare di hauere, in che maniera deuono fare à cauare i concetti, e finalmente nel cauargli, con qual forma denno riporli in quel pezzo di carta, oue fanno la Salua.

E prima, quanto à i libri, se alcuno sarà, il quale habbia modo d'hauerne quanti vuole; io senza dubbio lo consiglierei à pigliare tutti i libri, che troua, principalmente ecclesiastici: e l'assicuro, che la copia de i libri è quella, che principalmente, frà tutte le cose, suol fare honore à chi compone: hauendo io per regola certa, che à chi studia, e vuole imparare, basta vn libro solo; ma à chi scriue, e vuole insegnare, non gliene bastano mille. Sì che habbiansi pure de i libri, e legganfi tutti; perche all'vltimo tutti insegnano: e se in cento volte, che tu fai Selue, vna volta sola

tu troui vn concetto notabile; il libro è pagato, e la fatica è ricompensata con grossissima vsura. Mà se non hà il modo di hauere appresso di se tanta copia di libri, anzi non hà pur il modo di hauere quei doi libri, che à me par che contengano tutti gli altri, in materia di Scrittura Sacra, cioè il Tostato, e Nicolò de Lira; anco à questo, à mio giuditio, si può dar forma, come con pochi libri e poca spesa egli habbia in cella da potere assai abondantemente scriuere in ogni genere di Predica, ch'egli faccia. Percioche, douendo tutti i concetti essere, ò Scrittura, ò di Materia, ò di Santo, ò Contra Heretici; sopra la Scrittura, principalmente nuoua (poiche sopra quella ordinariamente predichiamo) à me basterà, che habbia doi libri soli, cioè la *Concordanza* marauigliosissima *di Iansenio*, e la *Catena aurea di S. Tomaso*; ma se è possibile, sia quella stampata à Parigi dal Somnio, che hà notati in margine, non solamente i nomi, ma i luoghi ancora minutissimi de gli Autori, perche in questo modo si studia insieme e Scrittura, e Padri: & essendo quelle annotationi fedelissime; mercè d' vn libro solo, tu n'alleghi in pergamo più di mille. Quanto alle Materie, principalmente scolastiche, (poiche non denno essere predicate, come si disputano) à me pare che basterà hauere il solo testo della *Somma di S. Tomaso*, e se fusse possibile quel bel *Rosario di Pelbarto*, che dice ogni cosa, & ogni cosa chiarissimamente. Per le Prediche de i Santi, basterà *l'Historia Ecclesiastica di Eusebio*, e quello che ne dice il *Breuiario*: così come contra gli Heretici, à me pare, che non occorra hauer' altro, che *Alfonso de Castro*. Ben' haurei caro, che si hauessero poi certi libretti di cose communi che infinitamente giouano, come sarebbe; *Exempla virtutum, & vitiorum*: gli *Essempi di Marco Marulo*, *Similitudines Sacræ Scripturæ*: *Summa Conciliorum*, e simili: Mi piacerebbero ancora per la varietà delle cose, che contengono, la *Bibliotheca di Sisto*, *& il Decreto*; intendendo sempre quello, senza che non si può fare, cioè vna *Concordanza della Biblia*, *& vna Biblia stessa*; la qual Biblia, s'è possibile, habbia quella Tauola di Materie, che si domanda *Index Biblicus*. E questo, quanto i libri.

Il modo hora di vsarli per trouarne i concetti, può esser tale, quale ogn' vno troua che più serua à se stesso: con tutto ciò io vorrei prima, che non si comprasse mai libro, il quale non hauesse Tauole perfettissime, almeno due; quella che si domanda *delle Materie*, e quella *de' luoghi della Scrittura*: e poi farei vna distintione di questo modo. Che tutti i libri, ò trattano la Scrittura ex professo, e per modo di Commento, come Nicolò de Lira, come il Gaetano, come Bonauentura in Lucam, e simili; ouero fanno Sermoni, & Homelie sopra determinati passi, ò determinati Vangeli della Scrittura; ouero trattano determinatamente Materie; ouero in ogni Materia fanno professione di raccogliere molte cose da dirsi. In ogni caso; quelli, che trattano la Scrittura, vi mischiano Materie; e quelli, che trattano materie, espongono incidentemente molti luoghi della Scrittura: sì che, douendo tu fare vna Predicha *di Vangelo*, potrai vedere tutti gli Autori di

Scrit-

Scrittura, oue trattano quel Vangelo ex professo, e poi loro medesimi, e tutti quanti libri hai in cella, nelle Tauole delle Scritture; per vedere, se incidentemente ne hanno mai fatta mentione: dall' altro canto, se non tratti Vangelo, ma Materia; vedrai prima quelli, che trattano appostatamente quella Materia; e poi loro stessi, e quanti ne hai in cella, nella Tauola delle Materie; per vedere, se à caso, & à proposito d'altro, ne haueſſero ragionato.

Vedrai di più ne i libri de i Luoghi communi, come sarebbe, d'Essempi, d'Historie, & altro; se alcuna cosa fa per te, & anco questa riporrai: oltre che non isdegnerai i libri scritti à mano, che tu ti trouassi, anco fatti da te stesso; e finalmente dall' *Indice Biblico* piglierai ciò che torna à tuo profitto; lasciando per vltimo *la Concordanza della Biblia*: la quale, se tu saprai seruirtene, basterà sola à darti materia per mille Prediche, in qual si voglia Soggetto.

Il modo di seruirsene lo tratta chiaramente Sisto nella sua Bibliotheca, & io per hora non dirò altro, se non che, e nelle Concordanze, & in tutte le Tauole delle Materie, per ritrouare quello, che fà à proposito nostro, bisogna ricercare doi luoghi; cioè il nome del *Soggetto*, e quello della *Passione*, che noi vogliamo trattare. Come sarebbe, volendo predicare, *che il digiuno è buono*; nella parola *Ieiunium*, e nella parola *Bonus ò Bonum*, si troueranno tante autorità da farci suegliar l'intelletto à produrre concetti à proposito nostro; che pur troppo basteranno per ogni longhissimo ragionamento. Auuertendo di più, che, doue per non esser' i ragionamenti semplici, noi del *Soggetto*, e della *Passione* del semplice ne facciamo vn Soggetto solo del non semplice, all'hora nelle Concordanze, e nelle Tauole delle Materie basterà cercare i doi termini del *Soggetto*, senza hauer punto d'occhio alla *Passione*. Come sarebbe à dire, in questa propositione: *Il digiuno esser buono, si dimostra dal Vangelo d'hoggi*, basterà à trouare *Digiuno*, & *Buono*; senza pensar' ad altro: & vniuersalmente, bisogna mettersi à cercare quel solo, che noi crediamo di trouare; e che ci possa seruire. Ma quanto à i concetti, che hanno da cauarsi; ogn'vno lo saprà per auuentura far meglio da se, che non sappiamo insegnarlo noi.

Resta il modo, col quale dobbiamo notare sopra vn pezzo di carta (per dir così) tutto ciò, che noi trouiamo, che serua à nostro proposito. E questo bisogna farlo in modo, che non sia, nè troppo diffuso, nè troppo ristretto. Alcuni vi sono, i quali notano solamente i fogli del libro oue si troua il concetto, senza dire, che concetto egli sia; e questo è tanto, come niente; perche bisogna poi, che tu torni sempre al libro; oltre che, pigliando quella Selua in mano, e non sapendo tu, che concetti siano quelli, non puoi in alcun modo compartirli; se già, essendoui soli i numeri, non ti dilettassi; di sommarli ò di moltiplicarli. Altri vi sono, i quali longamente scriuono tutte le parole e tal'hora le pagine intiere di quelli Autori, onde cauano i concetti; e questo senza dubbio è più vtil modo, che

non

non è quell' altro; mà è di souerchia fatica, e bisognerebbe hauer da far vna Predica l'anno, ò poco più. I terzi scriuono il concetto concisamente, mà scriuono di più il numero della pagina, d'onde l'hanno cauato, rimettendosi sempre à riuederlo; e questo certo è molto assai vicino al perfetto. Ma io non vorrei, finita ch'hò la Selua, hauer mai più à riueder' i libri; e vorrei poter con quella sola carta, oue hò fatta la Selua, anco in campagna, ò caualcando, fabricar la Predica mia. Contutto ciò non è sempre possibile; e però dico, che quando in vn libro tu trouerai vn concetto solo, e quel concetto tu lo vuoi apportar per tuo, ò almeno non vuoi nominare doue l'habbi cauato; quiui non accade far' altro, che scriuere l'istesso concetto in manco parole che tu puoi, tanto che tu solo l'intendi. Se poi, ò nell'istesso, ò in altro libro, troui vn sol concetto, e ti pare, che allegando l'Autore tu gli dia grauità e riputatione; all' hora metterai nella Selua il concetto in pochissime parole, & il nome dell'Autore, col luogo, oue egli lo dice. mà questo con nome di *Trattato*, *ò Libro*, *ò Homelia*, ò simili, e non per numero di fogli: perciòche al sicuro in pergamo non dirai, *come dice S. Chrisostomo à fogli* 130. e questo allegare l'Autore, deue farsi principalmente, oue i concetti, ò sono deboli, ò molto communi; perche, aiutati con quel nome antico, paiono da qualche cosa. Occorre anco alle volte, che siamo necessitati à portare, non solo il concetto, ma l'istesse parole del Santo, ò della Scrittura, principalmente nelle Controuersie con gli Heretici; & all'hora bisogna nella Selua scriuer' il concetto, e con le parole stesse, e col nome dell'Autore. Oltra il che, l'vltima cosa che può auuenire è, che noi habbiamo bisogno nella Predica di dire molti, e molti concetti, tutti seguenti, di qual si voglia Autore, come sarebbe, luoghi communi: & all'hora, perche il distenderli tutti nella Selua, sarebbe troppa fatica; douendo tu formare la Predica, oue si troua la tua Libraria; meglio è, che tu segni il luogo commune solo, che tu hai da trattare, col nome dell'Autore, e col numero de' fogli. E così, tutti i capi della Selua, ò saranno concetti semplici, ò concetti col nome dell' Autore, ò concetti col nome, e con le parole dell'istesso Autore, ò solo il nome dell'Autore col numero de' fogli: & in questo vltimo caso solamente sarai astretto di tornar' à riueder' i libri, bastandoti ne gli altri la tua Selua sola.

Mà, per non lasciar mancare minutia alcuna in questa materia; vorrei anco due cose da te; l'vna, che ogni concetto della Selua cominciasse da capo, come fanno i versi ne i Poemi, ò che egli contenesse vna linea sola ò più, che questo non importa; e l'altro, che innanzi ad ogn'vno de i concetti tu mettessi il numero suo per ordine, cominciando 1. 2. 3. &c. non perche con quest' ordine debbiano poi esser distesi nella Predica; ma per vn' altra cosa, che si dirà poi. Per essempio; studiando la Materia del digiuno quadragesimale, troui questo concetto, *Il digiuno è comandato ne i Canoni de gli Apostoli*, e quest'altro; *Moisè digiunò quaranta giorni*, e quest' altro

altro; *Spiridione diede delle carni ad vn' amico suo, di Quadragesima*, e quest' altro, *la Quadragesima si fà à tempo di Primauera*. Tutti questi concetti, perche gli hai trouati con quest' ordine, tu gli distenderai nella tua Selua con questo stess'ordine, con i numeri così.

1 Digiuno ne i Canoni de gli Apostoli.
2 Moisè quaranta giorni.
3 Spiridione, carne all'amico. Sozom.
4 Quadragesima di Primauera.

Non certo, perche con quest' ordine tu gli habbi à distendere, perche non vi sarebbe continuatione alcuna; ma perche tutti questi numeri ci faranno poi grandissima vtilità nel compartimento della Selua. Et infin qui si è detto assai del Genere della Predica, della Propositione, che dobbiamo eleggere, e della Selua, che dobbiamo fare: nelle quali trè cose, s'io non erro, s'inchiude tutta quella prima parte della Rhetorica, che gli Autori domandano *Inuentione*.

Della Distributione de' Concetti per le Proue, ò Argomenti. *Capitolo IV.*

SI come, apparecchiata ch'habbiamo la materia dell'edificio, succede, che noi l'andiamo compartendo per diuersi appartamenti della fabrica, la qual'habbiamo da fare: così, congregata ch'habbiamo la Selua de i concetti; la prima cosa, che habbiamo à fare, è Scorrergli tutti, trè ò quattro volte attentissimamente, e così alla grossa deliberare frà noi stessi, quali di loro vogliamo, che seruano alle distinte parti della Predica nostra.

E però qui essendo luogo da dire così in generale, quante sono le parti della Predica; io per hora vi dico, che non sono, se non due; cioè *Vna innanzi alla Propositione*, & *vna doppo*. Vna cioè, con la quale c'introduchiamo à proporre la cosa, che vogliamo prouare, e persuadere; e l'altra con la quale prouiamo, e persuadiamo quello, ch'habbiamo proposto. Di modo che per hora constituiamo due parti: l'vna, la quale chiamiamo *Introduttione*, e l'altra *Proua*.

Ma bisogna sapere, che di queste due, vna è più principale dell'altra, e questa molto più occupa della Predica, che non occupa l'altra, perche l'introduttione nel principio della Predica con poche clausole si spedisce; là doue, proposto quello che vogliamo trattare, tutto il raggionamento rimanente si consuma in proue: Et, se vogliamo anco discender' à minutie sì grandi: oue, per essempio, vna Predica deue stendersi tutta in otto pagine; di queste vna sola basterà per la introduttione, al più; e poi fatta la Propositione, e diuisala in poche parole, come diremo più à basso, tutto il rimanente si dispenserà in proue. E però, quando habbiamo la Selua in mano; la più importante cosa è il trouare, quale di quei concetti habbiano da seruirci nella proua, che del resto, il trouar concetti per far' vna introduttione, è cosa molto facile. Et io per me vorrei che da principio, senza hauer ponto memoria dell' Introduttione, come se non si hauesse à fare; tutto lo scopo del componente fosse, scegliere dalla Selua quei concetti,

cetti, i quali possono *immediatamente* prouare la sua Propositione. Dico *immediatamente* con molta ragione, perche sarà facil cosa, che nella Selua vi siano molti concetti, i quali possono adattarsi anch'eglino à prouare dalla lunga quello, che vogliamo dire; ma questi non sono quelli, a' quali dobbiamo hauere principalmente l'occhio. L'importanza è, da principio trouarne alcuni pochi, i quali *immediatamente* prouino la Propositione, & à i quali, come à capi di squadra, si riduchino poi quasi tutti quegli altri, che sono nella Selua; e questi principali per le cause, che si diranno poi più à basso, non doueranno essere manco di due, nè più di quattro, se ben' alcuni ne hanno concesso fin' à cinque; ma io, come dico, vorrei per l'ordinario che fussero trè, e se pur' eccedessero, che non passassero quattro. Per essempio, nella Selua di questa Propositione, *Il digiuno quadragesimale deue osseruarsi*, dite voi, che trà gl'altri ci sono questi concetti.

1 Il digiuno quadragesimale fù figurato nell'antica Legge.
2 Il digiuno quadragesimale gioua anco al corpo.
2 Il digiuno quadragesimale è de Iure Diuino.
4 Il digiuno quadragesimale macera la carne.
5 San Francesco digiunaua più quaresime.
6 Moisè digiunò quaranta giorni.
7 Molti Concilij comandano il digiuno.
8 Telesforo non fondò il digiuno quadragesimale, mà altri innanzi à lui.
9 Il digiuno ci dispone all'oratione.
10 Sant' Ambrogio dice, ch'il non digiunare la quaresima, è peccato mortale.

Di questi concetti, non vi è dubbio, che quasi tutti prouano la Propositione, ma non tutti la prouano *immediatamente*: perciochè il dire: [il „ digiuno quadragesimale è de Iure Diuino, dunque bisogna farlo,] que„ sta senza dubbio è *immediata*. Mà il dire: [Moisè digiunò quaranta „ giorni, dunque bisogna fare la quaresima,] questa al sicuro non conclude *immediatamente*, perche l'istesso Moisè si circoncise, e pure non habbiamo à circonciderci noi. Si che, se questo concetto ci hà da seruire per prouare la nostra propositione; bisogna ridurlo ad vn qualch' altro concetto „ commune, che *immediatamente* la proui: Come sarebbe, [il digiuno qua„ dragesimale antichissimamente fù sempre osseruato, ò figurato; e che sia „ vero, anco Moisè digiunò quaranta giorni: dunque facciamlo.]

Troueremo ancora nella Selua nostra alcuni concetti, che prouano immediatamente: ma perche sono molti di loro, che se bene tutti immediatamente prouano, tutti nondimeno prouano per vna sola ragion formale; però tutti questi s'hanno da ridurre ad vn capo solo. Come sarebbe à dire: „ [Il digiuno macera la carne, dunque digiuniamo: Il digiuno aiuta „ l'oratione, dunque digiuniamo:] tutti due questi concetti prouano immediatamente, mà tutti due per l'istessa ragione dell'*Vtilità*; [e però tutti due, e gli altri di questa sorte, hanno à comprendersi tutti sotto vna pro-

na commune, cioè, *Ch'il digiuno è vtile, e però deue farsi*. In somma, bisogna considerare nella Selua molto bene, di cauare, se vi sono distintamente, ò di formare trè capi soli, che prouino la nostra Propositione; e pigliarli tali, che sotto di loro possino distribuirsi in trè classi, ò tutti i concetti, che sono nella Selua, ò la maggior parte.

Il che fatto, se per caso vna di queste proue non potrà riceuere dalla Selua tanti concetti, che la facciano feconda, & abondante; bisogna per lei sola tornar à vedere le Tauole de' libri, e ne' termini del *Soggetto*, e della *Passione* sua, formar di nuouo vn poco di Seluetta per lei sola. Ma se in contrario, anco ridotti alli trè capi principali quanti concetti si può della Selua fatta; ad ogni modo alcuni ve ne restano, che non vi capiscono sotto; questi si lascieranno così, nè si cancelleranno, nè si trascureranno, perche haueranno poi da seruire à cert'altre cose, che diremo più à basso. Frà tanto, io vorrei dire, che questi capi, che si piglieranno, bisognerà scriuergli appuntatamente in trè luoghi, e sotto ogn'vno di loro metterui la classe de' suoi concetti co' numeri soli, che per questa cagione facemmo preporre i numeri à tutti i concetti della Selua. Mà perche queste sono cose, che à spiegarle paiono difficilissime, & à metterle in opera non sono se non facili; però sarà meglio, per non mancare in cosa alcuna all' vtilità di chi hà da leggere, che ne facciamo prattica con vn'essempio.

Voglio dunque far'vna Predica, non di *Vangelo*, ma di *Materia*, e questa non di *Materia applicata à parte di Vangelo*, ò *Vangelo tutto*, ma di *Materia semplice*. La Propositione, à che voglio ridurre tutta la mia Predica, è, *Che il digiuno quadragesimale deue osseruarsi*. Studiando per tutti i miei libri questo termine, *Digiuno quadragesimale*, e quest'altro, *Osseruarsi*, io, come mi sono venuti nello studiare, così senz'altr'ordine hò fatto la Selua de i concetti, ch'è qui à basso, & hogli prepolto i numeri, per valermene poi all'occasione.

1 Moisè digiunò quaranta giorni.
2 Ne' Canoni de gli Apostoli è comandato il digiuno,
4 Christo stette quaranta giorni nel deserto &c.
4 Digiuno si troua Naturale, Morale, e Meritorio, e di molte sorti.
5 Otto stati di persone non sono tenute al digiuno.
6 Telesforo non fù egli, che fondò la quaresima.
7 Il digiuno aiuta grandemente l'oratione.
8 S. Francesco digiunaua molte quaresime.
9 Spiridione in tempo di quadragesima diede carne ad vn' amico.
10 S. Ambrogio dice, che è peccato mortale, il non digiunare la quaresima.
11 Elia digiunò quaranta giorni.
12 La Chiesa ordina, che si faccia la quaresima.
13 Inuettiua contro chi non digiuna la quaresima, del tal Padre, à tanti fogli.
14 Molte ragioni, per le quali è vtile la quaresima, del tal Padre, & in tal luogo.

 15 Non

15 Non si mangia la quaresima, fin che non è sonato Vespro.
16 Niuna cosa dispiace al Demonio, più del digiuno quadragesimale.
17 Santi Padri, che fecero la quaresima. Essempi di Marco Marulo. à tanti fogli.
18 Passo della Chiesa: *Virtutem largitur, & præmia*.
19 Tutti gli Heretici gridano contro il digiuno.
20 Tempo quadragesimale, decima di tutto l'anno à Dio.

Contentiamoci di questi pochi per hora, che tanto basteranno, come se fossero mille, per dar' essempio di quello, ch'habbiamo detto di sopra. Pigliamo dunque tutta questa Selua in mano: e consideratala molto bene, molti concetti trouiamo, che non prouano *immediatamente*; & altri che lo fanno, ma *con vna ragione formale* commun' à tutti. E però giudichiamo, che tutti questi concetti possino ridursi à trè proue; cioè, che questo tal digiuno deue farsi, *perche è Vtile, perche è Necessario alla salute, perche è di Antica consuetudine*. Il che fatto, mettiamo sotto tutta la Selua, ò in vn'altro pezzo di carta, come più ci piace, queste trè Proue distintamente.

Vtile. Necessario. Antico.

E poi cominciamo à discorrere di concetto in concetto, qual' habbia à seruire all'*Vtile*, quale al *Necessario*, e quale all' *Antico*, e qual concetto vi sia, il quale non possa seruire ad alcuna di queste proue. Per essempio, *Che Moisè digiunasse quaranta giorni*, questo non può seruire, se non per modo di figura, all' *Antichità*; prouando, & fin da all'hora fù incominciato à digiunare questo digiuno quadragesimale. *Il Secondo*, come appare chiaramente, serue alla *Necessità*, poiche mette precetto; e se bene potesse anco seruire all' *Antichità*, nondimeno si hà da constituire nel suo luogo più principale. *Il Terzo* può seruire ad ogn'vno de i capi, perche, se Christo lo fece, dunque è *Antico*, *Necessario* in vn certo modo, & *Vtile*; ma per hora collochiamo nell' *Vtilità*. *Il Quarto* non serue ad alcuni di questi capi, perche la diuisione del digiuno non ci persuade, che dobbiamo fare la quaresima, e però di questo non ne piglieremo pensiero per hora. *Il Quinto* è della medesima maniera, cioè non serue à nulla per hora. *Il Sesto* serue all' *Antichità*, perche fù dunque prima di Telesforo fondato il digiuno, e così di mano in mano; senza star' à riueder più cause. *Il Settimo* serue all' *Vtilità*. *L' Ottauo* pur' al medesimo. *Il Nono* à niente per hora. *Il Decimo* alla *Necessità*. *L'Vndecimo* all' *Antichità*. *Il Duodecimo* alla *Necessità*. *Il Terzodecimo* à niente per hora. *Il Quartodecimo* all'*Vtilità*. *Il Quintodecimo*, mostrando che così si faceua già, all' *Antichità*. *Il Sestodecimo* all' *Vtilità*. *Il Decimosettimo* all' *Antichità*. *Il Decimoottauo* all' *Vtilità*. *Il Decimonono* alla *Necessità*, inducendo da contrario senso, *Il Ventesimo* all'*Vtilità*.

E così si farebbe di molti altri, se più ve ne fussero, mà in ogni caso, di mano in mano, che noi trouiamo vn concetto douersi applicare al tale de' trè capi già proposti; collochiamo il numero suo sotto à quello de' trè capi

pi sopraſcritti, à cui egli serue; e facciamo (per dir così) trè Claſſi di numeri. Come sarebbe nell'eſſempio propoſto; ſotto à trè capi, metteremo per ogn'vno di loro i numeri de' concetti, che gli seruiranno, di queſta maniera.

Vtile.	*Neceſſario.*	*Antico.*
3	2	1
7	10	6
8	12	11
14	19	15
16		17
18		
20		

Così habbiamo già diſtribuita alle proue tutta la Selua, e compartito tutti i concetti ſuoi, eccetto quattro, che ſono *il Quarto, il Quinto, il Nono, & il Terzodecimo*; de' quali, che coſa n'habbiamo à fare, lo vedremo poi. Frà tanto, torno à raccordare, che quando in vno di queſti capi ci pareſſero troppo pochi i concetti, à petto à quelli delli altri; come ſarebbe, ſe ci pareſſero pochi quelli del *Neceſſario*, à petto à quelli dell'*Vtile*, ò dell' *Antico*; biſognarebbe riuedere alcuni de i libri, e far'vn poco più feconda quella claſſe. Baſta, che infin quà habbiamo determinato il genere della noſtra Predica, deliberata la Propoſitione, fatta la Selua, elettone i trè capi della proua, e formatoui ſotto le trè Claſſi ſue.

Della Materia dell'Introduttione. Capitolo V.

Biſogna hora, che noi paſſiamo all'altra parte principale della Predica, poiche così alla groſſa in due parti ſole la diuidemmo, cioè in quella che ſeguita la Propoſitione, & in quella, che la precede; della quale hora ci conuiene ragionare, nominandola col nome, col quale la dimandammo all'hora, *Introduttione*: ſe bene, come vedremo più à baſſo, eſſa molto ragioneuolmente ſi potrebbe domandare il *Proemio*; mà per hora noi non ci curiamo di ſeguitar i termini dell'Arte, poiche ci baſta inſegnar'vn modo, (com'egli ſi ſia) di formar vna Predica. Queſta Introduttione, come debba accommodarſi, come debba diſporſi, quanto debba eſſer lunga, in quante parti diuiderſi, e ſimili coſe; noi lo diremo poi, quando parleremo della Diſpoſitione delle parti della Predica: mà per hora noi non parliamo, ſe non del compartimento della Materia trouata à ciaſcuna delle parti di eſſa: eſſendoui ſenza dubbio molta differenza dall'ordinare, quali pietre vadino in queſto appartamento, e quali in quell'altro; ouero dal diſponere, come le pietre ordinate al tale appartamento debbano eſſer accommodate per fabricarlo. La Selua, come habbiamo detto, ſerue per le pietre, e li appartamenti ſono le parti della Predica; noi per hora non facciam'altro, che *Diſtribuire*, quali concetti della Selua debbano ſeruire alla tale, ò alla tale parte; con animo di moſtrar poi, come i concetti riſeruati per tal parte debbano accommodarſi frà loro à fabricarla. E pe-

E però, sicome nella proua habbiamo detto, che da tutta la Selua, ò fuori della Selua bisogna cercare alcune Propositioni, le quali *immediatamente* prouassero la Propositione principale del Ragionamento; così hora dichiamo, che ò della Selua, ò da noi stessi habbiamo da *scieglier e vna Propositione sola*, la quale c'introduca, e c'inferisca *immediatamente* la Propositione ch'habbiamo pigliata à prouare. Come sarebbe à dire; *Ogni digiuno deue osseruarsi*. Hò detto non à caso, ne senza ragione quella parola *immediatamente*; perche molti peccano grandissimamente in questo fatto; i quali, per introdursi alla Materia, di che vogliono ragionare, pigliano cose tanto superiori à lei, e tanto lontane; che à ridurle infin'al Soggetto, che si tratta, vi bisogna grandissimo tempo, e bene spesso l'Introduttione vien'ad essere più lunga, che la Predica; ingannati, credo io, da vna Propositione, la quale hò sentita dire più volte, e mi hà fatto ridere; cioè, che è bella cosa, quando il Predicatore ragiona vn grandissimo pezzo, senza che nessuno s'accorga di che cosa egli voglia trattare, e doue egli habbia à battere: e pure io credo il contrario, che alla vnità della Predica sia molto conueneuole il vedere, che infino i primi fili seruono al tessuto. Mà di questo ragioneremo poi più distintamente, quando tratteremo la *Dispositione della Introduttione stessa*.

Per hora torniamo à dire, che la Propositione, la quale scegliamo, deue esser'*immediata*; perche, hauendosi à consumare tutta la Intruduttione, come diremo poi, in amplificatione di quella Propositione, dalla quale inferiamo la nostra principale; al sicuro, se molte ve ne fossero superiori, tante amplificationi v'andarebbero, che allongarebbono, e confonderebbono stranamente il tutto. Per essempio, s'io dico: *Ogni digiuno deue osseruarsi, dunque anco il Quadragesimale*; quà io non hò d'amplificare, se non quella Propositione: *Ogni digiuno hà da osseruarsi*: là doue, s'io dicessi, *Ogn'opera buona deue farsi*, vero è, ch'anco questa inferirebbe, *che il digiuno deue osseruarsi*, mà non lo farebbe immediatamente, e però bisognarebbe prima trattare, *che l'opera buona deue farsi*; appresso, *che ogni digiuno è opera buona*; di più, *che la Quaresima è vno di questi digiuni*; e finalmente, *essa dunque deue farsi*: di maniera, che moltiplicandosi le amplificationi; in vece d'vna Introduttione si farebbe vn Trattato.

Quà bisogna auuertire, che se bene io nella Propositione *Inferente* (per dir così) hò dato l'essempio in vna vniuersale, che inferisce vna particolare, cioè: *Ogni digiuno deue osseruarsi, dunque anco il Quadragesimale*; nondimeno io non intendo, che sempre la *Illatione* si faccia di questa maniera: mà potendosi, come fanno tutti quelli, ch'hanno studiato la Topica, per diuersissimi luoghi inferire vna stessa Propositione; à me basta, che in qualsiuoglia di questi luoghi Topici tù t'elegga la Propositione, purche sia *immediata*, la quale t'introduca al tuo Soggetto principalmente. Come sarebbe à dire, dalla Definitione. [Se l'astenersi, in questa parte dell'an-
„ no, da'peccati, e cibi vietati, è cosa buona; dunque è ben ragioneuole,
„ che

„ che osseruiamo il digiuno Quadragesimale.] Dal Meno al Più: [Poiche „ osseruantissimi furono i Giudei ne' loro digiuni legali: ben'è ragione, „ che osseruanti siamo noi Euangelici del nostro digiuno Quadragesima-„ le .] Dal simile, come sarebbe à dire: [Se le Orationi, determinate à „ certi instituti tempi, sono vtilissime; anco il digiuno, determinato à „ questi quaranta giorni, deue osseruarsi da noi,] E così potrà chi hà giuditio, discorrendo per gli luoghi Topici, trouar facilmente tutte le Propositioni, che *immediatamente* possono inferire la sua principale; nè noi per materia di tutta l'Introduttione d'altro habbiamo bisogno, che di questa *Propositione Inferente*, e di alcune cose, che l'amplifichino, nella maniera, che diremo poi.

E però, cauati che noi habbiamo dalla Selua tutti i concetti delle proue, e distribuitili in classi, come facemmo di sopra; bisogna, che torniamo à pigliare la Selua in mano, e che considerando quei concetti, i quali sono restati vuoti senza adoperarsi nelle proue, vediamo, se frà questi ci fusse alcuna Propositione, la quale per qualch'vno de' luoghi Topici inferisse *immediatamente* la nostra principale; e trouandola, se ve ne fossero alcun'altre, che l'amplificassero; sì come, quando non ve ne trouassimo alcuna principale Inferente, bisognerà vedere, se le altre ci suegliassero l'ingegno à trouarne vna principale, alla quale alcuna di loro potesse seruire per amplificare: e quando niuna di queste cose ci riesca; lascieremo stare quei concetti della Selua, per seruircene ad alcun'altra cosa, e con l'aiuto dell'ingegno nostro, e de i libri anderemo à cercare, e la Propositione Inferente, e le sue amplificationi, e ne faremo vna appartata Seluetta.

Per essempio; nella Selua, che facemmo, tutti i concetti s'impiegarono in proue, eccetto *il Quarto, il Quinto, il Nono, & il Terzodecimo*. Hora di questi quattro, vado à vedere se alcuno ve n'è, che mi possa inferire *immediatamente*, *che il digiuno Quadragesimale deue osseruarsi*: e prima, *il quarto* non è buono; perche il dire, *digiuno si troua naturale, morale, &c. dunque il Quadragesimale deue osseruarsi*; questo si vede, che non è à proposito. Parimente *il quinto*, cioè: *Otto stati di persone non sono tenuti al digiuno Quadragesimale, dunque deue osseruarsi*, nè anco questo ci và. *Il nono* ancora non mi pare molto à proposito: poiche il dire, *Spiridion diede carne ad vn'amico suo, dunque il digiuno Quadragesimale deue osseruarsi*, questo pare, che concluda il contrario. E finalmente, *l'Inuettiua* notata sotto il numero *terzodecimo, contro chi non digiuna*, non sarebbe però la più bella vista del mondo, in principio d'vna Predica.

Si che in quei concetti, che restauano nella Selua, vediamo che non vi è Propositione alcuna Inferente; mà ve n'è ben vna, la quale potrà amplificare vna Inferente: perche, s'io inferirò con la Vniuersale, dicendo, *Tutti i digiuni sono buoni, dunque anco il Quadragesimale deue osseruarsi*; all'hora il concetto, che era sotto il numero del *quattro*, delle *diuisioni del digiuno*, non solo seruirà; mà sarà quasi necessario all'amplificatione di lei. E però,

quan-

quanto spetta alla Selua, la quale era in tutto di venti concetti, sicome n'habbiamo già cauati sedici per le proue, e gli habbiamo distribuiti in trè classi, sotto i trè capi di proue; così hora metteremo da canto distesa la Propositione Inferente della *Introduttione*, e sotto vi metteremo il numero di quel concetto, ch'habbiamo eletto in seruitio suo, in questo modo.

INTRODVCTIO.

Ogni digiuno è degno d'essere osseruato.

4.

HAbbiamo messo il numero solo di *quattro*, perche in questa poca Seluetta altro concetto non habbiamo trouato, che possa seruire alla Introduttione, se non quello del 4. messo nelle Selue ordinarie, e grandi, al sicuro troueremo sempre molti più; e quando non gli trouassimo, li anderemo à fare. Di maniera, che già haueremo cauati dalla Selua, e compartiti in distinte classi tutti i concetti, che possono seruire à i trè capi distinti della proua, & alla Introduttione, & in somma alle due principali parti della Predica.

Della Materia per le altre quattro particelle, che sono: Fine della Prima parte, Principio della Seconda, Fine di tutta la Predica, e Prologhino. Capitolo VI.

OLtre queste due parti, restano ancora alcun'altre particelle; per le quali bisogna tornare à vedere, se trouassimo alcune cose, che potessero lor seruire; e queste per hora diciamo, che sono quattro, cioè *il fine della prima Parte*, *il principio della Seconda*, *il fine di tutta la Predica*, *e quel principio di ragionamento, che communemente si chiama il Prologhino*. Delle quali cose se bene parleremo vn poco più distintamente nella *Dispositione delle parti*, hora nondimeno nella *Distributione della Selua*, è forza dirne alcuna cosa; per vedere, se de' concetti, che restano, alcuno ne fà per loro.

Il fine dunque *della prima Parte* per l'ordinario, ò *epiloga* quei due capi di proue, che son già spediti, ò *essaggera* la Propositione principale, ò fà *inuettiua* nella contraria, ò *deduce* gentilmente la Materia, che si tratta, all'elemosina, che si dimanda. E però ne' trè concetti, che restano, sicura cosa è, che nessuno ve n'è, il quale possa seruir'ad alcuno di questi officij; mà bisogna altronde procacciarsene, e far'vna picciola Selua di vno, ò due concettini, per questo effetto.

Il principio della Seconda deue sempre hauer per mira di ristorar l'animo affaticato di chi sente. Il che si fà in due modi: ouero, ritornando à mente quello, che innanzi s'è detto, mostrando fin'à che termine siamo del Ragionamento; ouero introducendosi alle proue, ch'auanzano, con alcuna cosa diletteuole, pur che non sia scurrile; come historia, apologo, de-

scrit-

scrittione, e simili cose. Alle quali vediamo parimente, che niuno di quei trè concetti è possibile, che serua; e però bisogna procacciarsi concetti altronde, e farne propria Selua.

Il fine di tutta la Predica, spesso si consuma in Epilogo di tutto quello, che si è detto; tal'hora in Oratione al Signore; & anco qualche volta in vehementi essortationi à chi fà quello, che persuadiamo; ouero in vehementi inuettiue contro chi non l'osserua. Nel qual'vltimo modo se noi vorremo terminare la Predica nostra *del digiuno*; tutti trè i concetti, che restauano, cioè, *il quinto, & il nono, & il terzodecimo*, seruiranno marauigliosamente; perche co'l *quinto* mostreremo, *che ben si può concedere ad alcune determinate persone il non digiunare*, e co'l *nono* diremo, che *anco, in caso di necessità, à tutti è permesso il non farlo*, mà co'l *terzodecimo*, contra i non essenti faremo *inuettiua* tale, quale l'Autore segnato in quel luogo c'insegnerà à fare.

Resterà il *Prologhino* solo, il quale, come diremo più giù, essendo più tosto vna ricercata del Madrigale totalmente diuersa da lui, che principio di lui stesso; poco bisogno haueremo, che la Selua ci somministri concetti per lui; essendo egli tanto libero, che da tutte le cose del mondo possiamo cauar materie, che gli seruano: con tutto ciò, quando doppo tutte le altre cose auanzassero ancora molti concetti vacui nella Selua; potremo vedere; se alcuno ve ne fosse, che facesse per lui, &anco questo distribuire. Di modo che, prima che ci mettiamo à fare la Predica nostra, già habbiamo otto capi di squadra, con le sue classi in ordine: cioè, *trè capi di proue, la Introduttione, il fine della prima Parte, il principio della Seconda, il fine di tutta la Predica, & il Prologhino*, e sotto ad ogn'vno di questi haueremo la classe di quei numeri della Selua, ch'ad ogn'vno di loro propriamente seruono: e se in questo saranno consumati tutti i luoghi della Selua, non occorrerà far'altro: mà se ne restassero ancor' alcuni, che à niuna di queste otto cose hauessero potuto seruire; à questi tali si darà di penna per non hauer fatica di leggerli ogni volta senza vtilità, quando andaremo à pigliar i concetti, che ci seruono.

Così habbiamo fatte due cose, cioè, trouata tutta la materia per tutta la Predica nella Selua, che facemo, e poi compartite diuerse parti d'essa materia, à varie parti della Predica, sotto distinti luoghi, e con distinti numeri. Il che se appartenga ad Inuentione, ò pur'à Dispositione; questo non voglio disputare: à me basta, che di due cose, ch'hò fatte fin'hora, vna è stata il trouar la materia, e l'altra il compartirla alle tali parti. Hora resta, che attendiamo à quella, che ogn'vno concede, esser pura Dispositione, cioè à mettere in ordinanza ogn'vna delle classi de'concetti entro ad ogn'vna delle parti, alla quale l'habbiamo applicata, &c.

Della Dispositione delle otto parti della Predica, e primieramente delle trè prime, Introduttione, Propositione, e Diuisione. Capitolo VII.

HAbbiamo nominato sette parti di Predica (s'habbiamo bene auuertito) cioè, *Introduttione, Propositione, Proue; fine di prima Parte, principio di Seconda, fine di tutta la Predica, e Prologhino*; anzi vna n'habbiamo tralasciata, almeno non l'habbiamo tocca spiegatamente, cioè la *Diuisione* della Predica, e pur'anch'essa è necessaria: di maniera, che pare, che noi infin quà facciamo otto parti dell'Oratione nostra. Con tutto ciò diciamo, che si come i Retorici non pongono più, che sei parti; così ancora noi ci contentiamo del medesimo numero: perciòche la nostra *Introduttione* è quella, che essi chiamano *Prologo*; la *Propositione* nostra risponde alla loro *Narratione*; la nostra *Diuisione* si conforma con la loro: nelle nostre *Proue* comprendiamo la *Confermatione, e Confutatione*, che mettono essi; finalmente nostro *fine di Predica* è quel medesimo, ch'eglino chiamano *Epilogo*. Che se hora auanzano trè parti di quelle che habbiamo dette, cioè il *Fine della prima*, il *principio della seconda Parte*, & il *Prologhino*; quanto al Prologhino diciamo, che questo non è parte di Predica, sicome la ricercata non è parte del Madrigale, mà è solamente vn Preludio (come concede anco Aristotele) fatto per preparare gli animi, e per disporli al principio, che seguita subito, della Predica tutta: e quanto alle altre due, si vede chiaramente, che non sono per necessità, mà per accidente: poiche, se facessimo la Predica di vna parte sola; niuna di loro vi bisognerebbe: là doue, hauendo hora l'vso introdotto, che se ne facciano due; per forza ne seguono, il fine di vna, & il principio dell'altra.

Mà della proportione, che habbia questo mio Trattatello con quello, che dicono i Rhetorici, mi sono non sò in che modo lasciato trasportare, à dirne più che non voleuo. Siano, quante parti vogliano gli altri, dell'Oratione; ch'io per me hora hò in animo d'insegnare, come se n'habbiano à disponer'otto: cioè *Introduttione, Propositione, Diuisione, proue, fine di prima parte, principio di seconda, fine di tutta la Predica, e Prologhino*. Nella quale Dispositione dico, che in due maniere possiamo ragionare: ouero, qual'ordine habbiano da hauere le parti frà loro stesse; ouero con qual'ordine debbano disporsi i suoi proprij concetti in qualsiuoglia delle dette parti.

Quanto alle parti, diuersa cosa è il dire, con qual'ordine debba recitarsi la Predica, ouero con qual'ordine debba comporsi: mà tutta questa diuersità consiste in vna parte sola, ch'è il *Prologhino*; perciòche, recitandola, non vi è dubbio, che il Prologhino hà da essere il primo, e poi le altre sette parti per ordine; mà nel comporla bisogna far prima tutte le altre, e poi da tutte le altre parti cauar'il modo di far'il Prologhino, come più chiaramente vedremo più à basso. Per hora io, di vna in vna, darò alcune regole, & alcuni modi di comporle; cominciando con quello stess'ordine, co'l quale già due volte le hò numerate di sopra, ch'è il vero ordine della Dispositione

spositione frà le parti nel comporle; cioè *Introduttione, Propositione, Diuisione, Proue Fine di prima parte, Principio di seconda, Epilogo, e Prologhino.* E quest'ordine, che io darò hora à ciascuna delle otto parti, sarà quella *seconda Dispositione*, che io accennauo di sopra; non delle parti frà sè; mà de' concetti suoi in ogn'vna di loro &c.

E prima, quanto all'*Introduttione*, se bene, rispondendo questa à quella parte, che i Rhetori chiamano *Prologo*, si può anch'essa formar'in varijssime maniere, e con diuersissimi precetti, come essi insegnano; nondimeno à me basterà dar'vn modo assai facile a' principianti, col quale possano introdursi nelle lor Prediche, auuertendoli solamente, ch'io non intendo di ristringerli à questo modo solo d'introdursi, e che questo non è assegnato loro, se non per vno de' molti, che possono trouarsi. Vorrei dunque, che nel primo Periodo, cioè innanzi al primo punto principale di tutta la Predica, noi formassimo sempre vn'Argomento od vna Illatione di quelle Propositioni, che di sopra habbiamo nominate, *la Proposition Inferente, e la Proposition principale.* Come sarebbe à dire, se la Propositione principale della Predica hà da essere, *che il digiuno Quadragesimale deue osseruarsi*, e la Inferente, *che tutt'i digiuni comandati denno osseruarsi*; vorrei, che subito, nell' istesso principio dell'Introduttione, noi formassimo quest'Argomento; *Tutti i digiuni comandati denno osseruarsi; dunque il digiuno Quadragesimale deue osseruarsi.* E quì bisogna auuertire, ch'alle volte, e per lo più, appresso a' Rhetori, e nelle Prediche, gli Argomenti si fanno per modo di Enthimemi, cioè di due Propositioni sole; mà qualche volta ancora tutte trè le Propositioni vi si mettono. Cosè sarebbe à dire. 1. *Tutt'i digiuni comandati deuono osseruarsi.* 2. *Mà il digiuno Quadragesimale è comandato.* 3. *Dunque deue osseruarsi*; E quì ancora torno à dir l'istesso, che se ben noi vogliamo farlo di trè Propositioni; ad ogni modo dobbiamo rinchiuderlo tutto sotto al primo punto principale della Introduttione.

Nè però intendo io, che si cominci la Predica con vn'Argomento espresso in *Barbara, ò Baroccho*, ouero con Enthimema tanto chiaro, ch'ogn'vno conosca, esser'egli Enthimema; anzi in questo bisogna adoperar'arte di far' in maniera, che da niuno, se non da molto prattichi, si conosca, ch'in quel primo periodo vi sia virtualmente, ò l'Argomento, ò l'Enthimema: e raccordarsi in somma quello, che dicea Zenone; cioè, che la Dialettica, e la Rhetorica si figurauano per la stessa mano, hora ristretta, & hora stesa; cioè, che quello stesso, che ristrettamente si mette in argomenti Dialettici; nella Rhetorica bisogna spiegarlo in modo, che non habbia pur faccia d'Argomento. Come sarebbe à dire, se nell'Argomento Dialettico io dico. 1. *Ogni digiuno comandato deue osseruarsi.* 2. *La Quaresima è digiuno comandato.* 3. *Dunque la Quaresima deue osseruarsi*; Rhetoricamente nondimeno confonderò le Propositioni, e le tratterò in qualche maniera, che non „ paia Argomento. Come sarebbe: [Poiche niuno è tanto sciocco, il qua- „ le non conosca, esser'il digiuno Quadragesimale vno di quegli, che da

„ Santa Chiesa ci sono strettamente comandati; ben'è ragione, se tut-
„ ti gli altri comandati da lei con ogni studio inuiolabilmente si ser-
„ uano; che anco in questo mostriamo noi, pieni di santa humiltà, vna
„ prontezza sacra, & vna Christiana obedienza.] Ouero in qualch'altra maniera più confusamente, mà più ornatamente. E così, se nell'Enthimema Dialettico io direi: 1. *Il digiuno comandato deue osseruarsi*. 2. *Dunque il Quadragesimale deue osseruarsi*; Rhetoricamente io potrò dire: [Egli è
„ vero, che tutt'i digiuni deuono osseruarsi: mà ad ogni modo, se noi an-
„ diamo pensando le qualitadi del Quadragesimale; egli sicuramente oltre
„ à tutti gli altri deue esser'osseruato da noi.]

E così vediamo, che, ò Enthimema, ò Argomento, ch'egli si sia quello, co'l quale nella Introduttione vogliamo inferire la nostra Propositione principale; sempre possiamo facilmente, e dobbiamo rinchiuderlo nel primo punto della Introduttione, e formar con due, ò trè, ò quattro membri vn periodo congiunto, e molto migliore, che non sono stati quei due di sopra; i quali hò in proua lasciati imperfetti, e disordinati, per insegnarli poi à far perfetti & ordinati, quando tratterò della *Elocutione*; alla quale apparterrà la limatura di quelle cose, che hora noi rozamente diciamo. Basta, che il primo punto principale di tutta la Predica deue contenere confuse, & allargate, ò trè Propositioni, ò due almeno; le quali con Argomento, ò con Enthimema inferiscano la Propositione principale, che noi habbiamo eletta.

Il che fatto, per vna certa ragione, ch'io dirò poi, quando ragionerò della *Elocutione*, sarà bene à far'Esclamatione, ò qualche Contraposta, ò qualche cosa in somma, che lasci respirar'vn poco gli animi degl'Ascoltanti; e questo in vna, ò due linee al più. Come sarebbe à dire, finito quel periodo, che conclude. *Dunque la Quaresima deue farsi*, soggiunger subito in vniuersale, per modo di Esclamatione: *santissimi, & vtilissimi digiuni*! ouero qualch'altra cosa simile. E poi bisogna venir'all'*Amplificatione dell'Argomento*; con questa distintione, che se la propositione principale nel primo periodo è stata inferita da due Propositioni; bisogna amplificar tutte due quelle, con quello stess'ordine, col quale le habbiamo dette nel periodo: è, se vna Propositione sola è stata l'Inferente nell'Enthimema; quella sola doppo l'Esclamatione bisogna, che noi cominciamo subito ad amplificare; & in questa occupar tutto quello spatio, ch'haueremmo occupato in amplificar le due, se vi fossero state.

Voglio dire, (per non lasciar minutia alcuna, ch'io non discorra,) che come diceuamo di sopra, se la Predica sarà di otto pagine; la Introduttione faremo, che n'occupi vna intiera; mà con quest'ordine, che doppo il primo periodo, e quella prima posata, l'Amplification del periodo duri à punto vna facciata, e mezza di detta prima pagina, lasciando l'altra mezza per quell'officio ch'io dirò poi; e frà tanto, s'haueremo da amplificar due Propositioni, la prima durerà dalla posata per tutta la prima faccia,

c la

e la seconda per mezo la seconda: là doue, se non haueremo da prouarne se non vna sola; questa dal fine della posata occuperà tutto lo spatio fin'alla metà della seconda faccia; auuertendo però, che nè io ristringo tutte le Prediche ad otto pagine, nè tutte le Introduttioni ad vna, nè tutte le Amplificationi doppo il periodo è la posata, in vna faccia, e mezza; mà assegno queste cose, quasi per misura; alla proportione della quale, potrai poi far le Prediche di quante carte vuoi.

Se dunque haurò detto, mà oratoriamente, nel primo periodo: *Tutti i digiuni comandati sono da osseruarsi, il Quadragesimale è comandato, dunque &c.* soggiunto ch'hauerò la posata, *santissimi digiuni &c.* comincierò subito ad amplificar quella prima Propositione, dicendo. [E certo chi non sà, „ che le cose comandate deuono osseruarsi? poiche, chi è, che le comanda, „ se non Dio? à chi comanda, se non à noi? perche comanda, se non per „ nostro bene?] e simili altre cose; con le quali giunto, ch'io sarò al fine della prima faccia, concludendo tutto il passato, come sarebbe à dire; *In somma, certissima cosa è, che le cose comandate debbono osseruarsi,* soggiugnerò subito l'Amplificatione della seconda Propositione. Come sarebbe à di„ re: [Mà qual cosa fù mai più comandata della Quaresima? di quella Qua„ resima, la quale, &c. di quella, la quale, &c.] E così discorrendo arriuerò al mezzo della seconda faccia & hauerò fatta l'Amplificatione di due Propositioni. Là doue, se con vna sola nel periodo si fusse fatta la Illatione, come sarebbe à dire: *Ogni digiuno deue osseruarsi, dunque ancora il Quadragesimale*; quì, doppo il periodo, e doppo la posata, non occorrerebb'altro, ch'amplificar quella Propositione sola, per tutta la faccia, e meza della pagina. Come sarebbe, dicendo: *Santissimi digiuni &c. Molti digiuni, Ascoltatori, si trouano. Naturale, Morale, &c.* e così fin'all'vltimo. Auuertendo, che nella Predica, nella quale diamo l'essempio, sarebbe necessario far'il periodo di due Propositioni sole; perche se noi lo facessimo di trè, vna delle trè da amplificarsi sarebbe quella, *mà la Quadragesima è comandata*; nell'Amplificatione della quale bisognando impiegare tutti i concetti, che sappiamo del comandamento di lei; verremo di questa maniera à priuarci di tutta la seconda classe della proua, nella quale haueuamo posto i concetti pertinenti alla *Necessità* di lei; là doue, facendo due Propositioni sole, non habbiamo d'amplificare se non quella prima, *Che tutt'i digiuni deuono osseruarsi*: all'Amplificatione della quale, non accade adoperar'alcuni di quei concetti, ch'habbiamo distribuiti nelle classi dell'*Antichità, Vtilità, e Necessità* della Quaresima; mà trà tutta la Selua, ci seruiamo di quel solo, ch'apparecchiammo sotto l'Introduttione, cioè della *diuersità de i digiuni*, segnata co'l numero del 4.

E così fin quà, douendo durar' l'Introduttione vna pagina intiera, già n'habbiam' occupato vna faccia e mezza, nel primo periodo, nella posata, nell' amplificatione dell'vna, ò delle due Propositioni. Alla quale bisognãdo hora soggiunger subito la Propositione principale, che noi trattiamo;

mo; non pare, come nel riferir questa sola noi possiam' occupar tutto lo spatio d'vna mezza faccia; mà diciamo, che non è però honesto, che noi così semplicemente, e senza ornamento alcuno, doppo l'amplificatione della inferente, portiamo in mezzo nuda nuda la Propositione inferita, e però questo spatio di carta l'occuparemo in alcuna cosetta vaga; come sarebbe, in vna comparation' naturale, ouero in vn' Historia Ecclesiastica, ouero in qualch'Essempio della Scrittura Santa; con la quale, pianpiano arriuiamo à proferir poi schietta e pura la Propositione principale. Come sarebbe à dire, finita l'amplificatione, la potremo concluder così: *Tanto è egli vero, che tutti i digiuni debbono osseruarsi*; E poi, per venir' à dire, *che „ la Quaresima deue osseruarsi*, potremo dir così: [Mà non è egli anco ve- „ ro, che tutte le Stelle sono Stelle, e pure frà tutte loro più viuamente ri- „ splende il Sole? non è egli vero, che tutti i colori sono colori, e pure „ più puro di tutti gli altri è il bianco? e così tutti i digiuni sono digiuni; „ mà digiuno sopra tutti i digiuni à me pare quello, di che io vi parlo „ hoggi; e però di lui in particolare torno à replicarui, che con grandissi- „ mo studio deue osseruarsi la Quaresima Santa.]

E quello, ch'habbiamo detto del Sole, e de' colori, se altri lo tratterà, ò per modo d' Historia, ò d'Essempio, ò come si voglia; à me non importerà nulla, purche, occupando in questa Leggiadria (per dir così) buona parte di quella mezza faccia, che ci restaua, porti all'vltimo come habbiamo detto, pura, schietta, e nuda la Proposition Principale in campo, che sarà il fine della *Introduttione*. Anzi sarà il fine della Introduttion' e della Narration' insieme; perche, prendendo noi per Introduttione quel primo periodo, e le Amplificationi, e quella Leggiadria; diciamo poi, che la Narratione della Predica non è altro, se non quella clausola sola, nella quale doppo le Leggiadrie (per dir così) portiamo in campo, puro e netto quell' Argomento sopra del qual' habbiamo à ragionare.

Di questa maniera, già habbiamo risposto à due parti di quelle de' Rhetori, cioè, con *l'Introduttione* al Proemio; e con la *Propositione schietta* alla Narratione loro. Doppo il che, seguitando appresso di loro la *Diuisione*, ancor' appresso di noi diciamo che seguita il medesimo: e però, proposta ch' haueremo la nostra Propositione pura; bisogna che *Diuidiamo* tutta la Predica: ma questo ci sarà tanto facile, che niente più; perche questa *Diuisione* non sarà altro, se non vn Narrare i capi di quelle classi, che noi apparecchiammo per le Proue. Come sarebbe nell'Essempio proposto; doppo hauer detto: [Dunque la Quaresima frà tutti gli altri digiuni deue „ osseruarsi:] soggiungere: [osseruarsi per infinite cause, ma principal- „ mente per trè, come sentirete hor' hora, cioè per l'Antichità, per la Ne- „ cessità, & per l'Vtilità sua.] E così, riserrandosi tutto questo nella sola prima pagina delle otto; già haueremo trè parti rispondenti alle trè dell'Oratore, cioè la *Introduttione*, la *Propositione*, e la *Diuisione*.

Della Dispositione della Proua ch'è la quarta parte. Cap. VIII.

HOra la quarta nostra parte, che domandiamo *Proua*, contiene quelle due che seguitano dell' Oratore, cioè la *Confermatione*, e la *Confutatione*; coniungendo noi bene spesso, come pur fanno ancor' essi, & il Confermar delle ragioni nostre, & il Confutar de gli Argomenti contrarij. Nella qual parte, come dicemmo di sopra, l'vso hà ottenuto, che le proue non tutte successiuamente si mettono, ma in due parti della Predica si diuidono: però, quanto alla Dispositione di dette Proue, trè cose ci bisognerà fare; cioè, pensar prima, quali delle classi, e quante vogliamo poner' in ciascuna delle parti della Predica; appresso, di quelle che in vna parte sola vogliamo mettere, deliberarne l'ordine, ch'hanno da hauer frà di loro; e finalmente, in ciascuna di dette Proue, pensar con qual'ordine debbano stendersi quei concetti, che nella classe sua si trouano apparecchiati. Quanto alla prima cosa, io dissi, che non desidererei meno di due proue, nè più di quattro; & che le trè mi pareano vn conuenientissimo numero: con tutto ciò, torno à dir' hora, ch'io non astringo alcuno à questo piccol numero; anzi, oue la Predica è Didascalica, non hò per inconueniente, ch'i passi del Vangelo, iquali seruono per proue, siano in maggior numero; ma nelle Materie semplici, nelle Laudi de' Santi, e contra gli Heretici, hauerei ben caro che non più di quattro fossero i capi delle proue; e se fusse possibile, che fussero trè soli.

Nel qual caso, *quanto al numero*, dico, che due se ne potranno metter nelle prima Parte, & vn solo nella seconda; e, se saranno quattro, due lunghi nella prima, due più breui nella seconda; e così di mano in mano. Perche in somma, se vogliamo misurar le Prediche (come si dice) à braccio; volendo far la Predica, com'habbiamo detto, per essempio d'otto pagine, & occupandosi la prima dalla *Introduttione, Narratione, e Diuisione*; vorrei, che delle altre sette restanti quattro ne fossero della prima Parte, e trè della seconda: perche se ben pare disuguaglianza, facendo la prima Parte di cinque, e la seconda di trè; bisogna nondimeno considerare, che nella seconda gli animi sono più stracchi; oltre che s'hanno sempre da nontiar nel principio di lei, o Indulgentie, ò Elemosine, ò altro, che portano qualche tempo; e finalmente, nell'vltimo solendo noi riprendere, & essaggerare, è impossibile, che non diciamo sempre molto più di quelche habbiamo scritto: sì che, quanto alla quantità, vorrei che più capi di proue si mettessero nella prima Parte, che nella seconda, con quella proportione, la qual' hò detto.

Quanto alla qualità poi, non si può dar' vna Regola certa; perche la diuersità delle Materie pone anco noi in diuerse necessità; tuttauia possiamo dar' alcuni auuertimenti. Come sarebbe: Che la proua più difficile, e più speculatiua, si metta subito la prima, doppo l'Introduttione: Che la più morale si riserui sempre per l'vltimo di tutta la Predica: Che, se alcuna

ve n'hà piaceuole, e di diletto; si metta nel principio della seconda Parte, quando gli animi hanno bisogno di ristoro: E se alcuna ve n'è di marauiglia, come quelle, oue ci bisogna infinita memoria, e simili; questa tale si metta nel fine, non però della seconda Parte, ma della prima: non della seconda, perche colà ci hai da metter cose diuote & vtili; e non hai da lascar partir' il popolo con vna impressione, che tu sia ostentatore; ma sì bene al fine della prima, oue il lasciar' il popolo, che s'ammiri, lo farà più attento al rimanente, & ad ogni modo hauerai tempo ancora di leuar quell'applauso da te stesso, e darlo à Dio.

Nell'Essempio dunque, ch' habbiamo proposto, essendoci trè capi di proue, à confermare, *Che il digiuno quadragesimale debba osseruarsi*, cioè *Necessità*, *Vtilità*, *& Antichità*; io quanto alla prima cosa ch'hò proposta, ne metterei due nella prima, & vna nella seconda: e quanto alla qualità, perche l'*Vtilità* è più morale; la lascierei per la seconda parte: e di quelle altre due, perche la *Necessità* hà maggior forza; la metterei nell' vltimo della prima Parte: adoperando l'*Antichità* nel principio doppo l'Introduttione, per due cause; cioè, perche vi saranno cose più recondite e più difficili da dire; e perche, douendo noi seruare, nell' ordine del ragionare, l'ordine delle cose; prima dobbiamo trattar quelle cose ch' anticamente la figurauano, e poi quelle cose che successiuamente hanno instituito il digiuno; E questo, quanto alla dispositione de' capi delle proue.

Ciascuno de' quali contenendo nella sua classe molti concetti, hora richiede l'ordine, che noi trattiamo, in qual maniera, sotto ad ogn'vno di questi capi debbano disporsi detti concetti delle classi. Il che diciamo che si farà molto bene, hauendo à mente questa Regola per infallibile, *Che ogn' vna delle Proue deu'esser' vna Predichetta intiera*, & hauer le medesime parti, ch'hà la Predica, dalla Diuision' in poi; cioè, vn poco d'Introduttioncella in vna sol clausola ò due, la Narratione dello stesso capo della proua, e doppo lui, tutte quelle cose che l'amplificano, finalmente vn picciolo Epiloghetto, al quale possa poi attaccarsi l'Introduttioncella dell' altra proua che seguita, la quale noi domandiamo *Volta*.

Bisogna dunque, fatta che noi habbiamo la Diuision della Predica, pigliar' in mano la classe di quella proua, che noi vogliamo trattare per la prima; e sopra di lei fissamente discorrendo, considerare, se alcuno di quei concetti potesse seruirci per Introduttioncella. Ma questo molto di rado auuerrà che segua; e però, lasciata la Narratione, che si fà co'l proporr'il capo della proua, basterà risoluersi, con qual' ordine vogliamo seruirci di quei concetti della classe nell'Amplificatione, fin che arriuiamo al fine, & all'Epiloghetto di lei. Per essempio, già habbiamo fatta la Introduttione, e già habbiamo proposto per Narratione, *ch' il digiuno quadragesimale deue osseruarsi*: già habbiamo la Diuisione, *che questo deue farsi per l'Antichità, per la Necessità, e per l'Vtilità*: hora facciamo vn poco di apparato di tre, ò quattro parole; come sarebbe à dire: *E per cominciare dall' Antichità*,

tichità, (essendo ben ragione, ch'all'Antichità si donino i principij &c.) Questo sarà il Prologhino: à questa proua bisogna hora metterci la sua Narratione; come sarebbe: *Chi non sà, ch'antichissimo fù semper il rito di digiunar quaranta giorni?* e così habbiamo l'Introduttione, e la Narratione. La Diuisione quà non bisogna, e però corro à veder' i concetti, che possono amplificar'il mio capo di proua, e trouo che ne hò cinque, cioè.

1 Di questi guardo qual' io debbo mettere per primo. E, poi-
6 che l'ordine de'tempi in questo caso mi serue; comincio dall'*Vno*,
11 e discorro, che *Moisè digiunò quaranta giorni*; appresso, metto
15 l'*Vndecimo*, che dice, *Il medesimo fece Elia*; poi, passando dal-
17 le figure al figurato, mostro l'Antichità per lo *Sesto*, cioè, perche *Telesforo, pur' antichissimo, lo presupponea già antico*; Vengo poi al *Quintodecimo*; e mostro, che *quel digiuno quadragesimale, il qual facciamo noi, è lo stesso antico, per la conformità de' riti, che vediamo frà loro.* Poi vengo al *Decimosettimo, dell'essempio de gli Antichi*. E così accommodando tutti questi concetti della proua con quelle Figure, & con quei lumi dell'Oratione, che s'insegnano nell' *Elocutione*; mi trouo hauer fatta tutta la prima proua, dall'Epiloghetto in poi, & hauer occupato quelle pagine à punto, ch'io haueuo disegnato per la prima proua.

L'Epiloghetto poi, bisogna auuertire, non hauer da esser di tutti quei concetti, che si sone adoprati nell'amplificatione, ma douer' esser solamente vna ricordanza del capo di proua, che s'è finito di trattare; e questo à fine di poterci attaccare l'Introduttioncella dell'altro capo, ch'hà da trattarsi; in modo tale, che questi Epiloghetti con le Introduttioni seguenti vengano quasi ad esser gangheri, sopra quali si volti l'Oratione. E però, come più belle sono quelle porte, oue con artificij sono coperti i gangheri, di modo che non si veggano; così nell' Oratione bisogna hauer grandissima auuertenza di far queste Introduttioncelle, hora in vna maniera, & hora in vn'altra; di modo, che si facci passar l'animo dell'Ascoltante da vna proua all'altra, per ponte, senza accorgersi, d'hauerlo passato.

A questo seruitio dunque delli *Epiloghetti*, saranno buonissimi gli Episomeni, le Esclamationi, le Riprensioni, le Indignationi, & altre Figure, che più chiaramente si mostreranno nell' *Elocutione*. Come sarebbe nell'Essempio proposto, finita che sia l'amplificatione di tutto il primo capo; per Epilogo, e per memoria di lui, dir così: *Tanto egli è vero, ch'antichissimo è il rito della Quaresima*, ouero. *O Quadragesima dunque, quanto è egli vero, ch'antichissima sei?* ouero: *E l'Heretico poi ardirà di negarmi l'antichità della Quadragesima?* ouero: *Andate hora voi, e trouate rito più antico della Quaresima*. ouero (e questo è bello; perche ricorda insieme col capo della proua, anco la Narration principale di tutta la Predica,) diremo: *Tant'è egli vero, che, quando non vi fosse altro, ad ogni modo per l'antichità dourbbe osseruarsi la Quaresima*. Al qual' Epiloghetto vedete adesso, quanto facilmente potrete attaccare la Introduttioncella, e la Narratione dell'altra

proua; perche potrete soggiungere: *Ma non vi è questa cosa sola, Ascoltatori*, (e questo sarà il Prologhino) *Vi è di più, la Necessità*, e questa sarà la Narratione; la quale fatta, tornerete à pigliar la classe di questo secondo capo di proua, procedendo sempre nell'istessa maniera, ch'habbiamo insegnato di sopra. Sì che, se la Predicha fusse d'vna Parte sola; hauendo noi detto tutto quello, ch'appartiene alla *Introduttione*, *Narratione*, *Diuisione, e Proua*; altro non ci resterebbe, che raggionare dell'*Epilogo di tutta la Predica*: ma per l'vsanza ch'abbiamo di far due Parti, diremo alcuna cosa del fine della prima, e del principio della seconda Parte.

Come si debban disporre, il Fine della prima Parte, & il Principio della seconda. Cap. IX.

SOgliono alcuni, per fine della prima Parte, far' vn' Epilogo minutissimo di tutto quello, che si è detto, non solo nelle proue, ma ancora nell'Introduttione, & in somma in tutto quello che si è trattato: mà veramente à me non finisce di sodisfare questa maniera; perche, se non vogliamo poi far nuouo Epilogo; nell'vltimo non verriamo ad hauer raccolto se non la metà di tutta la Predica: e, volendo far' in fine, come più si conuiene; veniamo noiosamente à ripeter due volte vna gran parte de gli stessi Epiloghi. Sì che, à me piacerebbe più, se noi facessimo vna delle due cose: cioè, O che noi dell'vltima proua di questa Parte, lasciando per fine alcuna cosa più vehemente, venissimo con questa *Essaggeratione*, che alcuni (non sò perche) domandano *Feruore*, à finir' insieme, e la Proua, e le Parti: Ouero, che, vsandosi quasi in tutti i mezzi delle Prediche domandar' elemosina; procurassimo di accommodare così gentilmente il fine dell'vltima proua di quella Parte, ch' egli medesimo venisse ad introdurci in quella dimanda d'elemosina, che vogliamo fare.

Ma quì bisogna hauer grandissima auuertenza, che questi accommodamenti all' elemosina non siano, ò stiracchiati, ò scurrili; perche i primi raffreddano, & i secondi sdegnano gli animi delli Ascoltatori. Come sarebbe à dire. Se nel fine di quella proua, nella quale noi mostriamo la *Necessità* del digiuno quadragesimale, volessimo dire: *Necessarissimo dunque è il digiuno, ma necessarissima è anco l'elemosina*; Questo senza dubbio sarebbe vn trapasso stiracchiato, & senza proportione. E se dall'altro canto noi dicessimo; *Il digiuno dunque è di necessità, ma in necessità muoiono quelle, che non sono aiutati, E però fate elemosina*; Questo modo hauerebbe del Comico, dello scurrile, e però non istarebbe bene. Più tosto potrebbe
„ comportarsi, se noi dicessimo: [Necessarissimo è dunque il digiuno qua-
„ dragesimale, non solo per se stesso, ma anco per le altr'opre, alle quali
„ dà aiuto; poiche, digiunando siamo più liberi per far' Oratione, e di-
„ giunando, possiamo facilmente quello, ch'auanziamo dalle superflue
„ spese de' cibi, spenderlo in elemosine, delle quali hoggi &c.] E questo

dourà bastare, per quello ch'io debbo dir' intorno al *Fine della prima Parte*, che non è cosa però più rileuante di tanto.

Più importante senza dubbio è *il principio della seconda*, ilquale diuersi diuersamebte accommodano: ma io dirò prima quello, ch'hà da essere scopo, & intention nostra in questo fatto, e poi darò due, ò trè modi da poterui peruenire; non negando però, che anco molt' altri mezzi possano molto facilmente condurci à questo fine. In somma, si come questo diuidere delle Prediche in due Parti, non si è trouato per altro, se non per lasciar che si ristorino vn poco gli animi affaticati di quelli ch'ascoltano; così il *principio della seconda parte* non deue hauer' altro per mira, che di dar' honesto diletto à quelli animi stessi, ò almeno di porger loro cosa, che gli faccia più freschi, e più animosi à sentir' il resto: Il che potendosi fare, ouero co'l tornar loro à memoria in poche parole il passato (Perche rimanendo quello imperfetto, li accende senza dubio ad hauerne il compimento) ouero, narrando alcuna cosa, che porga loro diletto, e sia à proposito; ouero facendo alcuno ingegnoso inganno, che poi riconosciuto apporti loro piacere; di qui nasce, che, conforme à queste trè cose, trè modi di cominciare mi basterà di proporui.

Il primo modo è, facendo vn' Epilogo delle cose già dette, & attaccandoui destramente quelle ch'hanno da dirsi: ma con due auuertenze; l'vna, che l'Epilogo non sia esquisito, nè minutamente fatto di tutti quei concetti, ma solamente de i capi delle Proue; & l'altra, che, quando si fà l'Epilogo, si cominci la Predica da parola rotta, come da vn *Ma*, da vn' *In somma*, da vno *E così*, e simili; e per darne essempio nella Materia proposta, in questa forma si potrebbe cominciare la seconda Parte: *Sì che il digiuno quadragesimale, e per l'Antichità, e per la Necessità sua douer' osseruarsi, questo di già s'è detto; hora &c.*

Il secondo modo si fà, come diceuamo, con vna Narratione di cose diletteuoli, la quale venga à cader sopra la proua, che ci resta à fare; e questa potrà essere, ò d'vn Apologo, ò d'vn'Essempio d'vn Santo, ò simili. Come sarebbe à dire: [Hauete mai sentito, Ascoltatori, l'essempio
,, di quel Santo Padre? il quale ad vn suo Discepolo, che si querelaua d'vna
,, molestissima tentation di carne; comandò, che digiunasse in pane, &
,, acqua sola, vna eccessiua quantità di giorni; e poi à mezzo il corso del
,, digiuno, domandatolo, come lo trattaua la carne, sentì rispondersi, ch'-
,, altro ci era in pensiero all'hora, & che à pena vi era forza di viuere. Mer-
,, cè, ch'il digiuno gli haueua fatto bene, e ch'egli, anco in questa materia,
,, è così vtile, come oltre l'esser'antico, e necessario, anco à mill'altre cose è
,, vtilissimo. E per cominciare &c.]

Il terzo modo si fà, com'io dissi, con Inganno; il quale è, che, solendosi quasi sempre nel principio delle seconde Parti publicar' alcune cose non pertinenti alla Predica, come Indulgentie, Processioni, Quarant'hore, e simili; se noi, nel far queste cose, tanto ascostamente entreremo all' istessa

Materia della Predica, che chi ci aſcolta non ſe n'auuegga, inſin'à tanto, che non ci ſiamo entrati; al ſicuro noi daremo molto diletto à gli altri, e leueremo la fatica à noi di far nuoui apparati per la ſeconda Parte. Come ſarebbe, ſe, tenendo la carta dell'Indulgentie in mano, diceſſimo: [Domenica, che viene, è la tale, ò la tale Indulgentia &c. la quale douete ardentemente prendere, per le tali, e le tali ragioni: e ſe mai lo doueſte fare, hora principalmente douete, in queſti tempi quadrageſimali; perche non vi è dubbio, che, ſi come il digiuno quadrageſimale è vtile ad infinite altre coſe, così ci fà più ſpediti, e più pronti nell'oratione; e per dir' il vero, quall' vtilità non ci fà egli &c.] Biſogna ſolamente auuertire, di variar gentilmente queſti modi di cominciare; in maniera, che non ſempre nè troppo ſpeſſo ci ſeruiamo d'vn di loro: e quanto al terzo, biſogna auuertir molto, che, ſe bene l'inganno hà da eſſer diletteuole; non ſia però buffoneſco, e ſcurrile, ma ſi faccia con grauità, e con decoro. E tanto baſti de' principij delle ſeconde Parti.

Come habbiamo à diſporr' il fine di tutta la Predica. Capitolo X.

SEguita il fine di tutta la Predica; il quale, come è quello, che più di tutte l'altre parti laſcia, ò buona, ò cattiua impreſſione ne gli animi di chi aſcolta; così in vniuerſale biſogna che ſia vehemente, vtile, diuoto; & in ſomma tale, quali noi deſideriamo che diuentino quelli che ci ſentono, e quali deſideriamo noi ſteſſi d'eſſer' iſtimati da loro. Mà quà non ſi può abbracciar' ogni coſa, & à me *quanto alla quantità*, baſterà dire, che l'vltima pagina delle otto potrà riſeruarſi à queſto fine; e *quanto alla qualità*, dirò trè modi i più vſati, co' quali io gli ſoglio fare.

Il primo è, facendo l'Epilogo di tutte le coſe dette di ſopra, molto più eſquiſitamente, che non è ſtato qual ſi voglia Epilogo fatto di ſopra; mà non però tanto, che vi ſi ſcopra affettatione. In ſomma, quà non baſta dir' i capi delle proue, & è certo, che biſogna dir' ancora i capi delle Amplificationi delle proue, & quaſi tutti i cocetti d'ogn'vna delle claſſi: ma biſogna auuertire di farlo come diceuo, sì, che tu non moſtri di oſtentare la memoria, ò di recitare, come diciamo, di ſettimana. E ſopra il tutto, in queſto primo modo biſogna hauer due auuertimenti; l'vno, che tu non auuiſi da te ſteſſo ſcioccamente il popolo, che queſto è l'Epilogo; come ſarebbe, dicendo: *Eccoui quanto hò detto nella Predica; queſto è tutto ciò ch'hò raggionato con voi*, e ſimili vacanterie: e l'altro, che le coſe, le quali tu hai dette nella Predica narrandole diffuſameute, nell' Epilogo tu le dica molto più breuemente, e tutte in maniera concitata e vehemente. Se già non ti piaceſſe ancora di epilogar' alle volte, Apoſtrafando à Dio nell'vltimo della Predica; ma queſto non ſi fà, ſe non doue è poco da epilogare, e doue le coſe patiſcono d' eſſer raggionate con Dio; che a dir' il vero, molto mal' anderebbe la coſa, ſe tu parlando à Dio nell'vltima oratione gli andaſſi dicen do: *Chi ſono tutti quelli, che non ſono tenuti à digiunar la Quareſima?* e ſimili coſe.

Il secondo modo si fà, passando ad vna nota graue seuera, e vehemente (della quale si ragiona distintamente nel *Trattato dell'Elocutione*) con Inuettiue, con Riprensioni, & altre acerbità: e questo modo è vtil'assai per li popoli; perche, doppo essere stato lor prouato, che bisogna far'alcuna cosa; ogni Riprensione, che riceuano per non farla, pare lor, che sia molto giusta; & hanno insieme diletto, e vergogna: co' quali affetti terminandosi il Ragionamento, e partendosi loro; restano amoreuoli à noi, per lo diletto, e persuasi ad emendarsi, per la vergogna. Per essempio, nella materia proposta; se, finito ch'habbiamo di proporr'è di prouar'il digiuno Quadragesimale, *per l'Antichità, e Necessità, & Vtilità sua*, entreremo finalmente à riprendere perciò acerbamente quelli, che non l'osseruano, & vseremo tutta quella seuerità, che s'insegna nella *Nota graue*; noi al sicuro porremo vn fine conueneuolissimo alla nostra Predica, & insieme guadagneremo gli animi à noi, e le anime à Dio, di quelli, che ci ascoltano. Et in questo caso doueremo ricorrere per materia à quella picciola classe, che noi cauammo dalla Selua grande, per seruircene à punto in fine della Predica: nella quale essendo trè concetti, cioè *il* 5. *il* 9. *& il* 13. potremo, doppo hauer ripreso vn poco quelli, che non digiunano, à guisa di quelli, che si ritirano indietro per far maggior salto, seruirci *del* 5. *e del* 9. e dire. [Vero è, ch'alcune sorti di „ persone non sono tenute, cioè i tali, e i tali, anzi in caso di necessità niu„ no vi è tenuto, come appare di Spiridione, &c.] Poi seruendoci del 13. ritornare con maggior'impeto à dire: *Mà da questi in poi, chi potrà mai scusare quelli, che non l'osseruano?* e seguitare con quella Inuettiua, ch'è accennata sotto quel numero, fin'al fine della Predica, ò almeno fin'ad vna Orationcella al Crocifisso, ò à Dio; nella quale, in questo secondo modo, si potrà; *O pregare il Signore, che perdoni la negligenza passata delli Ascoltatori*. Ouero, *Marauigliarsi con lui della patienza, che hà hauuta fin'à quel tempo*. Ouero, *Supplicare à muouere quei cuori di sassi*. O finalmente, *Promettergli, che per l'auanti vogliono mutar vita*, ò simili cose.

Resta il terzo modo solo, il qual'è assai gratioso; & è, quando da tutta la materia della Predica noi raccogliamo per modo di Corollario alcuna cosa, non ancora tocca punto in tutto il rimanente del Ragionamento; & intorno à quella amplificando, & essaggerando, ci conduciamo al fine. Come sarebbe nell'Essempio proposto; se doppo hauer dimostrata *l'Antichità, la Necessità, & Vtilità* della Quaresima, noi ne cauassimo fuori la consideratione *della prouidenza di Dio*, ò più propriamente *della cura, ch'hà Santa Chiesa di noi*, ouero *della marauigliosa armonia, con la quale procede ne i suoi riti Chiesa Santa*, e simili; quasi dicendo: *E di quà (cioè da tante vtilità del digiuno) chi è quello, che non debba alzarsi à contemplare, quanto gioueuolmente, e quanto soauemente siano instituite le consuetudini, & i riti di Santa nostra Madre? O Chiesa, ò Chiesa! &c.* E così in qualsiuoglia di questi trè modi potranno i principianti finir le Prediche loro, in fin'à tanto, che da sè stessi troueranno di meglio: e noi, hauendo insegnato, come s'habbia

nella

nella Predica à comporre *l'Introduttione, la Narratione, la Diuisione, le proue, il fine della prima parte, il principio della seconda, e l'Epilogo vniuersale*; possiamo dire d'hauer'atteso à quello, che promettemmo, e d'hauer'insegnato il modo di compor vna Predica intiera.

Del Prologhino. Capitolo XI.

SOlamente vn'altra particella ci resta, la qual pare di minor'importanza, perche in vero non hà che fare con la Predica: mà ad ogni modo di molto rilieuo, perche è grandemente auuertita, e perche, essendo la prima, che si sente, è anco quella, che fà buona, ò cattiua impressione di noi nelli animi di chi sente: in quella maniera, ch'essendo il Madrigale compito da se, con suo principio, suo mezo, e suo fine; tuttauia deue il Musico hauer molt'auuertenza à far gentilmente quella ricercata, ch'egli vi premette, prima che se lo ponga à sonare: perche, se bene non è parte del Madrigale; ad ogni modo da lei cauano subito i circostanti quello, che possono sperare dalla virtù del Sonatore. La parte, di che parlo, è quella, che noi chiamiamo *Prologhino*, che anco da Aristotele, come mostreremo forsi vna volta, è stata conosciuta; e da lui è stata paragonata alle ricercate, che fanno i Musici. In questa, bisogna hauer molt'auuertenza, che gli ornamenti non siano affettatissimi; se bene si può facilmente concedere, ch'essa sia più ornata di tutte l'altre, & anco le si permettono, e delle comparationi, e dell'altre cose vn poco poetiche, le quali nel rimanente della Predica starebbono malissimo: e come le ricercate ponno esser di diece mila foggie; così questi Prologhini, non hauendo che far'altro, se non destar gli animi, vengono ad esser così senza legge, e così senza regole; ch'è quasi follia volerne portar documenti. Tuttauia, per non mancar'à cosa alcuna, che noi possiamo; *quanto alla quantità* diciamo, che essendo la Predica d'otto pagine; se il Prologhino sarà vna meza, à noi pare, che basterà; & in somma io desidererei, che fosse molte volte minore, mà non mai maggiore, della metà dell'Introduttione.

E quanto alle qualità, per questo hò io insegnato à far tutta la Predica prima; perche dall'istessa Predica è gentil cosa il cauarlo. E questo Prologhino, se bene si può far'in molti modi; diciamo nondimeno per hora, che in trè modi si può principalmente fare, cioè, *ouero*, trattando cosa, che non appartiene alla materia della Predica, nè si caua da lei; *ouero* l'istessa materia della Predica; *ouero* non la materia stessa, mà alcuna cosa però, che quasi per Corollario si caua da lei. Per essempio, alle volte occorre hauer'occasione di ragionar di sè stessi, ò dell'Ascoltanti, ò d'alcuna cosa, che occorre à quel tempo, principalmēte nelle prime volte, ch'entriamo à qualche Città; come sarebbono à dire, *ritornando nella patria*, *doppo molti anni di assenza*, e simili; & all'hora il Prologhino si potrà formar'intorno à questo. Altre volte (e questo sarà il più frequente) lo caueremo dalla materia stessa, proponendo, ò vna laude, ò vn vituperio, ò vna qualità in somma del Soggetto, di che vogliamo ragionare, e finalmente, quando nel fine delle Prediche

diche noi vogliamo seruirci del terzo modo, che diceuamo, cioè per *Corollario*; all'hora quell'istesso Corollario ci farà la Propositione di tutto il Prologhino. Si che, andando io à predicar la Quaresima à Milano, (per caso,) e volendo trattare, *ch'il digiuno Quadragesimale deue osseruarsi*; bisognerà, che io troui subito vna Propositione, sopra la quale io tessa il Prologhino. E questo nel primo modo, cioè fuori della Materia, potrà esser così: *Io vengo volentieri à predicar nella patria mia.* Nel secondo modo, cioè nella materia stessa, potrà essere: *Bellissima cosa è il digiuno Quadragesimale.* E finalmente nel terzo, s'io haurò tolto per Corollario, *che i Riti di Santa Chiesa sono stupendi*, questo medesimo sarà la Propositione, ch'hauerà da seruirmi nel Prologhino.

Mà i modi di vestirlo, e di ridurlo in forma, sono diuersissimi; & io vorrei più tosto hauerlo à fare, che insegnarlo à fare: tuttauia in doi modi possiamo ridurre tutti gli altri, cioè; *Ouero*, portando nel primo pũto principale la pura, e sempilce Propositione, ridotta con qualche poco d'aiuto in vn periodo; *Ouero*, tro uando vna Comparatione, dalla quale venga ad esser'inferita la Propositione, che noi vogliamo trattare. Mà gli essempi mi renderanno più chiaro: e prima apporteremo le Propositioni senza Comparatione, e poi con la Comparatione. Essempio della prima. [Sono così innestati entro a' cuori „ humani certi naturali affetti, che se ben'io per l'habito, che vesto, faccio „ professione d'essere scostato dal Mondo; ad ogni modo, non potendomi „ scostare dalla natura stessa, forza è, che mi compiaccia di presentarmi „ hoggi nel cospetto tuo, ò patria mia, &c.] Essempio della seconda. „ [Questo nell'opra sacra del digiuno Quadragesimale mi par marauiglio- „ so, Ascoltatori; che non solo in sè stesso è opra buona, mà anco l'altre „ opre tali, con la sua sola forza rende assai più purgate, è più perfette.] „ Essempio della terza. [Se cosa alcuna, frà tutte queste cose, che ci gira- „ no intorno, puote apportarci è marauiglia, e giouamento insieme; que- „ sto al mio giuditio, Ascoltatori, & à giuditio di chiunque vi pensa, altro „ non è, che il contemplare i riti, & i costumi altissimi di S. Madre Chiesa.]

E questo, quanto all'apportar nel primo punto principale il fondamento semplice del Prologhino. Mà, se vogliamo farlo inferir da vna Comparatione, com'hoggi pare, che s'vsi, tante saranno le spetie d'introdurlo, quante saranno le sorti delle cose, onde possiamo cauar'il paragone: le quali non hò in animo io di proseguir tutte; mà ne tocco doi capi soli, che sono il *Dedur* la proportione *da vna cosa naturale*, ò il dedurla *da vn' historia Sacra*: e d'ogn'vna di queste n'assegno quà sotto gli essempi, senza metterli però in ordine nè in forma d'Oratione; perche questo appartien'à quella parte, che si chiama Elocutione.

* Essempio della prima, da cose naturali. [Come gli vccelli più dolce- „ mente cantano ne' loro nidi, così io, &c. Da historia Sacra. Come Gia- „ cob, doppo quattordici anni ritornato alla patria, sentì somma dolcez- „ cezza; così &c.]

* Essem-

* Essempio della seconda, da cose naturali. [Come vtilissima è quella
,, medicina, che sanando vn membro, conforta tutti gli altri; così questo
,, rito, che oltr'il digiuno aiuta l'oratione, l'elemosina, &c.] Da historia Sa-
,, cra. [Come molto ragioneuolmente si dauano le decime di tutte le cose
,, à Dio; così è ragioneuole, che gli si dia ancora la decima dell'anno &c.]

* Essempio della terza, da cose naturali. [Come in ben'accordata Cete-
,, ra tutte le minutie marauigliosamente rispondono; così nella Cetera di
,, Santa Chiesa, &c. i suoi Riti, &c.] Da historia Sacra.[Come i ricami del
,, Tabernacolo erano marauigliosi, così i riti di Santa Chiesa &c.] E questo potrà bastare per ogni mediocr'ingegno à trouar la forma di mill'altre Comparationi.

Nè io, intorno à questo principio del Prologhino, hò più à dir'altro, se non due cose. L'vna delle quali è, che le Comparationi alle volte s'accommodano in modo, che frà la Comparatione inferente, e la Proposition'inferita, non hanno più ch'vn sol punto principale; & alle volte la Comparation sola fà tutto il primo periodo; e poi, frameſſo alcun membro sciolto per riposo, vien la Propositione inferita à far'vn'altro periodo da sè stessa. Essempio del primo modo. [Poiche anco gli vccelli, tornati à quelle valli,
,, doue nacquero, cantano volontieri, che marauiglia fia, se anch'io doppo
,, tant'anni, tornato à tè, &c.] Essempio del secondo. [Quei poueri vccel-
,, letti, i quali sono longamente stati in paesi strani, quando poi mercè
,, d'Iddio, e lor buona ventura, tornano finalmente alle natiue valli, chi
,, non sà, quanto oltre l'vsato &c.] E qui è finito vn periodo nella Comparation sola: al che si soggionge subito vn membro, come sarebbe à dire: *Milano mio caro,&c.* ò simili. E poi, in vn'altro periodo, con buona corrispondenza aggiungendo la Proposition'inferita, si dice: [Anch'io, se bene
,, roco, doppo d'hauere, se non cantato in molte, e varie parti, garrito al-
,, meno, come hò saputo al meglio; hoggi finalmente, &c. Che maraui-
,, glia &c.] E di questi dui modi, il secondo hà da vsarsi nelle Prediche più celebri, come sarebbe i primi giorni di Quaresima, le feste grandi, a' Prencipi, facendo vna Predica sola in vna Città, e simili: là doue, chi l'vsasse perpetuamente, haurebbe troppo del gonfio, e però, nell'Altre Prediche communi, molto meglio è seruirsi dell'altro.

La seconda cosa, che voleuo dire è, che le Comparationi possono vsarsi tal'hora inanzi alla Proposition principale del Prologhino, com' habbiamo dato tutti gli essempi di sopra; & alle volte (il che è bellissimo, & hà meno dell'affettato.) doppo l'istessa Propositione; come sarebbe à dire:
[Sebene io, per l'habito, che vesto, faccio professione d'essere scostato dal
,, Mondo, &c. ad ogni modo, non potendomi scostare dalla natura stessa;
,, forza è, che mi compiaccia di presentarmi hoggi nel cospetto tuo, ò pa-
,, tria mia,&c.] e poi soggiunger subito, ò da cosa naturale: [Così tal'hora
,, gli stessi augelli, quando, doppo d'essere stati longamente assenti, tor-
,, nano finalmente, &c.] ouero da Historia Sacra, così: [*Il Patriarca Gia-*

cob,

cob, quando, doppo d'essere stato quatordici anni assente, ritornò finalmente &c.]

Et infin quì haurremo fatto quello, ch'è principalissimo nel Prologhino, cioè, Trouata la principal Propositione da adoperare in lui; e di più imparato à proporla, ò semplicemente, ò con comparatione; e questa, ò preposta, ò postposta, come ci par' il meglio. Doppo il che potremo fare alcuni scherzi, ò di oppositioni, ò di rispondenze, ò d'altro, intorno all'istessa Propositione già stabilita; e poi, hor' in vna maniera, & hor' in vn' altra, chieder' aiuto à Dio: e finalmente anco con diuersi modi cauati, se si può, dalla materia che trattiamo, ma non comici nè scurrili, chieder' audienza dal popolo. Le quali cose tutte consistono più nell'Elocutione, che nella Dispositione; come ancora le frasi, gli ornamenti, i lumi; & in somma quanto bisogna, acciò quello, ch'hora è abbozzato, diuenga poi compita, e bellissima imagine.

Epilogo aggionto hora al precedente Trattato. Cap. XII.

HAbbiamo adunque dal Dottissimo Panigarola vna via regia della Rhetorica Sacra, circa l'inuentione, e la dispositione. Quanto alla Inuentione egli insegna, che prescritta la propositione da prouarsi, come *Conclusione* di tutto il raggionamento, si prepari la Selua delle proue confusamente, come s'incontra nello studio. Quanto alla Dispositione, che questa confusa farraggine si distribuisca come à tanti mezzi termini di argomenti, assegnandoli quel miglior ordine, di cui sono capaci sotto i capi principali di proue, che ordinariamente secondo la diuisione ponno essere trè. Poscia deue notarsi, ò nella Selua, ò con nouo studio vna propositione inferente chiamata *Introduttione*, & è quel primo assunto, ò antecedente di Entimema, col quale principia il corpo della Predica. Formato dunque gratiosamente l'Entimema, si amplifica, cioè elegantemente si proua quell'antecedente, e di nouo si esprime la Conclusione. Poi si suggerisce la diuisione di tanti mezzi termini, per prouar la stessa Conclusione; e siano trè di ordinario. Queste proue l'vna doppo l'altra si amplificano con i già ritrouati, e distribuiti concetti. La prima parte puol hauere tutte trè queste proue; & all'hor sarà la seconda, corollario, prattica, obiettione che si scioglie, ò altro. Mà se la prima hà due proue, quali epilogate finisce; all'hora la seconda hà la proua rimanente; & in ambi i modi finisce co'l Epilogo di tutte le proue. In somma prima deue l'Oratore esser Logico, e poi Rhetorico, cioè argomentar ornato. Il Prologo propone; il primo Entimema assume; gl'Entimemi, ò Sillogismi, che sieguon la Diuisione de' mezzi termini, confermano; il Fine del Discorso conclude, e principalmente commoue. Così della Rhetorica di Paolo dice Girolamo epist. 155. *Apostolus sæpè proponit, assumit, confirmat, atque concludit; quæ propriè artis Dialecticæ sunt.*

Quanto alla Elocutione, e bel modo di esprimere, ò comporre, quì il Padre Panigarola non ne tratta; ma di questo hà egli dato à parte l'insigne suo Demetrio Falereo, & il suo libretto intitolato, *Il Predicatore.* Vna

 sol

sol cosa resta, & è delle più considerabili; il modo di ben portare la Predica. Nel che la maggior parte viene in dono dalla Natura. Io voglio quì aggiongere vna cartuccia, che vn giorno ritrouai à fortuna, e posso credere, sia vn ruscello deriuato dall'istesso Panigarola.

Instruttione per ben recitar vna Predica.

NEl *Prologo*; voce mediocre, vocaboli scielti, spirito quieto.

Narrare; con voce di raggionamento, vocaboli cheti, gesti simili.

Diuidere; con voce acuta, la sinistra cheta, la destra indicãte con doi dita.

Prouare; con volto attrattiuo, voce sonora, la destra mano col dito indice steso.

Magnificare; con volto signorile, vocaboli scielti, & honesti; braccia aperte, come à volare.

Auuilire; con ritiramento di persona, volto stommacoso mani distese al petto.

Dichiarare; con voce alta, parole rare con interuallo; la persona cheta, & apoggiata.

Lodare; con bocca aperta, voce amena, occhi di stupore, moto di corpo; vna mano al petto, e l'altra all'aria.

Essortare; con voce penetrante, e decora, volto lieto, braccia d'amplessi.

Dissuadere; con voce suspirante, la persona torta, volto schifo, mano remouente.

Compungere; con voce dolorosa, e decora; volto gemebondo, e braccia distese in croce.

Riprendere; con voce aspra, volto irato; le mani veloci, & alla corda.

Inanimire; con voce intonãte, volto animoso; mani à schermire, e riparare.

Vergognarsi; con voce d'infermo, capo chino, e le mani giunte.

Consolare; con voce viua; volto di medico confortante; con le braccia aperte, ma non estese molto.

Promettere; con gl'occhi al cielo, la bocca aperta, le mani in alto.

Minacciare; con voce terribile, & aspra; volto inimico; occhi sanguigni, e colerici; mani col dito in moto d'alto e basso. Quando si parla con Heretici, si parla, e si guarda fuor delle Chiesa.

Eccoti ò Religioso, e felice operario del S. Euangelio come vno specchio, d'auanti al quale possa, ò correggere, ò perfettionare i portamenti della tua Predica. Siam certi, di riportarne copioso, e dolcissimo frutto; se impararemo dall' Apostolo, attendere, non al nome nostro, ma al Verbo di Dio. *Pradica Verbum*. Ben per noi, se scolpiremo nel cuore quell'affetto, che il Serafico Dottor della Chiesa S. Bonauentura esprimeua con questa final inscrittione intorno al SS. Nome IESVS solita scriuersi per Corona

SOLI DEO GLORIA.



IN-

INDEX

TRACTATVS PRIMVS.

Summula Theologiæ Dogmaticæ Fundamentalis.

TRACTATVS II.

Dissertatio de Sacra Scriptura.

PRIMVM EXAMEN.

De S. Scriptura necessitate, & maiestate.

SECVNDVM EXAMEN.

De Nominibus, & Elogijs S. Scripturæ.

TERTIVM EXAMEN.

De Diuinis signis testificantibus Scripturam.

ten-

QVARTVM EXAMEN.
De Diuisione librorum Canonicæ Scripturę.

QVINTVM EXAMEN.
De Traditionibus Ecclesiasticis.

SEXTVM EXAMEN.
De Scriptura Sacræ varijs editionibus.

SEPTIMVM EXAMEN.
De Latina versione vulgata hodierna.

OCTAVVM EXAMEN.

De Sensibus Sacræ Scripturæ.

NONVM EXAMEN.

De Idiotismis ac Tropis Sacræ Scripturæ.

DECIMVM EXAMEN.

De Mensuris Biblicis.

VNDECIMVM EXAMEN.

De supputatione Chronologiæ ab Ortu Mundi.

Me-

DVODECIMVM EXAMEN.
De varijs quibusdam Biblicis scitu dignis.

Prologus Galeatus.

TRACTATVS III.

Sacri Ecclesiastæ Methodus,
Ex Minoritis Fratribus, Didaco Stella, & Francisco Panigarola.

Hypomnematica, idest memoratiua Summula nostra.

Modus Concionandi F. Didaci Stella Hispani Ord. Min. de Obseru.

vte-

Prattica del compor le Prediche del P. F. Francesco Panigarola Milanese.

LAVS DEO.



